# LITVRGIAE
## SIVE MISSÆ SANCTORVM PATRVM:

Iacobi apostoli & fratris Domini.
Basilij magni, è vetusto codice Latinæ tralationis.
Ioannis Chrysostomi, interprete Leone Thusco.

## DE RITV MISSÆ ET EVCHARISTIA:

Ex libris B. Dionysij Areopagitæ.
Iustini martyris.
Gregorij Nysseni.
Ioannis Damasceni.
Nicolai Methonensis.
Samonæ Gazæ archiepiscopi.
Germani archiepiscopi Constantinopolitani.
Nicolai Cabasilæ, Gentiano Herueto interprete.
Maximi Monachi B. Dionysij interpretis.
Bessarionis Cardinalis.
Proclus archiepiscopus Constantinopolitanus præfatur.

QVIBVS ACCESSIT AD CALCEM E LIBRIS D. Ioan. *Chrysostomi, locorum annotatio, & initio aliquot Capita, vnde Liturgica comprobantur, auctore* F. *Claudio De Sainctes, Theologo Parisiensi.*



Δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι.

PARISIIS, M. D. LX.
Apud Guil. Morelium, in Græcis typographum Regium.
PRIVILEGIO REGIS.

*PAR priuilege du Roy il est defendu a tous imprimeurs & libraires quels qu'ils soyent en ce Royaulme, de n'imprimer, ne faire imprimer aucuns des liures qui auroyent premierement esté imprimez & mis en lumiere par Guillaume Morel imprimeur & libraire dudict seigneur es lettres Grecques, ou par luy notablement corrigez & emendez, en quelque langue que ce soit: ne si ailleurs estoyent imprimez, iceulx vendre ne distribuer, de cinq ans prochainement suyuants apres ladicte impression premiere, ou de deux ans apres l'impression desdicts liures corrigez, sur peine de confiscation desdicts liures & d'amende arbitraire, comme appert par les lettres de ce, données à sainct Germain en Laye, l'vnziesme iour de Iuillet mil cinq cens cinquante cinq, signées par le Roy. Clause. & sellées du grand seel dudict seigneur, verifiées & publiées par le preuost de Paris ou son lieutenant, le vingtneufiesme de Iuillet oudict an.*

*LE Quel Priuilege donné audict Morel par le feu Roy, que Dieu absolue, luy a esté & est continué & confirmé par le Roy nostre Sire a present regnant, selon qu'il est contenu es lettres de ce, données a Bloys, le dixhuictiesme iour de Ianuier, Mil cinq cens cinquanteneuf.*

*Signées Dumesnil. & sur le reply. Par le Roy. Robertet. Sellées du grand seel.*

## ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET AMPLISSIMO CARDINALI, CAROLO LOTARINGO,

IOANNES A SANCTO ANDREA, S. P. D.



NIHIL A Deo optimo maximo præstantius aut diuinius homini concessum esse arbitror, illustrissime Princeps, quàm quòd similitudine quadam & cognatione formę sibi eum coniunxerit, atque ad oris vultúsque sui imitationem effinxerit & expresserit. At verò cùm in mẽtem mihi venit quantis ista hæc quam trahimus, vita ærumnis & calamitatibus conflictetur, adducor subinde vt diuinam prouidentiam præclarius mecũ acturam fuisse existimem, si cùm primum in lucem editus essem, subitò excessissem, & vt aiebat Silenus ille, ex hac calamitosissima viuẽdi miseria, tanquam ex periculoso quodam naufragio enatassem, ne vt temporis propagatione mea vita longiorem, ita & infeliciorem cursum teneret. Quis enim obsecro, viuendi conditionem æquiore animo ferat, cùm eò res redierint, vt post hominum memoriam, Reipublicæ Christianæ status turbulentior aut profligatior nunquam extiterit? Etenim nullus hominum est qui non manibus illotis in Religionis & fidei disceptationem irruat, in eáque vt in volutabro & sordibus impurus versetur: cuius tamen disciplinæ amplitudo & dignitas tãta est, vt à maioribus nostris ea sola quã excolamus, quã tueamur, relicta esse nobis videatur. At enim verò quotus quisque hominum est nostræ huius tempestatis, à quo non teratur, aut potius violetur? videásque opifices, vnguentarios, pictores, atque id genus hominum nullius nominis, qui ne quidem bonas literas à limine salutarunt, ita temerè in sacra scriptura grassari, vt cælum terræ permisceant: & quod longè grauissimum duco, eam in tonstrinis, in ludis talarijs, inter comessationes impudentissimè polluant & incestent: vt id in re seria & diuina factitare non vereátur, quod

Romani illi in rebus ludicris turpe & flagitiosum inter epulas iudicarunt. Quod quidem scitè & argutè à Satyrographo animaduersum est: —ecce inter pocula quærunt

Romulidæ saturi quid dia poëmata narrent.

Hæc autem cùm scriberem, mihi in memoriam venit, quod præclarè Nicetas Choniates cognomento Acuminatus, sinceræ fidei historicus, in vita Alexij Angeli Græcorum Imperatoris, scriptum nobis reliquit. Eodem, inquit, tempore dogma de diuinis Mysterijs vulgatum, Christianos in factiones diuisit, vnde in foro & triuijs res veneratione & silentio dignæ palàm contemnebantur. Nam Georgio Xiphilino VII. annis patriarchatu functo, Ioannes Camaterius successit: qui cùm opinio quæ sub Xiphilino pullularat, radicitus extirpãda, & eius auctor nequam, monachus Sicidites, vt hæresiarcha & homo seditiosus condemnandus fuisset: & alijs ipsius exemplo silentium imperandum, vt Mysterium rursus esset mysteriũ: differẽdi arte & demonstrationibus quæ aduersarium cõuincerent, in rebus ingenij humani captum excedentibus & artificiũ respuentibus vsus est. Id autem tẽporis contentio nulla fuit, an verũ corpus Christi sacræ Eucharistiæ insideret: neque ita Christi vestis incõsutilis ac indiscissa laniebatur aut discerpebatur: verum hoc vnum agebatur & in quęstione erat, vt ait idẽ Nicetas, Vtrum Christi corpus post perceptionẽ incorruptibile sit, quale & post passionẽ & resurrectionem fuit. At mox vbi Diui Cyrilli, Eutychij, & Ioannis Chrysostomi scripta in manus venere, illi nefariæ palàm dubitationi reclamatum est, omnésque huic veræ & laudabili sacrorum doctorum sententiæ calculum & suffragium suum subscripserunt. Diuinorũ Mysteriorum perceptio, cõfessio est & recordatio quædam domini propter nos mortui & rediuiui, vt magnus in Theologia Cyrillus tradit, & quam partem quisque acceperit, ab eo Christum integrum percipi, quam Thomas palparit: eúmq; comedi post resurrectionem, vt Ioannes Chrysostomus affirmat his verbis: O rem miram. qui ad dexteram Patris sedet, in nostrorum peccatorum manibus inuenitur. Item quancunque partem acceperis, eum totum accipis qui à Thoma palpatus est. Et alio in loco, Floruit in lege, adoleuit in prophetis, maturuit in cruce, comeditur

tur poſt reſurrectionem. Itaque velim Illuſtriſsime Princeps, vt iſtorum librorum lectione, quos è medijs Græciæ bibliothecis hauſimus atque traximus, ita inſtituantur & efformentur multorum ingenia, vt veterem illam labem, falſóſque quos iamdudum imbiberunt ſuccos abiiciant & euomant: veram autem & diuinam ſententiam imbuant atque amplectantur: quam omni ſtudio & cõtentione ſemper excoluiſti, cęteróſque ab ea deſciſcentes, in ordinem & viam reuocaſti. Quanquam ſi veteres illi audiendi ſunt, prophanum ab ijs ſacris longè vulgus arcendum eſt, quæ alioqui ita recondenda ſunt, vt tum demum ſi quædam procella emergat vehementior, depromantur: & tanquam Cynoſura dux nauigationíſque magiſtra, inter tempeſtates effulgeant. quod enim publicatur, labefactatur. Verum inſania & furor eorum qui Chriſtianam fidem contaminarunt, variíſque & portentoſis errorum fluctibus aſperſere, illos in hanc arenam inuitos propulit, vt præclarè ſcriptum eſt à diuo Baſilio in libro de Spiritu ſancto ad Amphilochium Iconij epiſcopum. Sic cùm nefarij homines infeſto quodam in bonos Chriſtianos odio, neſcio quas nugas, aut potius oſcitationes excudendas curaſſent, quæ ſacrum illud Miſſæ myſterium labefactarent ac cõuellerẽt, æquiſsimum fore cogitaui, vt eorum conatus aliqua ex parte frangerentur & elangueſcerent, ſi in aciem & lucem libellũ hunc emitterem atq; opponerem. Sed quid ego ineptus hęc ad te? qui & ea melius noſti, & in omni diuinarũ humanarúmque rerum ſcientia ac cognitione ita præſtas, vt te facile ætatis noſtræ Principem omnes habeamus ac numeremus. Qua equidem tua præſtantiſsima adductus laude, hoc tibi munuſculum quaſi tuo iure à me deberi exiſtimaui, vt quem omnes literarum literatorúmque parentem agnoſcũt, huic literarum ſtudioſus quiſque lectiſsimos ſuos fructus deferat ac dicet. Accedit eòdem tanta in totam Gallicanam eccleſiam beneficiorũ magnitudo, vt quicquid vnquam opera, conſilio, ſtudióque efficere poterimus, id meritò tibi acceptum referre, tuíſque ſempiternis laudibus conſecrare debeamus. Vale illuſtriſsime Princeps.

# OCTO CAPITA IN PRÆFATIONIS LOCVM, PER F. CLAVDIVM DE SAINCTES Lutetiæ Theologum.

## OMNES HOSTES ECCLESIÆ CATHOLICÆ, hostes propemodum sacrificij ac Missæ semper extiterunt. Caput primum.



QVONIAM in perpetuam Christi memoriam, in salutis tesseram, & ad nos conciliandos, sacrificium Eucharistiæ nobis est à domino relictum, diabolus, cuius omne studium & conatus est è nostris animis Christum eripere, nos à mutua charitate distrahere, ac postremo in salutis periculum adducere, nescio quo artificio neminem hactenus contra Ecclesiam excitauit, qui non aliquid contra sacrosanctam Eucharistiam, aut eius legitimum ministerium struxerit, & molitus sit, donec ad Antichristi nouißima tempora ventum fuerit, quibus (vt habet in libro de Antichristo Hippolytus martyr, in Danielem de fine mundi paraphrastes) Ecclesiarum ædes sacræ tugurij instar erunt, preciosum corpus Christi & sanguis non extabit, Liturgia extinguetur, psalmorum decantatio cessabit, scripturarum recitatio non audietur. Quæ à Tyrannis ad Constãtinum vsque, Christianorum religioni prohiberentur, ex eorundem restitutione declarat Eusebius. Pace reddita, inquit, eorum qui præerant Ecclesiis legitimi cultus visebãtur, sacrorúmque operationes ab his qui ad illas erant consecrati, & honesti Ecclesiarum ritus, hîc psalmodijs ac reliquis nobis diuinitus traditis elogijs, illic verò diuinis ac mysticis ministerijs, sicut & arcanæ salutaris paßionis symbola, perfici & administrari cernebãtur, simul & cuiusuis ætatis viri ac fœminæ totis animi viribus hilaríque mente precando & gratias agendo, deum bonorum auctorem venerabantur. Licinius iterum non prius in nostros Constantini odio exarsit, quàm illa omnia peragi inhibuerit. Quid infandos loquar Apostatas, Lucianum & Iulianum? quorum ille non ob aliud crimen Christum à Iudæis neci traditum comminiscitur, quàm quòd nouum mundo inuexisset mysterium, καινὴν πίστιν, de qua posterius. In huius vero imperio sacrificium nostrum in primis sublatum est, quemadmodum in vita martyrum Iuuentij atque Maximi apud Chrysostomum legitur: mensa sacra fœdißime cõspurcata, sacra vasa direpta, quibus sacrificabatur Mariæ filio.

Ex lib. Hippolyti, qui extat. Hieron. in Daniel. citat.

Eus. lib. 10. cap. 3. ad exemplar Græcum.

Eus. lib. [illegible]. vit. Constã.

QVOTIES apud me factiones atque hæreses quæ longius radices egerunt, & mundum occuparunt, cogito, amplecti & admirari soleo, vt à deo oblatum sanctißimo Eremitæ Antonio visum diuinitus vt prænosceret Arrianos, imo vt ipsa res admonet, omnium insigniorum sectarum hæreticos, qui Christi Ecclesiam erant discerpturi: vidit in somnijs Mulos altare impetere, & sacram mensam euertere. Adeo hæreticorum prauitas ferè semper cum sacrilegio coniuncta est, vt non alio signo ostendi debuerit: vt non aliunde Helias de suæ legis hæreticis exordiatur conqueri, Domine altaria tua suffoderunt.

Niceph. lib. 10. cap. 29. Theodor. li. 3. c. 12. histo. Sozom. lib. 6. c. 5.

3. Reg. 19.

GNOSTICORVM spurcitias dum à catholico sacrificio recedũt, indignum est recitare. Arrianorum quò progressa sit quasi quibusdam gradibus impietas, deplorant Basilius, & Gregorius Nanzanzenus. Ille altaria cultu spirituali vacare luget, ab Eustathio hæretico Basilidis catholici altaria subuerti, mutatis improbe mensis hæreticum λειτουργεῖν, hoc est Missæ munus perficere. Hic verò plane tragica, quorum à commemoratione aures abhorrent, vbi semetipsum cum Arrianis confert: Quorum mysticum sanguinem, ait, cæso miscui sanguine? ex quanam domo sepulchrum feci? Quæ λειτουργικὰ σκεύη τοῖς πολλοῖς ἄψαυστα, ministerij vasa, & populo ad tangendum prohibita, impiorum manibus exposui, vel Nabuzardan principi coquorum, vel Balthasar male in sanctis delicatè agenti? θυσιαστήρια ἠγαπημένα, Altaria dilecta, vt ait scriptura, nunc autem impie à vobis defœdata sunt, &c. Quid referam (alio loco adiungit) cædes super cædes, cadauera super cadauera, sacrosancta pedibus inquinatis conculcata altaria, impudicis & cantionibus & figuris polluta, & vt audio (cur hæc lingua audax proferti?) saltationes super illis, & Ecclesiæ resonantias crepitaculis violatas, linguas blasphemas super sacris thronis concionantes, μυστήρια κωμῳδούμενα, mysteria in comœdias conuersa, sacerdotes abactos, monachos dilaceratos?

Basil. epist. 70. & 72.

Nazan. or. de Arrianis & seipso.

Ad Heronẽ de exil. reu.

DONATISTARVM genera sacrilega Optatus Mileuitanus antiquißimus au-

Extãt Opt. lib. 6. in Parmenianum.

ctor toto sexto libro persequitur, ex quo pauca de multis delibamus. Quid tam nefarium quàm altaria dei in quibus & vos aliquando obtulistis, frangere, radere, remouere? in quibus vita populi, & membra Christi portata sunt? quo postulatus descendit Spiritus sanctus? vnde à multis pignus salutis æternæ & tutela fidei, ac spes resurrectionis accepta est? Altaria inquam, in quibus fraternitatis munera non iussit saluator poni, nisi quæ essent de pace condita. Quid est altare, nisi sedes corporis & sanguinis Christi? si nos liuoris iudicio sordidi vobis videbamur, quid vobis fecerat qui illuc inuocari consueuerat? Quid vos offenderat Christus, cuius corpus & sanguis illic habitabat? Hoc modo Iudæos estis imitati, illi iniecerunt manus Christo in cruce, à vobis percussus est in altari. Emerũt calices in vsus suos sordidæ mulieres, &c. Legãt alia huius libri obsecro, quibus curæ est satanismum à Christianismo dignoscere.

Leo 1. Ep. 75 LEO sanctus atque eruditus pontifex in his quæ Alexandriæ ab Euthychianis quotidie designarentur, Per crudelissimam, inquit, insanissimámque sæuitiam, omne illic cælestium sacramentorum lumen extinctum est, intercepta sacrificij oblatio, defecit chrismatis sanctificatio patricidalibus manibus impiorum, omnia se subtraxere mysteria.

NON pauca in rem nostram diuinam posteriorum Græcorum atque aliorum hæreticorum flagitia hîc prætereo, non omissurus in Hæreticismo, quem ad nostram consolationem ex omni antiquitate reponimus. Quicquid hoc loco attigi, eò spectat ne ignoremus diaboli astutias, à quo nunquam fere quicquam contra veritatem & Christum cuditur, quin tandem in sacrificium quo nobis adest Christus, recidat & redundet.

VIDEMVS quorum patrum mensuram hac in parte adimpleant nostrorum temporum sectæ dissectæ. Habent quos sequantur ad extinguendum iuge sacrificium, Antichristum, atque eius anteambulones Tyrannos, Apostatas illustriores, hæreticos omnium calculo magis impios, quibus hac impietate sunt superiores & deteriores, quòd cum sacrificio & sacrificij fidem omnem abrogent. Quantum ad nos attinet, vt à Manichæis & à Gentibus in hac oblatione quasi creaturam adoraremus, aut Bacchum ac Cererem: ita facilè patimur ab illis idololatras inclamari. Quin contra blasphemias, Deo nostro gratias agimus, vel eo nomine maximè, quòd non alijs rationibus sacrificium atque eius Liturgia vel Missa refellatur, quàm quibus Christus, atque eius ad vnum Iota Euangelium dilapidatum sit & explausum, aut postea ab Antichristo dilapidabitur & explaudetur. Vnus histrionicè Missam vt diabolicam traducit, quẽadmodum à Marcione Christus filius diaboli, & à Iudæis quasi diabolus est cognominatus. Alter abusus exagitat. Alij & hi quidem hæresiarchæ qui nos circũstant, post sacrilega conuicia, post comicas anatomias eo rediguntur, vt regnum Consuetudinis tandem cõquerantur: quam licet maximè sudent, ab Apostolis non acceptam non possunt doctis & in antiquitate versatis persuadere, vt patrum errantium, sicuti volunt, doleant vicem & perpetuam seriem: vt postremo quoties licet impune, iam non legibus agant, sed viribus, ac ministros tuos domine Iesu cum altaribus subruant, aut afflictos expellant. Obsecro domine à quibus vnquã quàm hac tota via es appetitus? A quibus tuum Euangelium ac veritas his omnibus machinis si propius admittantur, non facilè expugnabitur, & in varias seditiones comminuetur? si in nostra naui dormieris, aut à nobis per peccata nostra oculus præsidij tui dimotus fuerit, tu Domine qui habitas in cælis iam ouantes quasi de victoria, cum antiquis ipsorum patribus aut irridebis eos, aut de proximo tuo aduentu, quibus hæc futura contra tuum iuge sacrificium ex Daniele prænunciasti, vt perseueremus vsque in finem, admonebis, sed non nisi tua gratia ac manu protegente, quam circa nos excubare supplices ne deficiamus ad te vociferamur Domine, quanuis plane immeritos omnibus votis precamur, exaudi.

August. lib. 20. in Faustum, cap. 13

Dan. 9.

## VNDE DIFFICVLTAS ET TANTA CONcertatio de Missa & Liturgia. Cap. 2.

PRINCIPIO vniuersum de Eucharistia negocium suapte natura arduum est, & à sensibus corporis atque animi remotissimũ, in dei nostri verbis & potentia cõstitutum. Deinde ad credendum non nisi expressissimè scripta, imo verò sculpta iam animum obfirmauimus. At inter omnia Christianismi capita hoc vnicum præter alia mysterium ad nos vsque à patribus est habitum & nuncupatum, quibus de eo semper fuit summa religio quicquam apertius, aut multa scribere. Omnem de ipso doctrinam à fidelium conscientia & more petendam esse nusquam attingunt, quin admoneant. Vox D. Pauli est, Vt prudentibus loquor, vos ipsi intelligite quæ dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio corporis domini est

1. Corint. 10

mini est,&c. Communis sermo maiorum est, vt Origenis, Nouit qui mysterijs imbutus, & car-
nem & sanguinem verbi dei: non ergo immoremur, in his, ait, quæ & scientibus nota sunt, &
ignorantibus patere non possunt: vt Chrysostomi, Qui mysterijs initiati sunt, intelligunt quæ
dicuntur: Mysteriorum consortes norunt quod dicitur, sequamur initiati, quæ dicuntur no-
runt fideles. Immensum, hæc dicendi compendia è singulis adnotare. Ergo quibus mos populi
dei iam fabula censetur, & arcana scientia per manus tradita nulla putatur, mirabimur si de
hoc toto sacramento nobis restet, vt mitißime dicam, dubitare.

Ho. 9. in Leuit.
Ho. de sancto Philogonio.
Hom. 51. ad pop. Antioch. & 61.

## QVIBVS EX CAVSIS MISSA ADEO IMPIE nunc contemnatur. Cap. 3.

CAVSAS breuiter collegimus, quibus nobis persuademus augustißimum hoc sacrificium
in eum quem cernimus venisse contemptum: & nisi prouisum fuerit, cum suo interitu aut mun
di prorsus, aut Ecclesiæ saltem apud nos, quemadmodum apud alios, peßimum exitium esse al-
laturum. Potißimam certe ac primam causam puto, vnde vniuersa fundi Christiani calamitas
est: Quòd omnis caro corrupit viam suam, quod mentem nostram omnium vitiorum colluuies
depreßit, & ad ea tantum quæ aspectu percipiuntur propemodum abiecit. Hinc magna pars
hominũ quasi semper pueri, quos si ad videnda mysteria nostra adduxeris, ait Chrysostomus,
procul dubio mirabundi rideant necesse est, antequam instituantur, aut nesciunt, aut non atten
dunt quid in sacrificio fiat & dicatur. Heu me, conqueritur Chrysostomus, quæ veneranda in
Ecclesia & suspicienda traduntur, schemata rerum duntaxat effecta sunt, quasi nulla prorsus
adsit veritas: heu me, huius exercitus symbola in verbis duntaxat consistunt. Vnde ignoratis
qua ratione dicatur, Pax vobis, &c. Hinc porci atque Epicurei Christiani margaritam domini
conculcant. Hinc iam non habetur vt in arcanis hoc mysterium, neque cum patribus, non nisi
pie, parce ac sobrie de ipso colloquimur: sed mulierculæ oneratæ peccatis & delicijs corruptis-
simæ inter suos procos sanctum domini conspurcant: & tamẽ si superis placet, philosophantur.
Hinc qui cum Agi rege & cum hominibus sibi sapere videntur, Dauidem se suis manibus por-
tãtem vt delirum subsannãt, hoc est, Christum & à Christo suffectos presbyteros vt insanos, tan-
tum non lapidant, aut vt clementius loquar, non conspuunt. Vbi pium silentium & maiestas
quæ mysterijs omnium gentium debetur? Vbi imperata Christianis religio? Nolite sanctum da-
re canibus, &c. Audiant hoc loco illi qui impudenter ac temere omnibus copulantur, despica-
bilia ea quæ sunt reuerenda facientes. Nam & mysteria ideo clausis ianuis celebrantur, &
eos qui nondum initiati sunt adesse prohibemus, &c. Non pudet coram catechumenis, & quod
peius est coram Ethnicis, ita de mysterijs tragicari? Nolite dare sanctum canibus, neq; marga-
ritas proijciatis ante porcos. Non est fas mysteria gentibus prodere, ne per imperitiam ea sub-
sannent, aut catechumeni per curiositatem scandalisentur. Ex causis contempti sacrificij alte-
ram iratus Ecclesiæ hostis Lutherus à se ortam, suo indicio quasi sorex prodidit: Diffiteri nec
possum, nec volo, quòd si Carolstadius, aut alius quispiam ante quinquennium persuadere mi-
hi potuisset, in sacramento præter panem & vinum esse nihil, ille magno beneficio me sibi de-
uinxisset: Grauibus enim curis anxius in hac materia desudabam, cum probe perspicerem, hac
re papatui valde me incommodare posse. En libido perdẽdi miscendíque omnia Ecclesiæ iura,
quæ hactenus omnes Christi perduelles in sacrificium armauit, vt primo capite ostendimus. En
iracundia quæ animũ impedit, ne poßit cernere verum: facit vt de Missa hostiliter digladie-
mur. Sic Nouatiani Episcoporum odio, quos potuerunt à pœnitentia olim auocarunt, vt relictis
domini sacerdotibus, contra Euangelicam disciplinam noua traditio sacrilegæ institutionis
exurgeret. Sed si nos vobis, vt ex Optato repetam, liuoris iudicio sordidi videmur, quid vobis
fecit qui in sacrificio inuocari consueuit? quid vos offendit Christus, cuius corpus & sanguis
illic habitat?

Ho. 55. in Matth.
Hom. 3. ad Coloss.
August. psal 33.
Prosper.
Synesius lib 2. de prouidentia.
Chrysost. Ho. 24. in Matthæum.
Athanas. Apologia 2.
Epistola ad Argentinẽses.
Cypria. lib. 1. Epistol. 8.

POST Lutherum deteriores secuti, his peßimis sibi adhibitis arbitris ira & odio, viam
cõtra sacrificium sunt ingreßi, quam ad hoc aspernandum compendiariam multis locis *Chry-
sostomus præmonuit. Nunquid theatra sunt, inquit, præsentia? Sed puto theatra faciunt vt hîc
rideatis: infrænes nobis iuuenes cõstituunt & incompositos. Quæ hîc ædificantur, illic subuer-
tuntur. Non cogitas hîc adesse dominum, qui mentem cuiusque metitur, & conscientiæ ratio-
nem habet? Non cogitas quòd angeli huic stupendæ aßistunt mensæ? Verum tu ista non cogitas,
quoniam ea quæ in theatris audiuntur & spectantur, mentem tuam obscurarunt, & ideo quæ
illic geruntur, in Ecclesiæ ritus inducis. A theatris nobis perniciosa inuehuntur exempla, illinc

*Ho. 40. ad pop. Antioc.
Ho. 24. in acta apostolorum. Ho. in laudem eorum qui comparuerunt in Eccl.
Ho. 74. in Matthæum.

irreligiosæ vulgaresque voces: Nulla res æquè eloquia Dei adducit in contemptum, vt spectaculorum quæ in scena proponuntur admiratio. Proinde frequenter vos hortatus sum, ne quis eorum qui huc veniunt, & diuina doctrina fruuntur, necnon qui horrendæ ac mysticæ victimæ participes sunt, ad illa iret spectacula, ne diuina cum dæmoniacis commisceret mysteria.

AB hæresibus, à delicatis nostris temporibus hos fructus messuimus, vt plures numeremus magnis nostris gemitibus sacrorum atque omnium hominum histrionice illusores, quàm fidei non dicam catholicæ, sed quouis modo Christianæ propugnatores. Iam sales Christianis sapiunt suauius Euangelio, habentur in delicijs ac manibus teruntur scurrarum impiorum nugæ aut doctæ aut indoctæ, longè magis quàm omnes qui ad pietatem & Dei cultum nos efformant sermones.

GRVNNIT in sacrificium, quibus potest iocis, Lutherus: Viretus nō anatomice, sed verrice vt singularis ferus discerpit. Atheus Rabletus impijs suis salibus perfricat, vt Hæreticos & Epicureos oblectet. Hoc omnium denique hæreticorum rudimētum facilè est obseruare, vt aliquid mimicè contra sanctum domini oblatrent. Interim spectantur, audiūtur, imbibuntur: serpit tandē ad pios contagio. ideo quod sua inde timebat Ecclesia Chrysostomus, nostram perpeti non miramur. Alias causas tribuam cum Daniele, omniū nostrum peccatis, quibus cum Iudæis & Christianis ab Hierusalem ad nos vsque qui pauci restamus, futuri certe sumus humiles in terra, nisi cauerimus: ita vt neque dux in nobis inueniatur, neq; propheta, neq; holocaustū, neque sacrificium, neque oblatio. Omnes cùm accuso, neque me, neque ordinem meum excuso: sacerdotū peccata in causa sunt maximè, vt malè audiat nomen & sacrificium domini, atque vt illud auferatur, & arca domini quæ est eius Ecclesia, primùm hæreticis, postremo barbaris dedatur, sicut prophetæ admonent & historiæ enarrant. Ista ab alijs piè & copiosè deplorata prætereo, & à Iesu Christo Seraphim supplex postulo, qui nō tantū labia mea polluta expiet, sed me totum omnium qui peccauerunt nequißimū diuina gratia perpurget & emundet.

(Daniel. 3. — Malach. pr. — 1. Reg. 4. — Euseb. lib. 8 cap. 1. historiæ.)

## DE NOMINIBVS MISSÆ ET LITVRGIÆ. Cap. 4.

NE QVID desit nostrorum temporum tumultibus, non minus in hæreticorum odium incurrit & traducitur nomen Missæ, quàm olim ab Arrianis ὁμοούσιον. Nostrum est cum maioribus nostris catholicis vna cum re appellationes catholicas, præsertim non à nobis excogitatas, sed à patribus sapienter impositas retinere ac tueri.

DE vsu nominis hoc imprimis habeto, apud solos Latinos in nostri sacrificij significatu quantum assequor, Missam reperiri. Etenim Græci in verbis feliciores, post Lucam vocabulum accommodatißimum λειτουργίας conseruarunt. Nam quod in Ignatij ac conciliorum veterum, aliorúmque Græcorum libris olim Latinitate donatis Missa legitur, prudentia fuit Latinorum interpretum, non error, qui λειτουργίαν, aut ei cognata nomina in Missam suis hominibus agnitam transtulerunt. Ex Iudæis Christianis nullos libros Hebraïcè conscriptos à successoribus apostolorum ad nos transmisit prima ecclesia. Idcirco quo nuncuparint nomine Christi sacrificium, non facilè affirmauerimus. Extant quidem apostolorum vitæ ex Abdia per Iulium Africanum aut alium, Latinè loquentes. In ea quæ de Matthæo describitur verbum Missæ legitur: ex Hebræo sit traductum necne, prorsus ignoro, nisi quòd contextus ex etymo Latini nominis ibi appositum significat.

(Acto. 13. — Lib. 7.)

QVAM dudum in Latina nostra Ecclesia vox Missæ inualuerit, nobis obscurius reddūt qui epistolas primorum pontificum & martyrum omnino ex nostra antiquitate expungunt: quàm verè, alio loco nos disputaturos pollicemur. Illi certè quos citra vllam controuersiā omnes habent Italicæ Ecclesiæ ferè primos scriptores, & omni exceptione maiores, Ambrosius & Leo, pontificum doctißimi atque sanctißimi indubitanter Missa vsi sunt. Ille, vbi de tradendis basilicis, quo totum effudit Ambrosium: Ego mansi in munere, Missam facere cœpi, orare in oblatione Deum vt subueniret.

(Epistola 33.)

LEONIS est hæc oratio: Nec publicè in Missa quenquam pœnitentem reconciliare, &c. Necesse est (alio loco inquit) vt quædam pars populi sua deuotione priuetur: si vnius tantum Missæ more seruato, sacrificium offerre non possunt, nisi qui prima diei parte conuenerint.

(Epistola 88. & 81.)

NEMO mihi persuaserit, ab illis, tametsi non pœnitendis auctoribus, hoc nomen confictum, sed pro consuetudine ab incunabulis Romanæ Ecclesiæ à quibus non longè aberant, vsurpatum.

CÆTERVM à cuius nationis lingua Mißa ad nos defluxerit, hoc tertium est de quo à multis

multis contenditur. Allatus à me Ambrosius subindicat à dimißione censeri, ita vt Latinam Epist.33.
agnoscat, Dimißis, inquit, catechumenis, &c.

SIC qui apud nos est Latinus è Græco Caßianus, congregationis ac vigiliarum Missam Lib.3. ca.7.
vocat, pro fine cum potestate abeundi ac cessandi. hinc à duobus hominum generibus de sacri- & 8.
ficio dimittēdis, duas partes missæ in duas Missas nostri commutarunt, vt alteram Catechume-
norum dixerint, qui ante inchoationem sacrificij è cœtu per diaconum hac voce apud Latinos
emittebantur: Si quis non communicat, det locum, sicut apud Gregorium est, aut vt apud alios; Lib.2. Dia-
Si quis est catechumenus, exeat foras. Alteram fidelium, quibus consummato sacrificio & om- log.cap. 23.
ni re diuina peracta clamat diaconus: Ite missa est, quasi mißio est, vt Rhenanus existimat. In commēt.
hoc etiam factitari solitum in Græca Ecclesia, faciunt vt opiner Athanasius & Chrysostomus: Tertulliani.
hic quidem. Ingressus, ait, es in Ecclesiam ô homo, ne exeas ἐὰν μὴ ἀπολυθῇς, nisi dimittare. Ἐὰν Hom.de Ec
γὰρ πρὸ τῆς ἀπολύσεως ἐξέλθῃς· nam si ante mißionem exieris, perinde vt fugitiuus rationem re- clef.et myst.
posceris. Ille verò inquit, Pleriq; populorum mißione è sacris facta abierant, aliquot muliercu- Epist.ad so-
lis remanentibus, &c. litarios.

HOC solitum quoque in gentium mysteriis non ignoramus, in quibus sacrificijs rem di-
uinam facturus populum rogabat, τίς τῇδε, Quis hic? Cui qui aderant respondebant, πολλοὶ κἀ-
γαθοί. Multi & boni. postremo sacrificium hac voce concludebat, λαοῖς ἄφεσις. quemadmodū
ex Apuleio Beroaldus, Alciatus, Iacobus Spiegel copiosißimè explicant. Non tamen vt ex eo Lib.7. cap.
Missam nostram quasi paganicam accusent hæretici, non magis quàm si ipsos atque vniuersos 10. parerg.
cuiuscunque fidei Christianos paganorum conuitio afficeremus, quia baptizentur, quia pane In Dictio-
& verbu sacris in mysterijs vtantur, quæ atque alia nostra suos facere diabolus Dei æmulus nario Iuris.
atque simia ad rerum nostrarum calumniam docuit, vt admonent Iustinus ac Tertullianus. Apolog. ad
In re quam tractamus obseruo in maioribus meis vix illos vti ἀφέσει pro dimißione, illa ne Antonium.
fortasse cum idololatrarū sermone consentirent, sed ἀπολύσει, vt ex Chrysostomo petes: quā for- De præscri.
tasse sumpserunt ex Lucæ verbo, qui vbi τῶ λειτουργῶ meminit, Tunc ieiunantes, inquit, & orā- Hæretic.
tes, imponentésq; eis manus, ἀπέλυσαν, dimiserūt eos. A quo si ἀπόλυσιν deduxero, quis mihi iure Act.13.
succensebit? Itaque, vt locum hunc concludam, mea est sententia, Latinos nomen missæ accepis-
se à primis Christianis. Sed quoniam rerum potius quàm verborum, pietatis magis quàm eru-
ditionis nostri semper fuerunt studiosi, cùm occurreret in promptu, Missam ex suæ linguæ ety-
mologia exposuerunt. Nec in hac sola voce, quin in omnibus ferè peregrinis ex summis viris a-
liqui sunt semper hallucinati: nullo religionis periculo, vt Iustinus in satana lapsus est, &c. Dial.contra Iudæos.

QVOTIES profecto cum doctis hominibus Missah Hebræorum cum Liturgia Græco-
rum comparo, decedere de sententia nondum possum, quin Missæ nomen Hebræis acceptum re-
feram, apud quos Mas, vnde Missah deflectitur. Indicat quod Iuriscōsulti ciuile munus voca-
uerunt, vt definit Martianus, quod necessario subimus lege, more & imperio eius qui iubendi
habet potestatem, vt sit onus, ministerium & obsequium, sicut promiscuè munus illud à legi-
bus appellatur, & quod pro varia ratione varia sortitur nomina: Quia indicetur indictio
vocitatur, quia colligatur collectio, tributum quia tribuatur, oblatio quia offeratur, exa-
ctio quia exigatur. Arcadius ipsum diuidit in patrimoniale, personale, ac mixtum. Eiusdem
sanè est significatus atque energiæ Mas apud Hebræos, & λειτουργία apud Græcos. Pro onere
personali, Iuuenes eius erunt Lemas, hoc est in tributum, siue ministerium atque obsequium. Esa.31.
Erunt tibi Lamas, in tributum, seu obsequium. Patrimoniale est, Collatio præstatióque vt Deuter. 20.
tributorum, indictionum, oblationum. Sic fecit Rex Salomon ascendere Mas, id est tri- 3.Reg.5.
butum de omni Israel. Sic ex Deuteronomio Missah toties à nostris adnotatum licet explicare. Deuter. 16.
Celebrabis festum diem hebdomadarum domino Deo tuo Missah, id est oblationem sponta-
neam, manus tuæ quam offeres iuxta benedictionem domini Dei tui, ita & Chaldæus para-
phrastes interpretatur, Facies festum hebdomadarum cum oblatione spōtanea, quam dabis se-
cundum quod benedixerit tibi dominus: Quantitas quidem seu muneris seu oblationis erat
libera, sed munus & oblatio necessaria: sic enim concluditur, Non apparebis in conspectu do-
mini vacuus. Mixtum onus ostendit Exodus: Pharao constituit præfectos Mißim quos septua-
ginta verterūt, τοὺς ἐπιστάτας τῶν ἔργων præfectos operum, qui opprimerēt populum dura serui- Exod.1.
tute populíque sumptibus ac laboribus pensum exigerent quotidianum.

CVM igitur Christus rerum parenti Deo omne tributum generis humani persoluerit, om-
ne obsequium animi atq; corporis, & quod habuit deniq; sanguinis summum precium in pu-
blicum expenderit Deo & hominibus conciliandis, totum illud accommodatißimè appella-

*uerimus* Missah. Nos verò cùm non aliud Deo quotidie *præstemus munus, neque aliam oblationem exhibeamus, primos ex* Iudæis Christianos Missah Ecclesiæ *tradidisse nō dubito, cuius* vocem Latini, *quibus adeo proprium nomen & sacrum deerat, merito retinuerūt:* Græci qui*bus maior verborum copia suppetit, in suam* Liturgiam *commutarunt, quæ planè idem efferat.* Est enim λειτουργία κυρίως ἡ δημοσία ὑπηρεσία, παρὰ τὸ λήϊτον καὶ τὸ ἔργον. η. in ι per *systolē mutato, & tum* ε & ι *in* ει *diphthōgum coeuntibus, vt* Etymologici *auctor notat.* Id est, Liturgia *propriè dicitur officium, seu ministerium & munus publicū, à voce antiqua* λήϊτον, *quæ* πρυτανεῖον καὶ δημόσιον, *id est, publicum significat.* De Liturgia *vt tributum est, seu functio alia publica,* Demosthenis contra Leptinem *tota est oratio.*

Suidas, Etymolog.

ff. de excusationib. tutorū. lib. 15.

HINC *pro immunitate passim in* Græcis *legibus, obuia* ἀλειτουργησία, *quam hoc modo attingit* Modestinus, Accipiens vel habens ἀλειτουργησίαν *ciuilium vel publicarum* Liturgiarum, & cæt. Itaque *si placet* Missah Hebræorum *ad* Græcos *traducere, quo id facias aptissimè non aliud quàm* Liturgias *nomen comperies, vt quod æquè latè pateat, nec minoris sit emphasis.* Contra *si* Liturgiam Græcorum *vis ad linguam sanctam reuocare, per* Missah *id cures necesse est.* Si Latinè *vtrunque postulas, nullum quàm* Officij *nomen significantius habebitur, quo* Latina Ecclesia *cùm agitur de sacrificio ac diuino obsequio sæpe delectatur, vt alias docebitur.* Deinceps *cogitandum* Missah *ac* Liturgiam *à sua amplitudine significatus per primos* Christianos *in has angustias esse redacta, vt ad solum* Dei *cultum & sacrificij obsequium vsurpentur.* Græci Lucam Euangelistam *hac in re sunt secuti, cuius quoniam scriptura alio torquetur ab hæreticis, contextum quæso videamus:* Ἦσαν δέ τινες ἐν Ἀντιοχείᾳ κατὰ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν προφῆται καὶ διδάσκαλοι, ὅ,τε Βαρνάβας, καὶ Σίμων καλούμενος Νίγερ, καὶ Λούκιος ὁ Κυρηναῖος, Μαναήν τε Ἡρώδου τοῦ τετράρχου σύντροφος, καὶ Σαῦλος. λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ καὶ νηστευόντων, εἶπε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· Ἀφορίσατε δή μοι τόν τε Βαρνάβαν καὶ τὸν Σαῦλον εἰς τὸ ἔργον ὃ προσκέκλημαι αὐτούς. τότε νηστεύσαντες καὶ προσευξάμενοι, καὶ ἐπιθέντες τὰς χεῖρας αὐτοῖς, ἀπέλυσαν.

Act. 13.

VETVS *sic habet interpretatio:* Erant *autem in* Ecclesia *quæ erat* Antiochiæ, *prophetæ ac doctores, in quibus* Barnabas & Simon *qui vocabatur* Niger, & Lucius Cyrenēsis, & Manahem, *qui erat* Herodis Tetrarchæ *collactaneus, &* Saulus. Ministrantibus *autem illis domino & ieiunantibus, dixit illis* Spiritus *sanctus,* Segregate *mihi* Paulum & Barnabam *in opus ad quod assumpsi eos.* Tunc *ieiunantes & orantes, imponentésque manus eis, dimiserunt illos.* Hæreticorum *cōtra catholicos concertatio est de expositione* λειτουργούντων δὲ αὐτῶν. Hæretici, *siue ministrantibus illis, siue sacrificantibus transferatur, ad docendi officium quod publicum & sacrum apostolis fuit, deriuant: ac se* Chrysostomi *hoc loco profitentur sectatores, cùm nulli magis de sacerdotio & sacrificio quàm* Chrysostomo *repugnent.* Nos *contra, vt ad sacerdotij munus hunc locum referamus, quatuor mouent.* Imprimis *auctoris* Lucæ *stilus, apud quem nō nisi de sacerdotij ac sacrificij negotio* λειτουργεῖν, *& ab eo deducta leguntur, vt* ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας, *cùm de* Zacharia *ageret.* Vt *impleti sunt, inquit, dies officij eius. quod vtique vt litera commonstrat, in re diuina facienda consistebat.* Deinde *locus ipse satis aperit significatū.* Quid *enim tunc ieiunantes & orantes imponentésque eis manus, dimiserunt eos, nisi vt expreßius* Græcè *scribitur,* τότε νηστεύσαντες καὶ προσευξάμενοι, καὶ ἐπιθέντες τὰς χεῖρας αὐτοῖς, ἀπέλυσαν. Id *est completo ieiunio, oratione confecta, ac manibus impositis, eos dimiserūt.* Quod *prius dixerat* λειτουργούντων *ac* νηστευόντων, *alio verbo repetiuit* νηστεύσαντες καὶ προσευξάμενοι, *vt* λειτουργούντων *certè ad orationem, &* Dei *cultum ac rem diuinam pertineat, quemadmodū &* προσευξάμενοι. Tertio *quid singularis commercij cum ieiunio in apostolis habebat docendi officiū, quod passim ac promiscuè administrabant? certe nemo mihi persuadebit, quin hîc diuinus scriptor subindicet singulare ac sacrum quoddam ministerium ac ritum, quo se ad* Dei *spiritum aduocandum cum ieiunio apostoli disponerent.* Postremò *lucem non obscuram huic loco affert traditio primorum* Christianorum *ad nos vsque perseuerans.* Omnes *constanter* Liturgias *nomine sacrificij administrationem nuncuparunt.*

Luc. 1.

Cano. 28. apostolorum.

ITA Apostoli: Si *quis* Episcopus *aut presbyter aut diaconus ob manifesta crimina iuste depositus, ausus fuerit,* ἅψασθαι τῆς ποτὲ ἐγχειρισθείσης αὐτῷ λειτουργίας, *contingere suam de sacrificio administrationem, deponitor. hoc pacto genus istud dicēdi ex* Apostolis *per patres* Gangrensis Concilij *repetitum est.* Presbyteros *qui matrimonia contraxerunt, sperni debere dicunt,* καὶ τῶν λειτουργιῶν τῶν ὑπ' αὐτῶν γινομένων μὴ ἀπτόμενοι, *nec sacrificia quæ ab eis conficiuntur attingi.* Iacobus Missam *suam,* Chrysostomus, Basilius, *atque alij qui rem diuinam tractarunt,* Liturgias *vocabulo expresserunt.* Quoties *de sacro hoc ministerio habetur oratio, patres nullius nominis frequentius quàm liturgias meminerunt.* Ignatius *diaconos ad* Angelorum *exemplar*

In epist. Cōcilij.

huic

huic sacrificio quasi deo in cælis λειτουργοῦντας τὴν λειτουργίαν καθαρὰν καὶ ἄμωμον, inseruire pu- Ad Trallia-
re & immaculate ostendit. Ita quoque patres Gangrensis Synodi, Si quis existimat de presby- nos.
tero qui aliquādo vxorem duxerit, ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν. cano.4.
Id est quod non oporteat eo sacrificante ipsius oblationi communicare, anathema sit. Multa
huius generis occurrant quæ legendis veteribus obseruabit lector Christianus. Post hunc po-
tißimum significatum nouimus nostros per λειτουργεῖν & per λειτουργίαν, non tantum sacrificij
faciendi munus comprehensos, sed omnia ad quæ constituitur omnis pontifex, vt offerat do-
na ac sacrificia atque omnem cultum deo pro populo: cuiusmodi sunt etiam preces statis horis Ad Hebr. 5.
publicæ, quas vocamus Horarias, sacramentorum ministeria, atque alia: ita vt totum conti-
neatur sacrum quod vulgo dicitur Officium: sed maxime vt rem sacrificij attingit, & ad illud
refertur. sic enim apud Gregorium Nanzianzenum est: Si cuncti ad sacerdotij principatum a-
spirent, ac nemo subijci sustineat, æque confusum erit vt si omnes τὴν εἴτε λειτουργίαν χρὴ λέγειν, In Apolo-
εἴτε ἡγεμονίαν, siue ministerium siue principatum vocemus, detrectauerit. Sic enim maxima gia.
ex parte claudicabit, & iam non amplius honestatem suam honesta Ecclesiæ consuetudo re-
tinebit. Quo facto quomodo posthac aut à quibus coletur deus, aut ea quæ mystica sunt ac
sursum ad cælestia ducunt, dispensabuntur, non existente rege, non principe, non sacerdotio, non
sacrificio, non existentibus omnibus quorum olim tanquam maximorum bonorum priuatio-
ne propter grauia scelera immorigeri puniti sunt ac damnati? Sic Ancyranum Cōcilium: Pres-
byteros qui immolauerunt, &c. placuit honorem sedis retinere: Offerre autem, & sermonem
apud populum facere, ἢ ὅλως λειτουργεῖν, id est aut aliquibus sacerdotum officijs fungi, non li- Canon.1.
ceat. Nouimus etiam nō ad solos sacerdotes λειτουργεῖν in hoc sensu pertinere, sed ad omnes ordi-
nes qui ad sacrum ministeriū consecrati publicè sunt & addicti. Interim cum id ingenuè fa-
teamur, impij sunt qui suo more inde sublatum volūt præcipuum significatū, quia ad alia pos-
sit transferri. Quod instituo hoc loco, colligo mihi videri paria Missah & Liturgiam, & Mis-
sam ab Hebræis ad Latinos allatam: Quisquis falsum hoc conuicerit, ei non mediocrem gratiā,
sicuti debeo, habiturus sum.

## DE ALIIS NOMINIBVS QVIBVS GRÆCI Missam vocauerunt. Cap. 5.

ALTERVM Græcis assuetum nomen sacrificij nostri, προσφορὰ est, Latini obla-
tionem ad verbum transtulerunt. Sed ne quem fallat hæreticus, non negamus προσφορὰν non-
nunquam promiscuè legi pro donis oblatis à populo Ecclesiæ & sacerdotibus, quæ propriæ à
veteribus, vt in Gangrensi synodo nominatur καρποφορία. Nemo tamē sinceræ lectionis vir, in-
ficiabitur προσφορὰν à Græcis, & oblationem à nostris sacrificio tribui. Aliàs de Latinis. Anti- Cano.7. &
qua Concilia Græcè habita & conscripta, vulgo rem diuinam nominant, aut λειτουργίαν, aut 7. Gang.
προσφοράν. Neocæsariense. Qui admiserit corporale peccatum & postea presbyter est effectus,
si confessus fuerit, quòd ante ordinationem peccauerit, μὴ προσφερέτω: non quidem offerat, ma- Cano.9.
neat tamen in alijs officijs propter studij vtilitatem. Nicenum: Peruenit ad sanctum Concilium
quod in locis quibusdam & ciuitatibus, presbyteris sacramenta diaconi porrigant. Hoc neque Cano.18.
regula, neque consuetudo tradidit, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ
σῶμα τοῦ χριστοῦ, vt hi qui offerendi sacrificij non habent potestatē, his qui offerunt corpus Chri-
sti porrigant: Ad eum sensum est Nouati historia apud Eusebium. Nouatus ποιήσας γὰρ τὰς προσ-
φορὰς, id est quoties oblationem conficeret, & partem singulis porrigeret, verbis conceptis ad Euseb. lib. 6
iusiurandum cogebat, Iura mihi per corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi, quòd cap. 43.
nunquam me deseres nec redibis ad Cornelium. hoc loquendi genus ποιεῖν προσφορὰς adnota- Lib. 6. cap. 3
tur ex Nicephoro. sic ἁγία προσφορὰ ab Apostolis vocitatur: sic Ignatius inquit, Non licet sine Can. 3. & 7.
episcopo neque baptisare, neque προσφέρειν, id est offerre. Apostolorū
NON raro θυσίας, id est sacrificij nomen, Missæ tradunt: Si quis, aiunt Apostoli, presby- Epistola ad
ter aut episcopus præter domini constitutionem de sacrificio aliquid ad altare offerat, &c. Iu- Smyrnēses.
stinus vbi substitutam antiquis sacrificijs Eucharistiam admonet ex Malachia, appellat προσ- Canon.3.
φερομένην θυσίαν sacrificium, quod offertur à nobis. Assentitur Dionysius in his quæ ex eius li- Dialog. in
bris decerpta suo loco hîc narrantur. Sic Nanzian. ἀναίμακτον θυσίαν dicit, quod solemus incru- Iudæos.
entum sacrificium vertere. sic Ignatius loco proximè allato subiungit, Non licet sine episco- De funere
po offerre, οὔτε θυσίαν προσκομίζειν, οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν, neque sacrificium immolare, neque do- Basilij.
chen siue cœnā celebrare. quo loco per ēnumerationē mihi videtur idem, hoc est missam, sicuti Ad Smyrnē
ses.

uetus interpres transtulit, exprimere. Eadem enim res, id est corpus Christi, offertur Deo ac sacrificatur: deinde in communionem, quam ut alluderet ad Lucæ Euangelium in quo δοχὴ legitur, cœnam nominauit, populo proponitur ac distribuitur. Si cui hæc non placent, mihi satis est in præsentia ut Christianum sacrificium, non sine episcopi auctoritate immoletur. Vulgaria sunt Missæ uocabula ἱερὸν, μυστήριον. Rariora, μυσταγωγία, ἱερουργία, τελετὴ, quorū primo delectatur Nazanzenus.

Or. ad imperatorē irascentem, & Or. de funere patris.

ALTERO utitur Ignatius atque alij: Tertium est de quo multa Budæus, quæ hîc afferam, maxime quæ ad rem nostram pertineant, τελῶ initio significat, & res diuinas facio. Inde τελετὴ expiatio, ceremonia & sacerdotium. Synesius altaris sacrificium uocare solet τελετὴν ἀπόρρητον, quasi arcanam & mysticam ceremoniam. hinc Christus à Mag. Dionysio τελετάρχης est cognominatus, quasi huiusmodi ceremoniæ conditor. hinc Lucianus dixit seruatorem nostrum ἀνασκολοπισθέντα, ὅτι καινὴν τελετὴν εἰσήγαγεν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, in crucē actum, quòd nouum in Palæstinā sacrificium ac ritum inuexisset. hinc Dionysius Eucharistiæ totum negotium uocat τελετὴν τελετῶν, absolutißimum & sacrificium, & ritum, ac sacramentum quo integerrimè perficiamur, ac Deo coagmentemur. Non pauca alia sunt quibus Græci Christiani Missam designarunt, quæ legēdo collige, atque nostra studia adiuua. sicuti est obseruatus à Duareno Iustinianus προσκομιδὴν, quasi illationem seu oblationem, Missam in Nouellis appellasse.

Epist. ad Heronem. Bud. in commentar. linguæ Græcæ. Vide decerpta inferius Lib. 7. cap. 3 de beneficiis

## A QVIBVS LITVRGIA SIVE MISSA atque eius ritus instituti. Cap. 6.

SI PLANE ès indoctus, ut eorum est infinitus numerus qui religioni aduersantur, cum uel eo nomine scientiæ persuasionem induant, continuò responsurus es: Ceremonias omnes Missæ pro libidine pontificum per ætates consarcinatas. Neque profecto alicūde emendicatu testimoniis destitueris. Quasi nos negemus sanctißimos pōtifices hoc in negotio multa præscripsisse: sed postulamus quod est in dei nostri religione usitatißimum animaduerti: instituta, imo etiam antiquitus iam præcepta, sæpe iterum quasi noua præcipi, aut quia nescio quorum culpa desinant, aut non legitimè obseruentur: aut quia ne aliquando antiquentur obrepentibus hominum uitijs, cautius sit prospiciēdum. Sic imperata Abrahæ circuncisio posterioribus seculis à Mose imperatur. Sic omnia propemodum legis capita per prophetas toties à domino promulgantur: sic denique omnium ætatum atque nationum nostri pontifices, necnon Rerum publicarum Principes, sic nostra Concilia decernunt, non pauca ipso dicendi genere quasi inaudita, quæ superioribus Christianorum temporibus leguntur tritißima. Hoc tamen argumentandi genere triumphare sibi uidentur fere de omnibus catholicæ fidei partibus hæretici.

Quantum ad rem præsentem attinet, quo diutius scripturam ac rituum nostrorum antiquitatem intueor, non alio quàm ad Christum atque Apostolos tribus adductus rationibus omnia referre possum. Principio cernimus Christum uestitum mutare, pedes suorum abluere, charitatem supra modum commendare, uerba multa de paßione facere, ex pane & uino acceptis corpus & sanguinem tam uere ab illo confecta quàm haberet & traderet pro mundi uita. Tot preces interim pro omnibus hominibus qui in illum crederēt aut credituri essent fundere. Tot diuinas præceptiones Apostolis tradere: Extremo denique quasi uitæ uerbo ac testamento, iubere ac rogare ut accuratius quod ageret in sui memoriam faceremus. Quid istud obsecro est, quàm mystici nostri spectaculi (ut uocat Dionysius) uelut breuißimum argumentum, quo contineantur omnia, proponere? Non solo animo, non re, non lingua, sed & corporu functionibus eorum quæ geßit æternam uoluit ut præstaremus memoriam.

D. PAVLO (ne quem fallat hæreticus quasi hoc sufficiat) non satis est in huius sacramenti administratione uerba corpus efficientia pronunciare, effectum in Christi commemorationem tradere, nisi quo spectet commemoratio quasi quodam scholio explicet, ut denuncietur, ut declaretur, ut uelut in scena ob oculos hominum ponatur mors domini. Quo uerò apparatu, ac ritu sit agendum, cætera se curaturum cum uenerit pollicetur. Interim uiros accedere aut opertos, aut non sobrios, aut discordes, aut non satis religiosos coarguit, & tamen se alia præter hæc dispositurum prænūciat. Quæ si quæreremus ex D. Pauli discipulo M. Dionysio, aut ex Augustino, non alia comperiemus quàm quæ obseruamus, eáque omnia, aut plura atque maiora ab Apostolis quoque suscepta. Hinc Dionysius præfatur potius in mysterijs inuestiganda quæ tradita sint quàm scripta.

Epist. 118. Diony. cap. 14. de Hierarchia Ecclēst. Hom. 5. in Numer.

HINC Origenes Eucharistiæ siue percipiendæ siue eo ritu quo geritur administrandæ quis

*dæ, quis facile explicet rationem à maioribus acceptam? Hinc ut quisque veterum aliquid de nostris mysterijs doctius attingit, & scribit, non aliò quàm ad Christum & Apostolos & Ecclesiæ nostræ primordia referre legitur. Quod copiosius disseremus tertio volumine, nisi nos, quod optamus, aliquis anteuerterit: quo singulas sacrificij nostri Ceremonias ex reliquijs Orientalis Ecclesiæ plane naufragæ, & pereuntis Latinæ conabimur ad suum ortum reuocare. Interea tertium argumentum rogo memoriæ commendari, quo sæpe Augustinus urget ac certe conuincit, aliquid ab Apostolis relictum & constitutum. Si nullum est dictum ab eo quem putas auctorem & conditorem, quin dictum sit prius, aut toto terrarum orbe usitatum, donec ad Apostolos ventum fuerit. A Iacobo huius perpetuitatis seriem & quasi telam exordimur, tertio inquam volumine, singulos ritus contexturi.* Libr. 4. de baptismo. cap. 23. Epistola 118. &c.

## DE IACOBO, UT IUDAICE ET CHRIstiane sacrificauerit. Cap. 7.

PROPIUS *inspicienti nostras historias, imprimis de Iacobo fratre, id est cognato domini, confitendum est, à Iudæis habitum propter genus & propter vitæ sanctimoniam inter legis sacerdotes, cui pontificatum & pontificatus ornamenta detulerunt, ita ut soli ingredi in sancta sanctorum liceret cum petalo seu lamina aurea. Hoc post Hegesippum, Clementem Alexandrinum, & Eusebium quos profert, Epiphanius duobus locis apertissime sic colligit,* Hæresib. 25. & 78. *Iacobum vitæ puritate Nazaræum, sacerdotio functum esse iuxta vetus sacerdotium reperimus. Quapropter permittebatur ipsi semel in anno ingredi ad sancta sanctorum, velut lex pontificibus præcepit. Sic enim multi retulerunt ante nos de ipso, Eusebius, Clemens, atque alij. Sed & bracteam in capite gestare ipsi licebat, ut relati fide digni viri in suis commentarijs testati sunt. Huiusmodi sacerdotium Iacobo inuidisse Ananum propter nostram religionem, tacite significat Iosephus ab Eusebio non omissus, Christianorum sacerdotio insuper & episcopatui in Hierusalem ipsum ab Apostolis præfectum à me superius nominati cum Hieronymo consentiunt.* Lib. 2. ca. 23 historiæ. De Viris illustrib. *Nam Eusebius ex sexto Clementis hypotyposeon, à Petro, Iacobo, eiusque fratre Ioanne post assumptionem saluatoris Iacobum alterum, Iustum cognominatum Hierosolymorum episcopum constitutum, quanuis à domino alijs ipsi essent prælati, sed gloriam sibi non vendicasse.* Lib. 2. ca. 1. *Ex Iudaico porrò per Iacobum atque alios apostolos in nostrum sacerdotium petalon seu laminam atque alia sacrorum ornamenta translata, quibus ad nostram ætatem apud omnes nationes nostri vestiuntur Episcopi, vel hinc facile adducor ut credam, quòd ex primis Christianis Ephesinus Polycrates apud Eusebium, sacerdotem Ephesi Ioannem Apostolum ex eo indicat, quòd laminam ibi gestarit, non iam pro more Iudæorum quorum Hierosolymis non gereret sacerdotium, sed apud Ephesios Christianorum.* Lib. 3. ca. 31. *Adhæc apud Eusebium sub initium imperij Constantini extat hoc exordium orationis panegyricæ coram Paulino Tyriorum Episcopo habitæ: Amici dei & sacerdotes qui sacra talari tunica, cælestique gloriæ corona ac diuino chrismate, denique sacerdotali sancti spiritus stola decorati estis, &c: vbi mos, ex ab Hebræis sumptum legimus.* Lib. 10. c. 4. *Ex lege autem, ex Polycrate, ex omnium nationum usu, non nisi in sacerdotij & sacrificij officio laminam à pontificibus delatam, quiuis coniiciet. Cum igitur Iacobum bractea ac mitra illa ornari solitum multo certius legamus, quàm alios Apostolos, certe sacerdotio functum & sacrificio inter Christianos longe probabilius concludamus necesse est. Non tacebo quod duobus locis Ignatius Apostolis proximus Stephanum in sacerdotio ministrasse Iacobo Hierosolymis, non obscure commemorat. Nihil sine Episcopis agas, inquit. Sacerdotes enim sunt: tu vero minister sacerdotum: illi baptisant, sacra faciunt, ordinant, manus imponunt: tu vero eis ministras, ut Hierosolymis sanctus Stephanus Iacobo & presbyteris. Quid diaconi, nisi imitatores Angelicarum virtutum, ministrantes ministerium purum & immaculatum, ut sanctus Stephanus, beato Iacobo: & Timotheus ac Linus, Paulo: & Anacletus & Clemens, Petro?* Ad Heronē diaconum. Epistola ad Trallianos quā omnes veteres agnoscunt.

EPIPHANIUS *mysteriorum ac sacrificij ducem Iacobum fratrem domini inter apostolos statuit. A quo, inquit, Episcopo & prædictis Apostolis cōstitutæ sunt successiones Episcoporum & presbyterorum in domo dei, & nusquam mulier inter hos est ad sacrificandum constituta.* Hæres. 79.

## VNDE PROBETVR, LITVRGIAM HANC tribuendam Iacobo. Cap. 8.

Lib. 2. ca. 23
ho. 5. in Matthæum.

SI RATIO quæritur, qua Liturgia hæc, & sacrificandi modus scriptus à Iacobo comprobetur, ex stilo & rebus petendam censeo. oratio simplicissima, neque Epistolæ dissimilis. Res non diuersæ ab his quæ in eadem canonica continentur, & cũ vitæ genere valde consentientes. Tam pius in deum vixit, tam assiduus precator pro populo, vt Obliæ seu melius Ophliæ, id est præsidij pro Israel cognomentũ retulerit, vt genua callum contraxerint, sicut ex alijs narrat Eusebius: vt frons etiam occalluerit, ex procumbendi consuetudine, quemadmodum apud Chrysostomum est. Omnia hæc, Sermo sine artificio, Operum ac pietatis ardens commendatio, De orando tam frequens oratio atque exhortatio, male hactenus habuit nonnullarum ætatum quemadmodum nostræ, hæreticos, vt eius epistolam quasi stramineam obtererent. Neq; illos speramus æquiores futuros huic quæ in lucẽ exit, sacrificij administrationi, quæ certe hominis mores cum simplicitate non minus prodit, quàm Epistola. Ritus ab apostolicis temporibus non discrepant, vt qui fere idem plane sint cum his quos Dionysius percurrit, aut Chrysostomus varijs operum suorũ locis, vti a nobis habes posterius collectos, aut alij Apostolis vicini, sicut tertio volumine non dissimulabimus. Missam hanc ad Iacobum refert Proclus, cuius stilus in præfatione hîc apposita, non alienus videtur à Proclo, qui adeo vehementem catholicum egit contra Nestorium. Extat eius epistola inter libros Cyrilli.

AD EVNDEM refert Nicolaus Methones Episcopus. Eiusdem esse agnoscit Marcus Ephesinus licet non sincerè catholicus. Agnoscit Cardinalis Bessario, eámque eximit ab Apocryphis, vt certæ fidei à Græcis habitam fuisse audiamus. hos habes in hoc volumine suo ordine collocatos. Ex hac Missa hæreticos refellit vniuersale Concilium cognomento in Trullo, sub Iustiniano, cuius verba sunt:

Cano. 32.
Græca Habes initio codicis Græci cum Proclo & alijs.
Citatur de consecratione distinc. 1. canone, Iacobus.

QVONIAM nouimus quòd in Armeniorum regione vinũ tantum in sacra mensa offerũt, aquam illi nõ miscentes, qui incruentum sacrificium peragunt, prætexẽtes Ecclesiæ doctorẽ Ioannem Chrysostomum, propter hæc verba in interpretatione Matthæi: Cuius rei gratia non aquam, sed vinum post resurrectionem bibit? Perniciosam quandam hæresin radicitus euellere voluit, eorum qui aqua in mysterijs vtuntur, ita vt ostenderet, quia & quando hoc mysterium tradidit, vinum tradidit: & quando post resurrectionem in nuda mysterij mensa vino vsus est: ex germine autem, ait, vitis, quæ certè vinum non aquam producit. His verbis existimant magistrum prohibere aquæ oblationem in sancto sacrificio: vt iam nunc ab ignorãtia liberentur, illius patris mentem orthodoxè aperimus. Cùm enim antiquam prauámque Hydroparastatarũ hæresin, qui pro vino sola aqua in sacrificio vsi sunt, subuerteret, vt ostenderet illos aduersari apostolicæ traditioni, illam orationem composuit, quandoquidem & suæ Ecclesiæ vbi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit, quando incruentum peragi sacrificium oportet, ex precioso & honorando nostri redemptoris latere sanguine & aqua, contemperationem attendens quæ in totius mundi viuificationem effusa est, & peccatorum redemptionem. Et in omni etiam Ecclesia, vbi spiritalia luminaria refulserunt, hic ordo diuinitus traditus seruatur. Nam & Iacobus domini nostri Iesu Christi secundum carnem frater, cui primum Hierosolymitanæ Ecclesiæ thronus creditus, & Basilius Cæsariæ archiepiscopus, cuius gloria omnem terrarum orbem peruasit, mystico nobis in scripto tradito sacrificio, ita peragendum in sacro mysterio ex aqua & vino sacrum poculum ediderunt. Et qui Carthagine conuenerunt sancti patres, ita apertè tradiderunt, vt in sacris nihil nisi corpus & sanguis domini offeratur, quemadmodum ipse dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum. Si quis ergo episcopus vel presbyter, non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit, vt aqua vino mixta, sic incruentum offerat sacrificium, deponatur, vt imperfectè ac simpliciter mysterium enuncians, & quæ tradita sunt innouans.

# SANCTI PATRIS NOSTRI

## PROCLI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI DE TRADITIONE DIUINÆ MISSÆ.



*MVLTI quidem & alij diuini pastores, qui Apostolis successerunt, ac Ecclesiæ doctores, sacrorum illius diuinæ Missæ mysteriorum rationem explicantes, scriptis mādatam Ecclesiæ tradiderunt. in quibus primi & clarissimi sunt, beatus Clemens summi illius apostolorum discipulus ac successor, qui sacrosancta illa mysteria à sanctis apostolis sibi reuelata, in lucem edidit: & diuus Iacobus, qui in sortē ecclesiæ Hierosolymitanæ administrandæ vocatus fuit, quique huius primus episcopus à primo illo & summo pontifice Christo deo nostro constitutus est. Magnus porro posteà Basilius hominum socordiam & ignauiam conspiciens, eósque nihil aliud quàm terrena & abiecta cogitantes, & ob id longitudinis Missæ pertæsos, non quòd superuacaneum aliquid aut nimis longum contineret eam arbitraretur, sed vt simul orantium atque audientium ignauiam atque pigritiam præcideret, propterea quòd multum in ea temporis poneretur, breuiorem recitandam dedit. Etenim postquàm Seruator noster in cælum assumptus est, Apostoli priusquam per orbem terrarum dispergerentur conspirantibus animis cōuenientes ad toto die orandum cōuertebantur: & cùm multam cōsolationem in mystico illo dominici corporis sacrificio positam inuenissent, fusissime & longa oratione Missam decantabant. hæc enim diuina sacra vnà cum docendi ratione coniuncta, cæteris rebus anteponenda existimabant. Atque maiori & alacriori rerum diuinarum & sacrificij sacrosancti studio & desiderio flagrabāt, & illud obnixè amplectebantur, quòd in memoria semper haberēt verbū illud domini dicentis, Hoc est corpus meum. &, Hoc facite in meam cōmemorationem. &, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Quare & contrito spiritu multas preces decantabant, diuinum numen impensè orantes: quinetiam eos qui ex Iudæis ac Gentilibus recēter illustrati erant, ad religionem dei & pietatem erudiebant, docebántque veteri doctrina relicta, sacris illis & pietate plenis Missæ mysteriis sensus suos & mentem imbuerent. Per has igitur preces spiritus sancti aduentum expectabant, vt eius diuina præsentia propositum in sacrificium panem & vinum aqua permixtum, ipsum illud corpus & sanguinem seruatoris nostri Iesu Christi efficiat. Qui quidem religiosus ritus obseruatur ad hoc vsque tempus, & ad finē vsque seculi florebit. At posteri abiecta fidei firmitate & feruore, negociis huiusce seculi & curis mundi mancipati & immersi, Missæ longitudinem (vt dixi) pertæsi, vix conueniebant ad audienda domini verba. Quare diuus Basilius medica quadam ratione vsus, breuiorem eam ac concisiorē reddit. Haud multo pòst pater noster Ioannes, cui aurea lingua cognomen dedit, curam ouium, vt pastorem decet, magna alacritate animi suscipiens, ac hominum naturæ socordiam atque ignauiam prospiciens, fibras omnes & radices huius prætextus satanici prorsus auellere voluit. Quare multa præcidit, & vt breuior esset constituit: ne sensim homines libertatem & ocium maximè amplectentes, fallacibus & furiosis aduersarij sermonibus decepti, ab hac apostolica & diuina traditione deficerent: quod multis sæpe accidisse variis in locis ad hunc vsque diem deprehendimus.*



# DIVINA MISSA SANCTI IACOBI
## APOSTOLI ET FRATRIS DOMINI.

PEccatorum multitudine inquinatum ne me spreueris domine deus noster. Ecce enim accedo ad diuinum hoc & supercæleste mysterium tuum, indignus quidem, sed tua bonitate confisus, emitto tibi vocem, Deus sis mihi peccatori propitius: peccaui in cęlum & coram te, neque dignus sum qui oculos obuertam huic sacræ & spiritali mēsæ, in qua vnigenitus filius tuus & dominus noster Iesus Christus, mihi qui peccator sum & omnibus maculis labefactactus, mysticè proponitur in sacrificium. Proinde hanc orationem & gratiarū actionē tibi offero, vt mihi spiritus tuus paracletus mittatur, fortificans ac instaurans me ad hanc Missam, dignúmq; me habe, qui vocem illam quam ex te populo annunciaui, citra meam damnationem proferam, in Christo Iesu domino nostro, cum quo benedictus es vnà cum omnibus modis sancto & bono, & viuificatore, atque consubstantiali tibi spiritu, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

### ORATIO CVM ASSISTIT ALTARI.

Gloria patri & filio & spiritui sancto, trino & vni, luci diuinitatis, quæ est singulariter in trinitate, & quę sine diuisione diuiditur. Trinitas enim vnus deus omnipotens, cuius gloriam cæli enarrant: terra verò eius dominationem, & mare eius omnipotentiam, ac omnis creatura siue ea sensu aliquo sentiatur, siue ratione tantùm intelligatur, eius magnificentiam semper prædicat: quia eum omnis gloria, honor, potentia, magni-

ficentia & decus decet,nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO CVM INCENDITVR THVS, IN *ingreſſu & principio Miſſæ.*

Domine Ieſu Chriſte, dei ſermo, qui tua ſponte te deo ac patri victimam irreprehenſam in cruce obtuliſti, duplicis ille naturæ carbunculus, qui forcipe labia prophetæ attigiſti, & eius peccata abſtuliſti, tange & noſtros qui peccatores ſumus ſenſus,ac nos purga omni macula,puróſque nos ſiſte ſancto altari tuo,vt tibi laudis ſacrificium offeramus: & præſentem hunc ex nobis inutilibus ſeruis tuis ſuffitum recipe,in odorem ſuauitatis,fœtorémque animæ & corporis noſtri fragrantem redde, ac vi illa ſpiritus tui ſanctificante,nos ſanctifica: ſolus enim tu ſanctus es,qui ſanctificas & ſanctificaris fidelibúſque impartiris,quem vnà cum æterno patre tuo ac modis omnibus ſancto,bono & viuifico ſpiritu tuo, gloria decet,nunc & ſemper ac in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO IN PRINCIPIO.

Benefice rex ſeculorum,vniuerſęque creaturæ opifex,recipe ad te accedentem eccleſiam tuam per Chriſtum tuum, & ſingulis quod vtile eſt perfice, omnes ad perfectionem adduc, & nos gratia tuę ſanctificationis dignos redde ,nos in ſanctam tuã eccleſiam cõgregans,quam tibi aſſeruiſti precioſo ſanguine vnigeniti filij tui domini & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti: cum quo benedictus es & laudatus vnà cũ ſanctiſsimo & bono viuificóq; ſpiritu tuo,nũc & ſemper & in ſecula ſeculorũ. Amen.

DIACONVS.

Dominum rurſus oremus.

SACERDOS DICIT ORATIONEM CVM *incenditur thus in ingreſſu congregationis.*

Deus qui admiſiſti Abelis dona, Noe & Abraami ſacrificium, Aaronis & Zachariæ thymiama, accipe quæſo de manibus noſtris qui ſumus peccatores, thus hoc quod tibi adolemus in odorem ſuauitatis, noſtrorúmque peccatorum remiſſionem,ac totius populi tui:quia benedictus es, & te gloria decet patrem & filium ac ſpiritum ſanctum,nunc & ſemper.

DIACONVS

DIACONVS.

Domine benedic.

SACERDOS IPSI ADPRECATVR.

Dominus & deus noster Iesus Christus, qui per immensam bonitatem ac amorem acerrimum crucifixus est, & lancea clauísque perfodi non recusauit: qui arcanum ac tremendum hoc mysterium ad recordationē æternam nobis propagādum exhibuit, benedicat hoc in Christo deo tuum ministerium, benedicat etiam ingressum nostrū, perfectéque absoluat exhibitionem sacri huius nostri ministerij, ineffabili sua miseratione, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

ORANS DIACONVS RESPONDET.

Dominus benedicat dignósque nos faciat qui seraphicè dona feramus, & canticum illud celeberrimum diuini atque ter sancti hymni accinamus ei qui nullius rei est indigus, quíque omni perfectione sanctificante plusquàm plenus est, nunc & semper.

DEINDE CANERE INCIPIT DIACONVS *In ingressu.*

Vnigenite fili & verbum dei, qui es immortalis, ac dignatus es propter nostram salutem ex sancta deipara sempérque virgine Maria carnem induere: sine vlla conuersione homo factus es, crucíque affixus Christe deus, ac morte mortem conculcasti, vnus cùm sis sanctæ illius trinitatis, cum patre sanctóq; spiritu conglorificatus, serua nos.

SACERDOS HANC ORATIONEM DICIT *à foribus vsque ad altare.*

Deus omnipotens, dominus magni nominis, qui nobis aditum ad sancta sanctorum dedisti, per aduentum vnigeniti filij tui, domini ac dei seruatorísque nostri Iesu Christi, supplices tuam imploramus inuocamúsque bonitatem, quandoquidem contremiscimus ac trepidamus ad sanctū altare tuum accessuri, fac illabatur in nos deus tua bona gratia, & nostras animas sanctifica corporáque & spiritus, necnon cogitationes nostras ad pietatem conuerte, vt pura conscientia tibi dona offeramus, munera, fructuum oblationes, vt ea deleantur delicta quę admisimus, & vt toti populo tuo sis propitius, idque gratia & miseratione ac benignitate vnigeniti filij tui, cum quo benedi-

ctus es in secula seculorum. Amen.

POSTQVAM SACERDOS INGRESSVS EST *ad altare, dicit.*

Pax omnibus.

POPVLVS.

Et spiritui tuo.

SACERDOS.

Dominus benedicat nos omnes & sanctificet in ingressu & celebratione diuinorum & immaculatorum mysteriorum, animásque beatas requiescere faciat cum sanctis & iustis, sua ipsius gratia & benignitate, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

DEINDE DIACONVS COLLECTAM DICIT.

In pace dominum oremus.

Vt nobis pacē de cælo det, ac benignè nobiscum deus agat, & seruet animas nostras, dominum oremus.

Vt etiam vniuerso mundo pacem largiatur, & omnes ecclesias vniat, dominum oremus.

Vt remittat nobis peccata ac condonet delicta nostra, atque liberet nos ab omni tribulatione, ira, periculo, necessitate, & hostium insultu, dominum oremus.

DEINDE CANTORES CANVNT ILLVM *hymnum ter sanctum.*

Sancte deus, sancte fortis, sancte immortalis, miserere nostri.

DEINDE SACERDOS INCLINANS SE, ORAT.

Clemens & misericors, longanimis, & multæ misericordiæ, domine verax, respice ex prompto habitaculo tuo, & exaudi nos supplicibus verbis te orantes, ac libera nos ab omni tentatione diaboli & hominum, & ne tuum auxilium à nobis auertas, nósque ne grauius corripias, quàm vires nostræ ferant: non enim superādis aduersis nos sufficimus: sed tu domine potens es seruare nos & eripere ab omnibus calamitatibus & aduersis. Libera nos deus pro tua bonitate ab omnibus angustiis ac molestiis huius mundi, vt pura conscientia ad sanctum altare tuum ingressi, beatúmque & ter sanctum hymnum recinentes vnà cum cælestibus virtutibus, illum citra vllam tui offensionem tibi mittamus, ac tibi grato & diuino oblato sacrificio

ficio, digni abs te habeamur vita æterna.

EXCLAMATIO.

Quoniam ſanctus es domine deus noſter, & in ſanctis habitas ac requieſcis, & tibi gloriam ac ter ſanctum hymnum illum mittimus, patri & filio ac ſpiritui ſancto, nunc & ſemper & in ſecula. POPVLVS. Amen.

SACERDOS.

Pax omnibus.

POPVLVS.

Et ſpiritui tuo.

CANTORES.

Alleluia.

DEINDE LEGVNTVR FVSISSIME ORACVLA *ſacra veteris teſtamenti & prophetarum, & filij dei incarnatio demonſtratur, paſſio, reſurrectio ex mortuis, aſcenſus in cælum, ſecundus præterea aduentus eius cum gloria. Atque id fit ſingulis diebus in ſacra & diuina Miſſa.*

POST LECTIONEM ET DOCTRINAM. *diaconus dicit.*

Dicamus omnes, domine miſerere.

Domine omnipotens, deus patrum noſtrorum oramus te, exaudi nos.

Vt pacem deſuper mittat, & ſeruet animas noſtras, dominum oremus.

Vt totus mundus pace fruatur, ſeruéſque ac faueas populo omni qui Chriſtum amplectitur, te rogamus exaudi nos: liberéſque ab omni tribulatione, ira, periculo ac neceſſitate, captiuitate, morte amara, & iniquitatibus noſtris, te rogamus exaudi nos.

Pro populo circunſtante & expectante à te largam & magnam miſericordiam, ſupplices oramus te vt effundas in eum viſcera miſericordiæ tuæ.

Saluum fac deus populũ tuum, & benedic hæreditati tuæ.

Viſita mundũ tuum in miſericordia, & miſerationibus tuis.

Extolle cornu Chriſtianorum precioſæ & viuificæ crucis potentia.

Domine multum miſericors, te ſupplices oramus, exaudi nos te rogantes, & miſerere.

POPVLVS DICIT TER.

Domine miserere.

DIACONVS.

Oremus dominum vt peccata nobis dimittat, nostrísque delictis det veniam, & liberet nos ab omni tribulatione, ira, periculo, & necessitate.

Vt dies omnes transigamus in perfectione, sanctitate, pace, & sine peccato, omnes à domino petamus.

Angelum pacis, fidelem ducem, custodem animarum & corporum nostrorum, à domino petamus.

Veniam & remissionem peccatorum ac delictorum nostrorum, à domino petamus.

Quæ bona & vtilia sunt animis nostris & corporibus, & vt pacem mundo det, à domino petamus.

Vt reliquum vitæ nostræ tempus in pace & bona valetudine peragamus, à domino petamus.

Vt in Christiana synceráque fide ad finem vsque sine dolore, molestia ac infamia, perseueremus: & bonam defensionem ante verendum & tremendum tribunal Christi, à Christo petamus.

SACERDOS.

Tu enim es bona illa annunciatio, illuminatio, seruator & custos animarum & corporum nostrorum, deus & vnigenitus tuus filius, & spiritus tuus sanctissimus, nunc & semper.

POPVLVS. Amen.

Commemorantes sanctissimam, immaculatam, gloriosissimam dominam nostram matrem dei & semper virginē Mariam cum omnibus sanctis & iustis, nos ipsos & inter nos & omnem vitam nostram Christo deo commendemus.

POPVLVS.

Tibi domine.

SACERDOS.

Deus qui sanctis ac diuinis salutaribúsque oraculis tuis nos instituisti, illumina nostras animas qui peccatores sumus, vt quæ prædicta sunt assequi possimus, nec auditores tantum spiritalium canticorum cernamur, sed & bonorum operum factores, fidémque præstemus non simulatam, vitam inculpabilem, &

lem,& conuersationem irreprehensam.

EXCLAMATIO.

In Christo Iesu domino nostro,cũ quo benedictus es, cum sancto,bono & viuifico spiritu tuo,nunc & semper & in secula.

POPVLVS. Amen.

SACERDOS. Pax omnibus.

POPVLVS. Et spiritui tuo.

DIACONVS. Capita nostra domino inclinemus.

POPVLVS. Tibi domine.

SACERDOS ORAT DICENS.

Domine viuificator & bonorum suppeditator, qui hominibus dominum nostrum Iesum Christum, beatã spem vitæ ęternę dedisti, dignos nos facito,qui in sanctitate hoc quoq; tibi diuinũ sacrũ perficiamus, vt futura beatitudine perfruamur.

EXCLAMATIO.

Vt sub tua potentia semper protecti,& in lucem veritatis deducti,tibi gloriam & gratiarum actionem referamus,patri & filio & spiritui sancto,nunc & semper.

POPVLVS. Amen.

DIACONVS.

Nullus catechumenorum,nullus eorum qui nondum initiati sunt ad sacra, nullus eorum qui orare nobiscum non possunt, ingrediatur. Recognoscite vos inuicem. Ad fores.omnes recti. Deum rursus oremus.

SACERDOS DICIT ORATIONEM INCENSI.

Domine omnipotens rex gloriæ, deus qui omnia nosti antequam ea fiant,adsis nobis in hac sancta hora te inuocãtibus, & redime nos ab infamia peccatorum, expurga mentem nostram & cogitationes ab impuris cupiditatibus ac impostura mundi, omníque diabolica suggestione, & suscipe de manu nostra qui peccatores sumus, hunc suffitum, quemadmodum accepisti ea quæ Abel, Noë, Aaron, & Samuel, ac sancti tui omnes obtulerũt:ab omni mala re nos liberãs & seruans,vt tibi semper grati simus,te adoremus, glorificemus patrẽ vnigenitúmque filium tuum,& spiritum tuum sanctum,nunc & semper & in secula.

ET INCHOANT LECTORES *hymnum cherubicum.*

SILEAT omnis humana ac mortalis caro, stétq; cum metu & tremore, ac nihil terrestre apud se ipsam cogitet: rex enim regnantium & dominus dominantium, Christus deus noster, progreditur vt immoletur ac detur in cibum fidelibus. ipsum autem antecedunt angelorum chori cum omni imperio & potentia, Cherubim multorum oculorum, ac Seraphim sex alarum, faciésque velantia, & cum clamore canentia hymnum, Alleluia, Alleluia, Alleluia.

SACERDOS ADFERENS SANCTA DONA, *hanc orationem dicit.*

DEVS deus noster qui panem cælestem, cibum vniuersi mundi, dominum nostrum Iesum Christum demisisti, seruatorem redemptorémque ac benefactorem, benedicentem & sanctificantem nos, ipse benedic huic oblationi, & eam admitte ad supercæleste altare tuum: memento, vt bonus & humanus, eorum qui obtulerunt, & propter quos obtulerunt: nósque con serues insontes & inculpatos in hac sacra tuorum diuinorum mysteriorum operatione, quoniam sanctificatum est ac glorificatum, venerandum omni ex parte & magnificum nomen tuũ, patris & filij & spiritus sancti, nunc & semper & in secula.

SACERDOS.

Pax omnibus.

DIACONVS. Domine benedicito.

SACERDOS.

BENEDICTVS deus, benedicens & sanctificans nos omnes in hac oblatione diuinorum & ab omni labe mundorum mysteriorum, & in quiete & tranquillitate beatas componens animas cum sanctis & iustis, nunc & semper & in secula seculorum.

DIACONVS. Sapienter attendamus.

SACERDOS.

CREDO in vnum deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ: & in vnum dominum Iesum Christum filium dei. *Et reliqua symboli fidei.*

DEINDE

DEINDE ORAT CERVICE INCLINATA.

DEVS vniuersorum & domine, indignos nos, hac hora dignos redde benignissime, vt puri & mundi ab omni dolo & omni simulatione, in vnū coniungamur inter nos pacis ac charitatis vinculo, confirmati sanctificatione diuinæ tui cognitionis, per vnigenitum filium tuum, dominum & seruatorem nostrum Iesum Christum, cum quo benedictus es cum sancto, bono & viuificatore spiritu tuo, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

DIACONVS.

Stemus honestè, stemus reuerenter, stemus cum timore dei & cum cordis compunctione. In pace dominum oremus.

SACERDOS.

QVONIAM deus es pacis, misericordiæ, dilectionis, commiserationis & humanitatis, tu & vnigenitus filius tuus & spiritus tuus sanctus, nunc & semper.

POPVLVS. Amen.

SACERDOS. Pax omnibus.

POPVLVS. Et spiritui tuo.

DIACONVS.

Osculemur inter nos in sancto osculo. Capita nostra domino inclinemus.

SACERDOS INCLINANS SE, HANC *orationem dicit.*

TV qui solus es dominus & misericors deus, inclinantibus ceruices suas coram sancto altari, & petentibus abs te dona spiritalia, emitte gratiam tuam bonam, & benedic omnibus nobis omni benedictione spiritali & quæ adimi nō posit, qui in altis habitas, & humilia respicis.

EXCLAMATIO.

Quoniam laudabile, adorabile, & pergloriosum est nomen tuum sanctissimum, patris & filij & spiritus sancti, nunc & semper & in secula seculorum.

DIACONVS. Domine benedic.

SACERDOS.

Dominus benedicet & vnà ministrabit nobiscū omnibus, gratia sua & benignitate.

ET RVRSVS.

Dominus benedicet & dignos nos faciet qui aſsiſtamus ſancto altari, nunc & ſemper & in ſecula.

ET RVRSVS.

Benedictus deus qui benedicit & ſanctificat nos omnes qui aſsiſtimus & operamur immaculatis ipſius myſteriis, nunc & ſemper & in ſecula.

DIACONVS COLLECTAM CATHOLICAM *& vniuerſalem facit.*

In pace dominum oremus.

POPVLVS.

Domine miſerere.

DIACONVS.

Serua, miſerere, commiſerare, ac cuſtodi nos deus tua gratia.

Vt mittat deus de cælo pacem, & vt nobis benignus ſit, animaſque noſtras ſeruet, dominum oremus.

Vt vniuerſus mundus in pace viuat, & ſanctæ omnes dei Eccleſiæ vniantur, dominum oremus.

Pro iis qui ſunt vtiles, & præclara opera exequuntur in ſanctis dei eccleſiis, qui pauperes commendatos habent, viduas, & orphanos, peregrinos & indigentes, & qui nobis mandarunt vt memoriam eorum haberemus in orationibus, dominum oremus.

Pro ſenibus & imbecillis, infirmis, laborantibus, & iis qui infeſtantur ab immundis ſpiritibus, vt deus celeriter ſanitatem & ſalutem eis mittat, dominum oremus.

Pro iis qui in virginitate & caſtitate, in monaſteriis, ac in venerando connubio degunt: & pro ſanctis patribus & fratribus qui in montibus, ſpeluncis, & foraminibus terræ exercētur, dominum oremus.

Pro nauigantibus, iter facientibus, peregrinantibus Chriſtianis, ac pro fratribus noſtris qui in captiuitate, exilio, carcere, & dura ſeruitute agunt, vt in pace reuertantur, dominũ oremus.

Pro remiſsione peccatorum, & pro venia erratorum noſtrorum, & vt liberemur ab omni tribulatione, ira, periculo, & neceſsitate, & inſultu hoſtium, dominum oremus.

Vt aerem temperatum reddat, pluuias lenes, rores benignos, fructuum

fructuũ magnam vim,& vt annus plenam nobis omnium rerum copiam ſuppeditet,& totius anni curriculo fructus nobis abundent,dominum oremus.

Pro omnibus patribus & fratribus noſtris, præſentibus & nobiſcum orantibus in hac ſancta hora,& omni tempore, vt ſtudioſi,laborioſi,alacres ac diligentes ſint,dominũ oremus.

Pro omni anima Chriſtiana afflicta & vexata, miſericordiæ & auxilij dei indigente, & vt errantes reuertantur & redeant ad pietatem,vt infirmi conualeſcant,captiui liberentur,patréſq; ac fratres noſtri qui antè obierunt,in pace requieſcãt,dominum oremus.

Vt oratio noſtra exaudiatur & accepta ſit coram deo,& vt mittat nobis largam miſericordiam & commiſeratione͂ ſuam, dominum oremus.

Commemoratione͂ agamus ſanctiſsimæ, immaculatæ,glorioſiſsimæ, benedictæ,dominæ noſtræ, matris dei & ſemper virginis Mariæ ac omnium ſanctorum & iuſtorum, vt precibus atque interceſsionibus eorum omnes miſericordiam conſequamur.

Pro propoſitis precioſis, cæleſtibus, ineffabilibus, immaculatis,glorioſis,reuerendis,horrendis & diuinis donis,& vt ſeruet præſentem ſacerdotem qui ea offert, dominũ deum ſupplices imploremus.

POPVLVS. Domine miſerere. TER.

DEINDE SIGNACVLA CRVCIS SACERDOS.
*facit ſuper dona,& ſtans,apud ſe ſic dicit.*

Gloria in excelſis deo,& in terra pax,hominibus bona voluntas. TER.

Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. TER.

Impleatur os meum laude tua domine,vt celebrem gloriam tuam,toto die magnificentiam tuam. TER.

Patris. Amen. Filij. Amen. Et ſpiritus ſancti. Amen. nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

ET INCLINANS SE HINC ET INDE, DICIT.

Magnificate dominum mecum,& exaltemus nomen eius in idipſum.

ET RESPONDENT.

Spiritus sanctus veniet super te,& virtus altissimi obumbrabit tibi.

DEINDE SACERDOS DIFFVSE.

DOMINE domine qui visitasti nos in misericordia &commiseratione,& nobis abiectis peccatoribus ac indignis seruis tuis,concessisti vt confidentes accederemus ad sanctum altare tuum,& offerremus tibi verendum hoc & incruentum sacrificium pro nostris peccatis,& ignorantiis populi,respice in me seruũ tuum inutilẽ,& dele per viscera misericordiæ tuæ delicta,& pura redde labia mea & cor ab omni inquinatione carnis & spiritus,& auerte à me omnem cogitationem turpem & insipientem,& idoneum me fac virtute spiritus tui sanctissimi ad hoc sacrum ministerium, & recipe me tua bonitate accedentem ad sanctum altare tuum. Et placeat tibi domine vt hęc quę offerimus dona manibus nostris, accepta tibi sint, meísque infirmitatibus cõdones: & ne me proiicias à facie tua,neq; meam indignitatem auerseris,sed miserere mei secundum magnam misericordiam tuam,& secundũ multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas, vt inculpatè accedens ante gloriam tuam, dignus sim qui operiar protectione vnigeniti filij tui,& illuminatione spiritus tui sanctissimi,nec vt seruus peccati reprobus fiam,sed vt seruus tuus gratiam inueniam & misericordiam,ac peccatorum remissionem coram te,nunc & in futuro seculo. Næ dominator omnipotens & omnibus viribus prædite domine,exaudi orationẽ meam:tu es enim qui omnia in omnibus agis,& abs te omnes quærimus in omnibus auxilium & subsidium,& ab vnigenito filio tuo, & à bono & viuificante & consubstantiali spiritu,nunc & in secula.

DEVS qui propter magnũ atq; ineffabilem erga homines amorem,misisti filium tuum vnigenitum in mundum, vt ouem errãtem reduceret;ne auerseris nos peccatores,verẽdum hoc & incruentũ sacrificiũ attrectãtes:non enim nostra iustitia cõfidimus,sed benigna misericordia tua, qua genus nostrũ redimis,supplicamus & imploramus bonitatẽ tuam,ne mysterium hoc quod ad salutem nobis dispensatum est, in condemnationem populo sit,sed in abolitionem peccatorum,ac animarum

& corporum

& corporum renouationem, vtque deo & patri gratum sit, per misericordiam & humanitatem vnigeniti filij tui, cum quo benedictus es cum sanctissimo, bono & viuificante spiritu tuo, nunc & semper & in secula.

DOMINE deus qui nos creasti, & in hanc vitã protulisti, qui nobis viam ad salutẽ ostendisti, & benignè nobis mysteria cælestia detexisti, quíque nos huic ministerio præfecisti in virtute sanctissimi spiritus tui: placeat tibi domine vt nos ministri simus tui noui testamenti, ac sacrificij immaculatorum tuorum mysteriorum: & admitte nos accedentes ad sanctum tuum altare secũdum multitudinem misericordiæ tuæ, vt digni simus qui offeramus tibi munera & sacrificium pro nobis & pro iis quæ populus per ignorantiam admisit: dáque nobis domine, vt tibi cum omni metu ac pura cõscientia hoc sacrificium spiritale atque incruẽtum offeramus: quod vbi admiseris in sanctum, supercæleste ac intellectuale tuum altare, in odorẽ suauitatis spiritalis, vicissim mitte nobis gratiã spiritus tui sanctissimi. ô deus respice in nos, & ad nostrum hoc rationale obsequium intuere, idq; accipe, vt Abel dona accepisti, Noe sacrificia, Mosis & Aaronis sacerdotia, Samuelis pacifica, Dauidis pœnitentiam, Zachariæ incensum: vt de manu apostolorum tuorum verũ hunc cultum accepisti, ita quoq; è manibus nostris qui peccatores sumus, recipe munera hæc proposita per tuam benignitatem: & fac vt oblatio nostra grata & acceptabilis sit, per spiritum sanctum sanctificata, in propitiationem peccatorum nostrorum, & eorum quæ populus per ignorãtiam admisit, & in requiem animarum eorum qui ante nos dormiunt, vt & nos abiecti & peccatores & indigni serui tui, digni habiti qui sine dolo ministremus sancto altari tuo, mercedem accipiamus fidelium & prudentium dispensatorum, gratiámque inueniamus & misericordiam in die illa tremenda retributionis tuæ iustæ & bonæ.

ORATIO VELAMINIS.

GRATIAS tibi ô domine deus noster agimus, quòd nobis fiduciam dederis ad ingressum sanctorũ tuorum: quam renouasti nobis viam recentem & viuentem per velamen carnis Christi tui. Dignos igitur cùm nos feceris qui ingrediamur in locum tabernaculi gloriæ tuæ, simúsque intra illud velum, &

aspiciamus sancta sanctorum, flectimus genua ad tuam bonitatem domine, miserere nostri: quādoquidem veremur ac tremimus, quum tuum sanctum altare nobis accedendum est, & offerendum sacrificium hoc verendum & incruentum pro nostris peccatis & pro iis quæ populus per ignorātiam admisit. Emitte ò deus, tuam bonā gratiam, & sanctifica animas nostras, corpora spiritúsque: & conuerte cogitationes nostras ad pietatem, vt in pura conscientia tibi oleum pacis offeramus, sacrificiū laudis, per misericordiam & benignitatem vnigeniti filij tui, cum quo benedictus es, cum sancto, bono & viuificatore spiritu tuo, nunc & semper. POPVLVS. Amen.

SACERDOS. Pax omnibus.

DIACONVS.

Stemus honestè, stemus reuerenter, stemus cum timore dei & compūctione: attenti simus diuinæ oblationi, vt deo pacem offeramus.

POPVLVS. Oleum pacis, sacrificium laudis.

SACERDOS.

ET reuelans inuolucra ænigmatum, quæ symbolicè hoc sancto sacrificio circundantur, clarè nobis ostēde: & imple oculos nostri intellectus luce illa incōprehensibili, & paupertatem nostram purificatam ab omni inquinamento carnis & spiritus, dignam effice, quæ accedat ad hoc verendum & horrendum ministerium: quia mirum in modum benignus & misericors deus es, & tibi gloriam & gratiarum actionem referimus, patri & filio & sancto spiritui, nunc & semper & in secula.

DEINDE EXCLAMATIO.

Charitas domini & patris, gratia domini & filij, & communicatio ac donum spiritus sancti sit cum omnibus vobis.

POPVLVS. Et cum spiritu tuo.

SACERDOS. Attollamus mentem & corda.

POPVLVS. Dignum & iustum est.

DEINDE SACERDOS ORAT.

VERE dignum & iustum est, decens & debitum, vt te laudemus, te hymnis celebremus, tibi benedicamus, te adoremus, tibi laudem decantemus, tibi gratias agamus omnis creaturæ visibilis ac inuisibilis opifici, thesauro æternorum bonorum,

rum,

rum,fonti vitæ & immortalitatis,omniũ deo ac domino:quem cæli et cæli cælorum laudibus celebrant,ac omnis virtus eorum: sol & luna,vniuersúsque astrorum chorus,terra,mare,et omnia quæ in eis sunt: Hierusalem cælestis congregatio, ecclesia primogenitorum descriptorum in cælis:spiritus iustorum & prophetarum: animæ martyrum et apostolorum, Angeli,Archangeli,Throni,Dominationes,Principatus,Potestates ac Virtutes tremendę,Cherubímque multos oculos habentia,et Seraphim sex alis prædita, quæ duabus quidem alis operiunt facies suas: duabus verò,pedes,& reliquis duabus volantia,clamãt alterum ad alterum incessabili voce,perpetuis laudibus.

EXCLAMATIO.

Hymnum triumphalem tuæ magnificæ gloriæ,clara voce canentia,clamantia,glorificantia,vociferantia ac dicentia.

POPVLVS.

SANCTVS,sanctus,sanctus,dominus sabaoth,plenum cælum et terra gloria tua, osanna in excelsis.

Benedictus qui venit in nomine domini,osanna in excelsis.

SACERDOS SIGNACVLA FACIENS *crucis super dona,dicit.*

SANCTVS es rex seculorum & omnis sanctitatis dominus & dator:sanctus et vnigenitus filius tuus, dominus noster Iesus Christus, per quem omnia fecisti: sanctus & spiritus tuus sanctus, qui omnia perscrutatur, etiam profunditates tuas qui deus es:sanctus es omnipotens, et in omnia potestatem habens,bone,reuerendæ,misericors & compatiens maximè creaturæ tuæ,qui fecisti hominem ex terra ad imaginem et similitudinem tuam: qui dedisti ei vt paradiso frueretur: qui eum postquam transgressus est mandatum tuum & lapsus est, non despexisti neque dereliquisti ò benigne, sed correxisti eum vt misericors pater,eum per legem vocasti, per prophetas eum instituisti:postremò autem, ipsum vnigenitum filium tuum dominum nostrum Iesum Christum demisisti in mũdum,vt veniens tuam renouaret atque exuscitaret imaginem: qui de cælo descendit, et carne indutus est ex spiritu sancto & Maria virgine matréque dei: qui conuersatus cum hominibus, omnia dispensauit ad salutem generis nostri: et qui voluntariam & viui-

ficam per crucem mortem expers ipse peccati pro nobis peccatoribus subiturus, ea nocte qua tradebatur, vel potius se ipsum tradebat, pro vita & salute mundi.

DEINDE SACERDOS PANEM MANIBVS *accipiens, dicit.*

ACCIPIENS panem in sanctas, immaculatas, inculpabiles & immortales manus suas, in cælum suspiciens, ac tibi deo & patri ostendens, gratias agens, sanctificans, frangēs, dedit nobis discipulis suis & apostolis dicens:

DIACONI DICVNT.

In remißionem peccatorum & in vitam æternam.

DEINDE EXCLAMAT.

Accipite, comedite: Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur & datur in remißionem peccatorum.

POPVLVS. Amen.

DEINDE ACCIPIT CALICEM ET DICIT.

SIMILITER postquam cœnauit, accipiens calicem & permiscens ex vino & aqua, & aspiciens in cælum ac ostendens tibi deo & patri, gratias agens, sanctificans, benedicēs, implens spiritu sancto, dedit nobis discipulis suis dicens, Bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus, noui testamenti, qui pro vobis & multis effunditur & datur in remißionem peccatorum.

POPVLVS. Amen.

SACERDOS.

HOC facite in meam commemorationem: quotiescūque enim comederitis panem hunc, & hunc calicem biberitis, mortem filij hominis annunciatis, & resurrectionem eius confitemini donec veniat.

DICVNT DIACONI.

Credimus & confitemur.

POPVLVS.

Mortem tuam domine annunciamus, & resurrectionem tuam confitemur.

SACERDOS.

MEMORES igitur & nos peccatores paßionum eius viuificarum, crucis salutaris ac mortis, sepulchri & resurrectionis à mortuis tertio die, ascensionis in cælos & assessionis eius ad dexteram tuam dei & patris, & secundi gloriosi & tremen-

di

di eius aduentus, cùm veniet cum gloria ad iudicandum viuos & mortuos, cùm reddet vnicuique secundum opera eius, offerimus tibi domine hoc sacrificium verendum & incruentum, orantes ne secundum peccata nostra nobiscum agas, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis, sed secundū æquitatem tuam & ineffabilem humanitatem tuam prætergrediens atque delens chirographum illud quod est contra nos famulos tuos. largire nobis cælestia & æterna tua dona, quæ oculus non vidit, & auris nō audiuit, & in cor hominis non ascēderūt, quæ præparasti deus diligentibus te: neque propter me & propter mea peccata repudies populum benigne domine.

DEINDE DICIT, TER REPETENS.

Populus enim tuus & ecclesia tua supplicant tibi.

POPVLVS.

Miserere nostri domine deus, pater omnipotens.

RVRSVS SACERDOS DICIT.

Miserere nostri deus omnipotens.
Miserere nostri deus seruator noster.
Miserere nostri deus secundum magnam misericordiam tuam, & demitte super nos & super hæc dona proposita spiritum tuum sanctissimum.

DEINDE INCLINATA CERVICE DICIT.

DOMINVM, viuificū, vnà tecum deo patre & vnigenito filio tuo assidentem, simul regnantem, cōsubstantialem, & coæternum, qui loquutus est in lege & prophetis: & in nouo tuo testamento, qui descendit in specie columbæ super dominum nostrum Iesum Christum in Iordane fluuio, & mansit super eum: qui descendit super apostolos tuos in specie ignearum linguarū, in cœnaculo sanctæ & gloriosæ Sion in die pentecostes: ipsum spiritum tuum sanctissimū demitte nūc quoq; domine in nos, & in hæc dona sancta proposita.

ET ERIGENS SE EXCLAMAT.

Vt superueniens, sancta & bona & gloriosa sua præsentia sanctificet & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui.

POPVLVS. Amen.

SACERDOS.

Et calicem hunc preciosum sanguinem Christi tui.

POPVLVS. Amen.

SACERDOS APVD SE STANS.

VT sit omnibus ex his ſumentibus in remiſsionem peccatorum, & in vitam æternam, in ſanctificationem animarum & corporum, ad fructus bonorum operum ferendos, in cõfirmationẽ ſanctæ tuæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ, quam fundaſti ſuper petram fidei, vt portæ Inferorum ne preualeant aduerſus eam: liberans eam ab omni hæreſi & ſcandalis & iis qui operantur iniquitatem: ſeruans eam vſque ad cõſummationem ſeculi.

ET INCLINATVS AIT.

OFFERIMVS tibi domine & pro ſanctis tuis locis, quos glorificaſti diuina apparitione Chriſti tui, et aduentu ſanctiſsimi tui ſpiritus: & præcipuè pro glorioſa Sion matre omniũ eccleſiarum: ac pro ſancta tua catholica & apoſtolica eccleſia, quæ eſt per vniuerſum orbẽ: larga dona ſancti tui ſpiritus nunc quoque ſuppedita ei domine.

Memento domine & ſanctorum patrum fratrúmque qui in ea ſunt, ac epiſcoporum qui per vniuerſum orbem orthodoxa fide diſtribuunt verbum tuæ veritatis.

Memento domine et omnis ciuitatis ac regionis, eorúmque qui in orthodoxa fide in iis habitant, vt in pace ſecuritatéque degant.

Memento domine nauigantium, iter facientium, peregrinantium Chriſtianorum, in vinculis et cuſtodiis detentorum, captiuorũ, exulum, eorum qui ad metalla & ſupplicia damnati ſunt, & qui in dura ſeruitute agunt, patrum & fratrum noſtrorũ.

Memento domine infirmorum, & laborantium, & eorum qui ab immundis ſpiritibus infeſtantur, vt à te deo celeriter ab iis ſanentur & ſeruentur.

Memento domine omnis animæ Chriſtianæ afflictæ & vexatæ, implorantis miſericordiam & auxilium à te deo: conuerſionis etiam errantium.

Memento domine laborantium & miniſtrantium nobis, patrum & fratrum noſtrorum propter nomen ſanctum tuum.

Memento domine omnium vt benignè illis facias: omnium miſerere domine, omnibus nobis reconciliare: redde multitudinem

nem populi tui pacificã, dissipa scandala, aboleto bella: siste hæreseon irruptiones: pacem tuam tuámque charitatem largire nobis deus seruator noster, qui es spes omnium finium terræ.

Memento domine temperiei aeris, imbrium lenium, mitis roris, vbertatis fructuũ, & in totius anni circulum benignitatis tuæ. oculi enim omnium in te sperant, & tu das illis escam in tempore opportuno: aperis tu manũ tuam, & imples omne animal benedictione.

Memento domine eorum qui fructificãt, & præclara edunt facinora in ecclesiis tuis sanctis: & eorum qui pauperes, viduas, orphanos, peregrinos & egenos in memoria habent: & eorum omnium qui nobis mandarunt, vt sui memores essemus in orationibus.

Præterea meminisse digneris domine eorum qui has oblationes obtulerunt hodierno die ad sanctum altare tuum, & pro quibus vnusquisque obtulit, vel in mente habet, & eorum quos nuper tibi recensui.

Memento domine secundum multitudinem misericordiæ tuæ & miserationum tuarum, mei etiam qui abiectus & inutilis seruus tuus sum, & diaconorum circunstantium sanctum altare tuũ: ac largire eis vitam inculpatã: eorum ministeriũ sine macula conserua, & gradus bonos affere tibi, vt inueniamus misericordiã & gratiã cum omnibus sanctis tuis qui ab æterno tibi placuerunt per generationem ac generationem, maiorum nostrorum, patrum, patriarcharum, prophetarum, apostolorũ, martyrum, confessorum, doctorum, sanctorum & omnis spiritus iusti in fide Christi tui consummati.

Aue Maria gratia plena: dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, quia saluatorem peperisti animarum nostrarum.

DEINDE EXCLAMAT SACERDOS.

PRECIPVE sanctissimæ, immaculatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ dominæ nostræ, deiparæ semperque virginis Mariæ.

CANTORES.

Dignum est vt te verè beatã dicamus deiparam, semper beatam, & omnibus modis irreprehẽsam, & matrem dei nostri, ho-

norabiliorem quàm Cherubim, & gloriosiorem quàm Seraphim, quæ sine corruptione deum verbum peperisti, te reuera deiparam magnificamus.

ET RVRSVS CANVNT.

TIBI ò plena gratiæ, vniuersa creatura gratulatur, angelorum cœtus & hominum genus, quæ es templum sanctificatum, paradisus spiritalis, virginum gloria, ex qua deus carnem assumpsit, & puer factus est deus noster qui est ante secula. tuũ enim vterum thronum fecit, & tuum ventrem latiorem ac ampliorem cælis ipsis reddidit. tibi ò gratiæ plena vniuersa creatura gratulatur: gloria tibi.

DIACONVS. Memento domine deus noster.

SACERDOS INCLINATVS DICIT.

MEMENTO domine deus noster spirituum & vniuersæ carnis, quorum memoriam egimus, & quorum non egimus, orthodoxorum ac rectè de fide sentientium, ab Abel iusto vsque ad hodiernũ diem: fac eos requiescere in regione viuentium in regno tuo, in deliciis paradisi, in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob, sanctorum patrum nostrorum: vnde exulat dolor, tristitia et gemitus: vbi præsidet lumen vultus tui, & perpetuò refulget. nostræ verò vitæ fines, Christianos, acceptabiles, & peccatis puros in pace dirige domine domine, colligens nos sub pedes electorum tuorum, quando voles & vt voles: duntaxat, sine infamia et offensionibus, per filium tuum vnigenitũ dominum, deum, ac seruatorem nostrum Iesum Christum: ipse enim solus est qui absq; peccato apparuit super terram.

DIACONVS.

Et pro pace & tranquillitate totius mundi, et sanctarum dei ecclesiarum, et pro quibus vnusquisque obtulit, vel cogitat offerre, & pro omni populo circunstante, et pro omnibus.

POPVLVS. Pro omnibus.

SACERDOS EXCLAMAT.

Per quæ & nobis et ipsis vt benignus et humanus,

POPVLVS.

Remitte, ignosce, et condona deus peccata nostra voluntaria, et non volũtaria: quæ opere admisimus, quæ verbo: quæ prudentes,

dentes, et imprudentes: quæ noctu, quæ interdiu: quæ animo & cogitatione: omnia nobis condona, vt bonus et benignus.

SACERDOS.

GRATIA & misericordia ac benignitate vnigeniti filij tui, cum quo benedictus es & glorificatus, cum sanctißimo bono, et viuifico spiritu tuo, nunc et semper et in secula.

POPVLVS. Amen.

SACERDOS. Pax omnibus.

POPVLVS. Et spiritui tuo.

DIACONVS.

Etiam atque etiam semper dominum in pace oremus.

Pro oblatis & sanctificatis preciosis, supercælestibus, ineffabilibus, immaculatis, gloriosis, tremēdis, horrendis, diuinis donis domino deo, oremus.

Vt dominus deus noster acceptis iis in sanctum & supercæleste, mentale & spiritale altare suum, in odorem spiritalis fragrantiæ, rependat ac mittat nobis diuinam gratiam & donum sanctißimi spiritus, oremus.

Vnitatem fidei, & communicationem sanctißimi eius & adorandi spiritus postulantes, nos ipsos, ac inter nos inuicem, & omnem vitam nostram Christo deo commendemus.

POPVLVS. Amen.

SACERDOS AD HÆC ORAT.

DEVS & pater domini & dei, ac seruatoris nostri Iesu Christi, magni nominis dominus; natura beata, bonitas effusa, deus omnium ac dominus, qui es benedictus in secula, qui sedes super Cherubim, qui à Seraphim glorificaris, cui aßistūt mille milia, & decies milies decies millena milia sanctorum angelorum, et archangelorum militiæ, dona tibi oblata, munera, frugum oblationes, accepisti in odorem suauitatis: sanctificaréque et perficere dignatus es ò bone, gratia Christi tui, & aduentu sanctißimi spiritus tui, sanctifica domine et animas nostras, corpora & spiritus: nostras quoque mentes tange, explora conscientias, omnémque malam cogitationem à nobis aufer, omnem impudicam ratiocinationem, omnem turpem cupiditatem, indecentem omnem cogitationem, omnem inuidiam ac superbiam & hypocrisin: omne mendacium, omnē dolum,

omnem huius vitæ distractionem, omnem auaritiam, omnem vanam gloriam, desidiam omnem, omne vitium, omnē iram, omnem iracūdiam, omnem iniuriarum recordationē, omnem blasphemiam, commotionem omnem carnis & spiritus alienam à voluntate sanctitatis tuæ.

EXCLAMATIO.

Et dignare domine benigne, vt nos audacter & cōfidenter, inculpate, puro corde, animo contrito, facie minimè confusa atque erubescente, labiis sanctificatis, audeamus inuocare te sanctum deum patrem qui in cælis es, & dicere,

POPVLVS.

Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. &c.

SACERDOS INCLINATVS, DICIT.

ET ne nos inducas in tentationem domine domine virtutum, qui nosti infirmitatem virium nostrarum: sed libera nos à malo & operibus eius, ab omni insultu & machinatione eius, propter nomen tuum sanctum, quod inuocatum est super nostram humilitatem.

EXCLAMATIO.

Quoniam tuum est regnum, potentia, & gloria, patris & filij & spiritus sancti, nunc & semper.

POPVLVS. Amen.
SACERDOS. Pax omnibus.
POPVLVS. Et spiritui tuo.
DIACONVS. Capita nostra domino inclinemus.
POPVLVS. Tibi domine.

SACERDOS.

TIBI inclinamus, qui serui tui sumus, domine ceruices nostras coram sancto altari tuo, expectantes copiosam à te misericordiam, abūdantem gratiam tuam, & benedictionem demitte nobis domine, & sanctifica animas nostras et corpora atque spiritus, vt efficiamur digni qui socij & participes simus sanctorum tuorum mysteriorum, in remissionem peccatorum & in vitam æternam.

EXCLAMATIO.

Tu enim adorādus es, et glorificatus es ò deus noster, et vnigenitus filius tuus, & spiritus tuus sanctissimus, nunc et semper.

POPVLVS. Amen.

SACERDOS

SACERDOS EXCLAMAT.

Et erit gratia, & misericordia sanctæ, et consubstantialis, increatæ, & adorandæ trinitatis cum omnibus nobis.

POPVLVS. Et cum spiritu tuo.

DIACONVS. Cũ timore dei & reuerẽtia attẽdamus.

SACERDOS ATTOLLENS DONVM *apud se dicit.*

SANCTE qui in sanctis requiescis domine, sanctifica nos verbo tuæ gratiæ, et aduentu sanctissimi tui spiritus: tu enim dixisti domine, Sãcti eritis, quoniam ego sanctus sum, domine deus noster, verbum dei, incomprehensibilis, et consubstantialis patri et spiritui sancto, coæterne & inseparabilis, suscipe incorruptum hymnum in sanctis & incruentis sacrificiis tuis, vnà cum Cherubim et Seraphim, à me quoque peccatore clamante & dicente.

EXCLAMATIO. Sancta sanctis.

POPVLVS.

Vnus sanctus, vnus dominus, Iesus Christus, in gloriam dei patris, cui gloria in secula seculorum.

DIACONVS.

Pro remissione peccatorũ nostrorum, & propitiatione animarum nostrarum, et pro omni anima afflicta et vexata, misericordiæ & auxilij dei indigente, et conuersione errantium, curatione infirmorum, liberatione captiuorum, requie patrum et fratrum nostrorum qui ante nos dormierunt, dicamus omnes extensa voce, domine miserere.

POPVLVS. Domine miserere. DVODECIES.

DEINDE SACERDOS FRANGIT PANEM, *dimidiúmque dextra, sinistra verò dimidium tenet, & quod tenet manu dextra immergit in calicem dicens.*

Vnio sanctissimi corporis, et preciosi sanguinis domini et dei ac seruatoris nostri Iesu Christi.

ET SIGNAT ID QVOD TENET MANV *sinistra: deinde hoc signato, alterum dimidium signati ac statim incipit diuidere, & ante omnia distribuere in singulos calices partem vnam, dicens.*

Vnitum est & sanctificatum et consummatum, in nomine patris & filij & spiritus sancti, nunc et semper.

ET CVM SIGNAT PANEM, DICIT.

Ecce agnus dei, filius patris, qui tollit peccatum mundi, mactatus pro mundi vita & salute.

ET CVM DISTRIBVIT VNAM PARTEM *in singulos calices, dicit.*

Portio sancta Christi, plena gratiæ & veritatis, patris & spiritus sancti, cui gloria & imperium in secula seculorum.

DEINDE INCIPIT DIVIDERE IN *partes, & dicere.*

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ.

ET RELIQVA PSALMI.

DEINDE.

Benedicam dominum in omni tempore. ET RELIQVA.

DEINDE.

Exaltabo te deus meus rex. ET RELIQVA.

DEINDE.

Laudate dominum omnes gentes. ET CÆTERA.

DIACONVS.

Domine benedic.

SACERDOS.

Dominus benedicet & conseruabit nos à condemnatione in perceptione immaculatorũ donorum tuorum, nunc & semper & in secula.

ET POSTQVAM ABSOLVERINT, DICIT DIACONVS.

Domine benedic.

SACERDOS.

Dominus benedicet, & dignos nos faciet qui puris forcipibus accipiamus igneum carbonem, & imponamus in ora fidelium, ad purgationem & renouationem animarum ipsorum & corporum, nunc & semper.

DEINDE QVOD SEQVITVR.

Gustate & videte quòd benignus est dominus, qui in partes distributus ac non diuisus, & fidelibus impertitus nec consumptus est, in remissionem peccatorũ & vitam æternam, nunc & semper & in secula.

DIACONVS.

In pace Christi cantemus.

CANTORES.

Gustate & videte quòd benignus est dominus.

SACERDOS

SACERDOS ORATIONEM DICIT
*ante communionem.*

DOMINE deus noster, panis cælestis, vita vniuersi, peccaui in cælum & coram te, & non sum dignus particeps fieri immaculatorum tuorum mysteriorum, sed vt misericors deus, dignum me fac gratia tua, vt citra condemnationem particeps fiam sancti corporis et preciosi sanguinis in remissionem peccatorum & vitam æternam.

DEINDE IMPERTIT CLERO. CVM AVTEM
*attollunt diaconi discos & calices ad impertiendum populo, diaconus ait tollens primum discum.*

Domine benedic.

SACERDOS RESPONDET.

Gloria deo qui sanctificauit & sanctificat nos omnes.

DIACONVS AIT.

Exaltare supra cælos deus & supra terram vniuersam: gloria tua, & regnum tuum permanet in secula seculorum.

ET CVM DIACONVS DEPOSITVRVS
*est in mensulam, ait sacerdos.*

Benedictum nomen domini dei nostri in secula.

DIACONVS.

Cum timore dei & fide ac dilectione accedite.

POPVLVS.

Benedictus qui venit in nomine domini.

ET RVRSVM CVM ATTOLLIT DISCVM DE
*mensula, ait.*

Domine benedic.

SACERDOS.

Serua deus populum tuum, & benedic hæreditati tuæ.

SACERDOS RVRSVS.

Gloria deo nostro qui sanctificauit nos omnes.

ET CVM DEPONIT CALICEM SVPER
*sanctam mensam, sacerdos dicit.*

Sit nomen domini benedictum in secula seculorum.

DIACONI ET POPVLVS DICVNT.

Imple os nostrum laude tua domine, & gaudio reple labia nostra, vt laudemus gloriam tuam, & toto die magnificentiam tuam.

ET RVRSVS.

Gratias agimus tibi Christe deus noster, quoniam dignatus

es nos participes fieri corporis & sanguinis tui, in remißionem peccatorum & in vitam æternam.

Vt nos à condemnatione conserues obsecramus, vt qui bonus & benignus sis.

ORATIO SVFFITVS AD EXTREMVM *vestibulum.*

AGIMVS gratias tibi seruatori, vniuersorum deo, pro omnibus bonis quæ nobis præbuisti, & pro sumptione sanctorum & immaculatorũ tuorum mysteriorum: & offerimus tibi suffitum hunc, orantes vt nos conserues sub operimento alarum tuarũ, et digneris nos vsq; ad vltimũ spiraculũ vitæ nostræ participes facere sanctificationũ tuarũ in sanctificationem animarum et corporum, in hæreditatem regni cælorum: quia tu es sanctificatio nostra deus, tibique gloriam & gratiarum actionem referimus, patri & filio et spiritui sancto.

ET INCIPIT DIACONVS IN VESTIBVLO.

Gloria tibi, gloria tibi, gloria tibi Christe rex, verbum patris vnigenitum, quoniam dignatus es vt nos peccatores et indigni serui tui fruamur immaculatis mysteriis tuis in remißioné peccatorum et in vitam æternam. Gloria tibi.

ET CVM VESTIBVLVM TRANSIERIT *diaconus, incipit hunc in modum dicere.*

Etiam atq; etiam & omni tempore in pace dominũ oremus.

Vt perceptio sacrorum eius mysteriorum, valeat nobis ad amoliendam omnem malam rem, in viaticum æternæ vitæ, in communicationem ac donum spiritus sancti, oremus.

SACERDOS ORAT.

DEVS qui propter multam & ineffabilem benignitatem condescendisti infirmitati seruorum tuorum, & dignatus es nos mensæ huius cælestis participes facere, ne condemnes nos peccatores ob perceptionem mysteriorum tuorum immaculatorum, sed conserua nos benigne in sanctificatione spiritus sancti tui, vt sancti effecti, assequamur partem et hæreditatem cum omnibus sanctis qui tibi ab æterno accepti fuerunt, in lumine vultus tui, per misericordiam vnigeniti filij tui domini et dei ac seruatoris nostri Iesu Christi, cum quo benedictus es, cum sancto et benigno atque viuifico spiritu tuo: quoniam benedictum & glorifi-

& glorificatũ eſt omnibus modis honorãdum & magnificum nomen tuum, patris & filij & ſpiritus ſancti, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum.

POPVLVS. Amen.

SACERDOS. Pax omnibus.

POPVLVS. Et ſpiritui tuo.

DIACONVS. Inclinemus capita noſtra domino.

SACERDOS.

DEVS magnus & mirabilis reſpice in famulos tuos, quoniam tibi ceruices inclinauimus: extẽde manum tuam fortem & plenam benedictionibus, & benedic populo tuo: conſerua hæreditatem tuam, vt ſemper & perpetuò glorificemus te ſolum viuentem & verum deum noſtrum, ſanctam & conſubſtantialem trinitatem, patrẽ & filium & ſpiritum ſanctum, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum.

EXCLAMATIO.

Tibi enim conuenit & debetur laus & gloria à nobis omnibus, honor & adoratio ac gratiarum actio, patri & filio et ſpiritui ſancto, nunc et ſemper.

POPVLVS. Amen.

DIACONVS.

In pace Chriſti cantemus.

ET *rurſus dicit.*

In pace Chriſti eamus.

POPVLVS.

In nomine domini, Domine benedic.

ORATIO *quando dimittitur populus, quæ dicitur à diacono.*

EX gloria in gloriam progredientes, laudamus te ſeruatorem animarum noſtrarum. Gloria patri & filio et ſpiritui ſancto, nunc & ſemper et in ſecula, laudamus te ſeruatorem animarum noſtrarum.

SACERDOS *orationem dicit, ab ipſo altari vſque ad armarium.*

EX virtute in virtutẽ progredientes, & abſoluto omni diuino ſacrificio in tẽplo tuo, nunc etiam te oramus domine deus noſter, dignare nos perfecta benignitate: dirige viam noſtram, confirma nos et ſtabili in timore tuo, & nos dignare regno cæleſti, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cũ quo benedictus es cum

sancto,bono et viuifico spiritu tuo, nunc & semper et in secula.

DIACONVS.

Etiam atque etiam ac semper in pace dominum oremus.

ORATIO *quæ dicitur in armario postquam dimissus est populus.*

LARGITVS es nobis domine deus sanctificationē in perceptione sanctissimi corporis & preciosi sanguinis vnigeniti filij tui,domini nostri Iesu Christi : impartire nobis gratiam quoque spiritus sancti tui boni, et conserua nos inculpabiles in fide: deduc nos in perfectam adoptionem & redemptionem,& in futuras illas æternas fruitiones:tu enim es sanctificatio et illuminatio nostra deus,ac vnigenitus filius tuus & spiritus tuus sanctissimus,nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

DIACONVS.

In pace Christi conseruemur.

SACERDOS.

Benedictus est deus,qui benedicit & sanctificat per perceptionem sanctorum, viuificorum et immaculatorum mysteriorum,nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

DEINDE *oratio propitiationis.*

DOMINE Iesu Christe fili dei viuentis,agne ac pastor qui tollis peccatum mundi, qui debitum duobus debitoribus remisisti, & peccatrici mulieri remissionem peccatorum eius concessisti,qui sanitatē paralytico cum remissione peccatorum eius largitus es,remitte,condona,ignosce deus peccata nostra voluntaria et non voluntaria,quæ prudentes et imprudentes perpetrauimus,quæ per transgressionem, & inobedientiam fecimus: quæ spiritus tuus sanctissimus melius nouit quàm serui tui: et si quid à mandatis tuis vt homines carnem gestantes, & mūdum hunc inhabitantes,vel à diabolo seducti,aberrarunt: siue dicto, siue facto,vel in maledictionem inciderunt, aut peculiari anathemate irretiti sunt,rogo & precor ineffabilem tuam benignitatem,vt verbo absoluantur, & vt ipsis condones & iusiurandum & peculiare anathema secundum bonitatem tuam.

Age domine domine, exaudi orationem meam pro seruis tuis,& prætermitte vt iniuriarum immemor omnia eorum errata:ignosce ipsis omne delictum & voluntarium et inuoluntarium:

rium: libera eos ab æterno supplicio. Tu enim es qui præcepisti nobis dicens, Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata in cælis: & quæcũque solueritis super terram, erunt soluta in cælis; quoniã tu es deus noster, deus qui misereri, seruare, et dimittere peccata potes, ac te gloria decet cũ patre sine principio, et spiritu viuifico, nunc & semper et in secula seculoũ. Amen.

## LITVRGIA SEV MISSA S. BASILII, EX VETVSTIS CODICIBVS

*Latinæ tralationis, descripta.*

PRIMVM, PATRIARCHÆ CVM SEQVENTIS *ordinis clero ecclesiasticis vestimentis induto, offeruntur in sacrario ab oblationariis mundatæ & compositæ oblatæ, à populus susceptæ, quas ponit in patenis, & adolens super eas incensum, dicit hanc orationem.*

DOMINE deus noster, qui cælestem panem escam omnis mundi, dominũ deum nostrum Iesum Christum, misisti nobis saluatorem & redemptorem, benefactorem quoque & benedictorem atque sanctificatorem: ipse & nunc domine benedic voluntaria ista, & suscipe ea in supercælesti altari tuo. Memento domine cum benignitate & misericordia, eorum qui illa offerunt, & pro quibus offeruntur, & immaculatos nos conserua sancto tuo mysterio; quoniam sanctificatum & glorificatum est super omnia glorificum nomen tuum, patris & filij & spiritus sancti, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

TVNC *ante aduentum pontificis intrant ecclesiam presbyter & diaconus, & stantibus ante cancellos, dicit presbyter inclinato capite hanc orationem secrete.*

DOMINE deus noster, cuius potestas est sine numero, & gloria sine mensura, qui in misericordia innumerabilis & incomprehensibilis es: ipse dominator domine, secundum clementiam tuam respice in nos, & in sanctam domum istam, & fac nobiscum diuitem misericordiam tuam: quoniam tibi debetur omnis gloria & honor & adoratio, patri & filio & spiri-

tui sancto, nunc & semper et in secula seculorum. Amen.

ET *cantant cantores tres vel quatuor versus psalmi.*

Bonum est confiteri domino.

POST *quos stans diaconus in secundo gradu ambonis, dicit alta voce.*

In pace dominum postulemus.

ET *iterum presbyter dicit secrete hanc orationem.*

Domine deus noster, saluum fac populum tuum, & benedic hæreditatem tuam: plenitudinem ecclesiæ tuæ custodi, sanctifica diligentes decorem domus tuæ, glorificantes te diuina virtute tua, & non derelinquas nos deus sperantes in te.

DIACONVS *dicit alta voce.*

Suscipe, salua, miserere, & custodi nos deus gratia tua. Sanctißimæ & intemeratæ dominatricis nostræ dei genitricis & semper virginis Mariæ, cum omnibus sanctis memorãtes, nos ipsos & ad inuicem atque omnem vitam nostram Christo deo commendemus.

POPVLVS *respondet.* Tibi domine.

PRESBYTER *alta voce.*

Quoniam tuum est imperium, & tuum est regnum, virtus & gloria, pater, & fili & spiritus sancte, nunc & semper et in secula seculorum. *Pop. respondet.* Amen.

ET *cantant cantores in ambone tres vel quatuor versus psalmi.*

Dominus regnauit, decorem indutus est.

CVM Alleluia. ET Gloria.

POST Gloria. DICIT *presbyter.*

Vnigenite fili & verbum dei, cum sis immortalis, dignatus es propter nostram salutem incarnari, & de sancta dei genitrice & semper virgine Maria immutabiliter humanari ac crucifigi: Christe deus noster morte mortem calcasti, vnus qui es de sancta trinitate cõglorificatus patri & sancto spiritui, saluos nos fac.

DIACONVS *in ipso loco stans, dicit.*

In pace dominum postulemus.

POPVLVS *respondet.*

Kyrie eleison.

PRESBYTER *secrete.*

QVI communes istas & consonantes nobis dedisti orationes, quique duobus vel tribus consonantibus in nomine tuo postu-

postulationes tribuere promisisti, ipse & nunc seruorũ tuorum postulationes commodè adimple, dans nobis in præsenti seculo agnitionem tuæ veritatis, & in futuro vitam æternam.

DIACONVS.

Suscipe, salua, miserere, & custodi nos deus gratia tua.

Sanctissimæ & intemeratæ dominatricis nostræ, dei genitricis & semper virginis Mariæ, cum omnibus sanctis memorantes, nos ipsos & adinuicem atque omnem vitam nostram Christo deo commendemus.

POPVLVS *respondet.*

Tibi domine.

PRESBYTER *alta voce.*

Quia benignus & clementissimus es deus noster, & tibi gloriam offerimus, patri et filio et spiritui sancto, nunc et semper et in secula seculorum. *Pop. respondet.* Amen.

ET *cantant cantores.*

Venite exultemus domino. CVM *Antiphona.*

Saluos nos fac fili dei, qui surrexisti à mortuis, cantantes tibi Alleluia.

LITANIA I.

ET *procedit pontifex.* DIAC. *dicit.*

In pace dominum postulemus.

POP. *respondet.* Kyrie eleison.

PONTIFEX *dicit.*

DOMINE deus noster, qui constituisti in cælis ordines & militiam angelorum in ministerium gloriæ tuæ, fac cum introitu nostro introitum sanctorum angelorum fieri, comministrantium & conglorificantium tuam benignitatem: quia te decet omnis gloria & adoratio, & tibi gloriam offerimus patri et filio et spiritui sancto, nunc & semper et in secula seculorum.

POP. *respondet.* Amen.

DIACONVS.

In pace dominum postulemus.

POPVLVS. Kyrie eleison.

DIACONVS.

Pro superna pace & salute animarum nostrarum, dominum postulemus.

POPVLVS. Kyrie eleison.

DIACONVS.

Pro sancta domo ista, & cum fidei reuerentia et timore dei introeuntibus in eam, dominum postulemus.

POPVLVS. Kyrie eleison.

DIACONVS.

Pro archiepiscopo nostro N. honorifico sacerdotio in Christi ministerio, & omni clero & populo, dominum postulemus.

POPVLVS. Kyrie eleison.

DIACONVS.

Pro liberatione nostra ab omni tribulatione, ira, periculo & angustia, dominum postulemus.

POP. Kyrie eleison.

PONTIFEX *secretè orationem ad ter sanctum hymnum.*

DEVS sanctus, qui in sanctis requiescis, & ter sancta voce à Seraphim laudaris, & à Cherubim glorificaris, & ab omni cælesti virtute adoraris: qui ex nihilo esse fecisti vniuersa, qui creasti hominem secũdum imaginem & similitudinem tuam, omníque tuo dono eum ornasti, dans postulanti sapientiam et intellectum, & non despiciens peccantem, sed posuisti pœnitentiam in salutem: qui dignatus es nos humiles et indignos seruos tuos in hora hac stare coram altari gloriæ tuæ, & debitam tibi adorationem & glorificationem offerre: tu domine accipe ex ore nostro peccatorum, ter sanctum hymnum, & visita nos in benignitate tua: & indulge nobis omne delictum, volũtarium etiam & non voluntarium. Sanctifica nostras animas & corpora, & da nobis in sanctitate deseruire tibi omnibus diebus nostris, intercessionibus sanctæ dei genitricis et omnium sanctorum qui à seculo glorificauerunt te.

LEVANTE *sacerdote caput, diaconus dicit.*

Suscipe, salua, miserere, & custodi nos deus gratia tua.

Sanctæ & intemeratæ dominatricis nostræ, dei genitricis & semper virginis Mariæ, cum omnibus sanctis memorantes, nos ipsos & adinuicem atque omnem vitam nostram Christo deo commendemus.

*Populus respondet.* Tibi domine.

SACERDOS *excelsa voce.*

Quia sanctus es deus noster, & tibi gloriam offerimus, patri & filio

& filio & spiritui sancto, nũc & semper & in secula seculorum.

*Pop. respondet.* Amen.

*ET cantant cantores.*

Sanctus deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis, miserere nobis.

*ET ascendit pontifex cum sacerdotibus & diaconis ad thronũ, & descendentibus cantoribus de ambone, dicit pontifex.*

Pax vobis.

*Respondet populus.* Et cum spiritu tuo.

*ET sedet pontifex cum sacerdotibus, stantibus diaconis ac subdiaconis & clero ac populo, & cantatur responsum in ambone. Inde legitur apostolus. Inde,*

Alleluia *cantatur.*

*Deinde descendit pontifex de sede, & inclinanti sibi diacono dicit.*

Dominus dabit verbum euangelizantibus virtutem suam.

*ET legitur euangelium stantibus omnibus cum timore & reuerentia.*

LITANIA II.

*LECTO euangelio diaconus in ambone.*

Dicamus omnes, Kyrie eleison. *Pop.* Kyrie eleison. *Diac.*

Ex omni anima, & ex omni mente dicamus omnes, Kyrie eleison. *Pop.* Kyrie eleison. *Iterum diaconus.*

Domine omnipotens deus patrum nostrorum, qui es diues in misericordia, & benignus in miserationibus, postulamus te, exaudi & miserere. *Pop.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Qui non vis mortem peccatorum, sed conuersionem & vitam ac pœnitentiam, postulamus te, exaudi & miserere.

*Pop.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Pro sancta domo ista, & cum fidei reuerentia ac timore dei introeuntibus in eam, dominum postulemus.

*Pop.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Pro archiepiscopo nostro N. honorifico sacerdotio in Christi ministerio, & omni clero & populo, dominũ postulemus.

*Pop.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Pro piissimo & à deo conseruando imperatore nostro, omníque palatio & exercitu eius, dominum postulemus.

*Pop.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Pro quo & pugnare dominum deum nostrum, & subiicere sub pedibus eius omnem hostem & bellatorem, dominum postulemus.

POPVLVS. Kyrie eleison. DIACONVS.

Pro liberatione nostra ab omni tribulatione, ira, & periculo & angustia, dominum postulemus.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Pro circunstante populo & expectãte eam quæ apud eum est, diuitem misericordiam, dominum postulemus.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Miserere nostri deus secundum magnam misericordiam tuam, postulamus te, exaudi & miserere.

*Populus.* Kyrie eleison. *Per duodecim vices: tunc conuertit se pontifex ad populum, & facit tres cruces super eum: primam in medio, secũdam ad sinistram partem, tertiam ad dexteram, & conuertit se iterum ad altare & dicit.*

Quia misericors & clementissimus deus es, & tibi gloriam offerimus, patri & filio & spiritui sancto, nunc & semper & in secula seculorum. *Pop. respondet.* Amen.

ORATIO *fidelium prima.*

TVNC *eleuans manus pontifex dicit secrete.*

DOMINE deus noster, extensam istam postulationẽ suscipe à seruis tuis, & miserere nostri secũdum multitudinem misericordiæ tuæ, & magnitudinem miserationum tuarum, & mitte super nos ac super omnem populum tuum, expectantem eam quæ apud te est, diuinam misericordiam.

ET *exclamat alta voce.*

Quia misericors & clementissimus es deus: & tibi gloriã offerimus, patri & filio et spiritui sancto, nunc & semper et in secula seculorum. *Populus respondet.* Amen.

DIACONVS.

Orate fideles pro catechumenis, postulantes vt dominus eis misericors sit.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Instruat eos verbo veritatis.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Reuelet eis euangelium iustitiæ.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Suscipe, salua, miserere, & custodi eos deus gratia tua.

*Pop. respondet.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Catechumeni capita vestra domino inclinate.

POPVLVS.

Tibi domine.

PONTIFEX

PONTIFEX *ſecrete orationem catechumenorum.*

DOMINE deus noſter qui in cælis habitas, & reſpicis in omnia opera tua, reſpice in ſeruos tuos catechumenos, qui inclinauerunt ceruices ſuas in conſpectu tuo: impone eis domine leue iugum: fac eos membra eccleſiæ tuæ, & idoneos eos fac lauacro regenerationis, remiſsione peccatorum, & indumento incorruptionis, & agnitione filij tui veri dei noſtri.

*Pontifex excelſa voce.*

Vt & ipſi nobiſcum glorificent honorificentiſsimum & magnificentiſsimum nomen tuum, patris & filij & ſpiritus ſancti, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum.

*Populus reſpondet.* Amen. *Diaconus alta voce.*

Omnes catechumeni procedite, catechumeni procedite, omnes catechumeni procedite. Nemo de catechumenis remaneat. Omnes fideles, iterum atque iterum in pace dominum poſtulemus. *Populus.* Kyrie eleiſon.

TVNC *procedunt catechumeni ſi ſunt: pontifex ſecrete.*

TV domine oſtendiſti nobis magnum iſtud ſalutis myſterium, tu dignos nos feciſti miſeros & indignos ſeruos tuos fieri miniſtros ſancti altaris tui: idoneos nos fac virtute ſancti tui ſpiritus in miniſterio iſto, vt indamnabiliter ſtantes, in conſpectu ſanctæ gloriæ tuæ, offeramus tibi ſacrificium laudis: tu es enim operãs omnia in omnibus. Da domine, & pro omnibus noſtris peccatis & populi tui ignorantia, acceptabile & ſuſceptibile fieri ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo.

*Diaconus ipſe qui legit euangelium.*

Suſcipe, ſalua, miſerere & cuſtodi nos deus tua gratia.

*Pop.* Kyrie eleiſon. *Pont. voce excelſiori.*

Quia te decet omnis gloria, honor & adoratio, pater & fili & ſpiritus ſancte, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum.

*Populus.* Amen.

LITANIA III.

DIACONVS.

Iterum atque iterum in pace dominum poſtulemus.

*Populus.* Kyrie eleiſon. *Diaconus.*

Pro ſuperna pace & ſalute animarũ noſtrarum, in pace dominum poſtulemus.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Pro liberatione nostra ab omni tribulatione, ira, periculo & angustia, dominum postulemus. *Pop.* Kyrie eleison.

PONTIFEX *secrete orationem fidelium secundam.*

DEVS qui visitasti in misericordia & in miserationibus humilitatem nostram, & statuisti nos humiles & peccatores ac indignos seruos tuos in conspectu sanctæ gloriæ tuæ, ministrare sancto altari tuo, tu conforta nos virtute sancti tui spiritus in ministerio isto, & da nobis sermonē in apertione oris nostri, ad inuocandā gratiā sancti spiritus tui super proponenda munera.

DIACONVS *in ambone.*

Suscipe, salua, miserere, & custodi nos deus gratia tua.

*Populus.* Kyrie eleison. *Pont. voce excelsiori.*

Vt sub imperio tuo semper custoditi, tibi gloriam offeramus, patri & filio & spiritui sancto, & nunc et semper et in secula seculorum. *Populus.* Amen.

DESCENDIT *diaconus de ambone, & cantant cantores ac populus.*

QVI Cherubim mystice imitamur, & viuificæ trinitati ter sanctum hymnum offerimus, omnem nunc mūdanam deponamus solicitudinem, sicuti regem omnium suscepturi, cui ab angelicis inuisibiliter ministratur ordinibus. Alleluia.

INTEREA *deportantur & proponuntur munera à presbyteris, & post lauationem manuum, petit ministros pro se orare, & respondent.*

Spiritus sanctus superueniat in te, & virtus altissimi obumbret te, & comministret tibi.

DEPOSITIS *muneribus & super altare compositis, dicit diaconus.*

Iteremus postulationem nostram domino. Pro propositis honorificis muneribus domino deo nostro, & pro commodis & bonis animarum nostrarum, dominum postulemus.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Pro ciuitate nostra, & omni ciuitate & regione, & his qui in fide Christi habitant in eis, dominum postulemus.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Pro temperie bona aeris, & abundantia fructuum terræ, & tempore pacifico, dominum postulemus.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

PRO NAVIGANTIBVS, iter agentibus, ægrotis, captiuis,

ptiuis,& ſalute eorum,dominum poſtulemus.

*Populus.* Kyrie eleiſon. *Diaconus.*

Pro liberatione noſtra ab omni tribulatione,ira,periculo & anguſtia,dominum poſtulemus.

*Populus.* Kyrie eleiſon. *Pontifex ſecrete.*

DOMINE deus noſter,qui creaſti nos & induxiſti in vitam hanc,qui oſtẽdiſti nobis vias ſalutis,qui dediſti nobis cæleſtium myſteriorum reuelationem,tu es qui poſuiſti nos in miniſtrationẽ hanc in virtute ſpiritus tui ſancti: proſperare domine fieri nos miniſtros noui teſtamenti tui, et miniſtros ſanctorum myſteriorum tuorum: ſuſcipe nos appropinquãtes ſancto altari tuo ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ, vt ſimus digni offerre tibi rationabile iſtud & abſq; ſanguine ſacrificium pro noſtris peccatis & populi ignorantia: quod ſacrificium accipiens in ſanctum & ſupercæleſte ac intelligibile tuum altare, in odorem ſuauitatis, emitte nobis gratiam ſancti ſpiritus. Reſpice in nos deus,& vide ſuper ſeruitutem noſtram hanc, & ſuſcipe eam,ſicut ſuſcepiſti Abel munera, Noe ſacrificiũ, Abrahæ holocauſtum, Moyſi & Aaron ſacrationes, Samuel hoſtias pacificas: ſicut ſuſcepiſti de ſanctis tuis apoſtolis verum iſtud myſterium, ſic & ex manibus noſtris peccatorum ſuſcipe munera iſta in benignitate tua domine, vt idonei facti miniſtrare impollute ſancto altari tuo, inueniamus mercedem fidelium & prudentium miniſtrorũ, in die terribili retributionis tuæ iuſtæ.

DIACONVS.

Suſcipe,ſalua & cuſtodi nos deus gratia tua.

*Populus.* Kyrie eleiſon. *Diaconus.*

Diem omnem perfectam,ſanctam,pacificam,& abſq; peccato,à domino poſtulemus.

*Populus.* Da domine. *Diaconus.*

Angelum pacis, fidelem ductorem, cuſtodem animarum & corporum noſtrorum,à domino poſtulemus.

*Populus.* Da domine. *Diaconus.*

Indulgentiam & remiſſionem peccatorum noſtrorum,& propitiationem delictorum noſtrorum:bona & commoda animabus noſtris,& pacem mundi à domino poſtulemus.

*Populus.* Da domine.

DIACONVS.

Reliquum tempus vitæ nostræ in pace perficere nos, à domino postulemus.

*Populus.* Da domine. *Diaconus.*

Christianos fines in vita nostra: fideles, indoloros, inconfusos, inexpugnabiles, & bonam responsionem in terribili & horribili tribunali Christi, Christum dominum postulemus.

*Populus.* Da domine. *Diaconus.*

Sanctæ & intemeratæ dominatricis nostræ, dei genitricis & semper virginis Mariæ, cum omnibus sanctis, memorantes, nosipsos & adinuicem atque omnem vitam nostram Christo deo commendemus.

*Populus.* Tibi domine. *Pontifex voce excelsa.*

Per miserationes vnigeniti filij tui, cum quo benedictus es, vna cum sancto & benigno ac viuifico tuo spiritu, nunc & semper & in secula seculorum.

*Populus.* Amen. *Pontifex.* Pax omnibus. *Diaconus.*

Diligamus inuicem.

ET *dant omnes pacem.* *Diacon.* Ostia. Ostia.

ET *clauduntur ostia.* *Diaconus.*

Intendamus & canamus symbolum.

ET *cantant omnes symbolum, incipiente archidiacono.*

*Post symbolum leuatur tertio, & sic tertio tollitur linteum desuper muneribus. Et dicit diaconus.*

Stemus bene, stemus cum timore: intendamus sanctā oblationem in pace offerre.

*Populus.* Misericordiam, pacem, sacrificium laudis.

*Pontifex voce excelsa.*

Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas dei patris, & communicatio sancti spiritus, sit cum omnibus vobis.

*Populus.* Et cum spiritu tuo.

*Pontifex.* Sursum corda.

*Populus.* Habemus ad dominum.

*Pontifex.* Gratias agamus domino deo nostro.

*Populus.* Dignum & iustum est.

PONTIFEX *secrete.*

QVI es dominator domine, deus pater omnipotens, adorande,

rande,dignum verè & iuſtum ac decens eſt magnitudini ſanctitatis tuæ,te laudare,tibi hymnũ dicere,te benedicere,te adorare,tibi gratias agere,te glorificare ſolum verum deum, & tibi offerre in corde contrito & ſpiritu humilitatis,rationabile hoc miniſterium noſtrũ: quia tu es qui tribuiſti nobis agnitionem tuæ veritatis. Et quis eſt idoneus loqui potentias tuas? auditas facere omnes laudationes tuas, aut enarrare omnia mirabilia tua in omni tempore? Domine domine vniuerſorum, domine cæli & terræ et omnis creaturæ viſibilis et inuiſibilis,qui ſedes ſuper thronum gloriæ,et reſpicis abyſſos: non habens initium,inuiſibilis, incomprehenſibilis, incircunſcriptus,immutabilis, pater domini noſtri Ieſu Chriſti,magni dei & ſaluatoris,ſpei noſtræ, qui eſt imago tuæ bonitatis,et obſignatio æqualis figuræ,in ipſo oſtendens te patrem,verbum vitæ,deus verus,quę eſt ante ſecula ſapientia,vita,ſanctificatio,virtus,lumen verum: à quo ſpiritus ſanctus apparuit, veritatis ſpiritus, adoptionis donũ,pignus futurę hæreditatis,initium æternorum bonorum,viuifica virtus, fons ſanctificationis: à quo omnis creatura rationabilis et intelligibilis confortata,tibi ſeruit,et tibi æternam offert glorificationem. Quia omnia ſeruiunt tibi. te enim laudant angeli, archangeli, throni,dominationes, principatus, poteſtates, virtutes,& multiocula Cherubim,tibi adſtant in circuitu Seraphim, ſex alæ vni,& ſex alæ alteri,et duabus quidem velant facies eorum,duabus autem pedes,et duabus quidẽ volant,& clamãt alterũ ad alterũ inceſſabilibus vocibus,intacibilibus doxologiis,

ET *alta voce.*

Triumphalem hymnum canentia,clamantia & dicentia:

ET *dicit populus cum clero.*

Sanctus,ſanctus,ſanctus,dominus deus ſabbaoth. Pleni ſunt cæli & terra gloria tua,oſanna in excelſis. Benedictus qui venit in nomine domini,oſanna in excelſis.

ACTIO SECRETA, SEV CANON.

PONTIFEX *ſecrete.*

CVM his beatiſsimis virtutibus,domine clementiſsime, & nos peccatores clamamus,& dicimus: Sanctus es vere & ſanctiſsimus,& non eſt menſura magnificentiæ ſanctitatis tuæ,&

sanctus in omnibus operibus tuis, quia in iustitia & in iudicio vero omnia induxisti in nos: plasmasti enim hominem, pulverem accipiens de terra, & imagine tua deus honorificasti eum. Posuisti eum in paradiso deliciarum, immortalitaté vitæ & delectationem æternorum bonorum in conseruatione mandatorum tuorum promisisti ei: sed non audiētem te verum deum qui creasti eum, sed suasione serpentis seductum, mortificatum etiam propriis delictis, exiliasti eum in tuo iusto iudicio deus de paradiso in mundum hunc: & conuertisti eum in terram ex qua venit, disponens ei regenerationis salutem, quæ est in ipso Christo tuo. Non enim conuertisti plasma tuum in finé, quod fecisti benigne, neque oblitus fuisti opus manuum tuarum, sed visitasti multis modis per viscera misericordiæ tuæ. Misisti enim prophetas, fecisti virtutes per sanctos tuos qui per singulas generationes & generationes glorificarunt te. Locutus fuisti nobis per os seruorum tuorum prophetarum, prænuncians nobis futuram fieri salutem: legem dedisti in adiutorium, angelos constituisti custodes. Quando autem venit plenitudo temporis, locutus es nobis in ipso filio tuo, per quem & secula fecisti, qui est splendor gloriæ tuæ, & figura substantię, portās etiam omnia verbo virtutis suæ. Non enim rapinam arbitratus est esse æqualis tibi deo patri, sed deus cum sit ante secula, in terra visus est, & inter homines conuersatus est, & ex virgine sancta natus, exinaniuit se ipsum, formam serui accipiens, conformis factus corpori humilitatis nostræ, vt nos conformes faceret imagini gloriæ suæ. Quia enim per hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors properauit, bene placuit vnigenito tuo filio, qui est in finibus tuis dei patris, factus ex muliere, sancta dei genitrice & semper virgine Maria, factus sub lege, cōdemnare peccatum in corpore suo: vt qui in Adam mortui eramus, viuificaremur in ipso Christo tuo: & inhabitans mundo hoc, dans pręcepta salutis, discedere nos ab erroribus idolorum, induxit nos in agnitionem veritatis tuæ veri dei & patris: acquirēs nos sibi ipsi populum acquisitionis, regale sacerdotium, gentem sanctam, & purgans nos in aqua, & sanctificans spiritu sancto, dedit seipsum cōmutationem morti, in qua tenebamur venditi sub peccato: & descendens per crucē ad inferos, repleret

ret vt se ipso omnia, absoluit dolores mortis: & resurgēs, ac itersa ciens omni carni ad ex mortuis resurrectionem, sicut non erat possibile teneri sub corruptione principem vitæ, factus est primitiæ dormiētium, primitiuus ex mortuis, vt sit ipse omnia in omnibus primatum habens. Et ascendēs in cælum, sedet in dextera magnitudinis tuæ in excelsis, qui venturus est reddere vnicuique secundum opera sua. Dimisit autem memorationes salubris suæ passionis, ista quæ proposuimus secundum sua mandata. Debens enim exire in voluntariam & beatissimam & viuificam suam mortē, in nocte qua tradebat seipsum pro mūdi vita, accipiens panem in sanctis suis & immaculatis manibus, & ostendens tibi deo et patri, gratias agens, benedicens, sanctificans, frangens,

ET VOCE ALTIORI.

Dedit sanctis suis discipulis & apostolis, dicens: Accipite & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, in remissionem peccatorum.

*Populus respondet.* Amen.

ITERVM *secrete.*

Similiter & calicem de genimine vitis accipiens, miscens, gratias agens, benedicens, sanctificans, dedit sanctis suis discipulis & apostolis, dicens.

ET *altiori voce.*

Bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

*Populus.* Amen.

SECRETE *iterum.*

Hoc facite in meam commemorationem. Quoties enim comeditis panem hūc, & calicem istum bibitis, meam mortem annunciate, meam resurrectionem confitemini. Memorantes ergo domine & nos salutarium eius passionum, viuificæ crucis, triduanæ sepulturæ, ex mortuis resurrectionis, in cælū ascensionis, in dextera tua dei & patris sessione, & gloriosæ ac terribilis secundæ eius præsentiæ,

ET *voce excelsiori.*

Tua ex tuis tibi offerimus, per omnia & in omnibus.

POPVLVS.

Tibi hymnum dicimus,te laudamus,tibi gratias agimus domine,& postulamus te deus noster.

PONTIFEX *secrete*.

IDEO domine sanctissime & nos peccatores & indigni serui tui,qui constituti sumus ministrare sancto altari tuo, non propter iustitias nostras: non enim fecimus quid boni in terra, sed propter misericordias & miserationes tuas quas effudisti ditaliter super nos,confidentes appropinquamus sancto altari tuo, & proponentes configuralia sancti corporis & sanguinis Christi tui,te obsecramus, et te postulamus sancte sanctorũ,benepla cita tua benignitate,venire spiritũ sanctũ tuum super nos & super proposita munera ista,& benedicere ea & sanctificare.

MODO *erigit se pontifex & signat*.

ET ostendere panem quidem istum, ipsum honorificum corpus domini,dei & saluatoris nostri Iesu Christi: quod autẽ est in calice isto,ipsum sanguinem domini dei,& saluatoris nostri Iesu Christi,qui effusus est pro mundi vita.

ITERVM *inclinat se & dicit*.

NOS autem omnes de vno pane & calice participantes, coadunari inuicem in vnius spiritus sancti cõmunione, & nullum nostrum ad iudicium aut condemnationem facias accipere sanctum corpus & sanguinem Christi tui:sed vt inueniamus misericordiã & gratiam in cœtu omniũ sanctorũ, qui à seculo tibi placuerunt, auorũ,patrum,patriarcharum, prophetarum, apostolorum,euangelistarum,martyrum, confessorum,doctorum & omnis spiritus iustorum,finem in fide habentium.

PONTIFEX *voce excelsa*.

Præcipue sanctæ & intemeratæ, benedictæ dominatricis nostræ,dei genitricis & semper virginis Mariæ.

ITERVM *secrete*.

Sancti Ioannis præcursoris & baptistæ, Sancti *N. illius*, cuius memoriã facimus,& omniũ sanctorũ tuorum,quorum postulationibus visita nos deus. Et memento omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ, & refrigera eos,vbi visitat lux vultus tui. Adhuc te obsecramus:Memento sanctæ,catholicæ & apostolicæ ecclesiæ, quæ est à finibus vsque ad fines orbis terrarum,& pacifica eam,quam tuam fecisti honorifico sangui-

ne Christi

ne Christi tui, & sanctam domum istam cõfirma vsq; ad consummationem seculi. Memento domine eorum qui munera ista tibi obtulerunt,& per quos & pro quibus ea obtulerunt. Memento domine frugiferorum & bene operãtium in sanctis ecclesiis,& memorantium pauperum, retribue illis, diuitibus & cælestibus donis tuis.da illis pro terrenis cælestia,pro tẽporalibus æterna, pro corruptibilibus incorruptibilia. Memento domine eorum qui sunt in desertis & montibus & speluncis & in cauernis terræ. Memẽto domine eorum qui sunt in virginitate,& viduitate,& reuerentia & monachali habitu,et venerabili ciuilitate degentes. Memento domine piissimi et fidelissimi nostri imperatoris,quem decreuisti regnare super terrã:armis veritatis,armis bonæ volũtatis,corona eum. Obumbra super caput eius, in die belli:conforta brachium eius, exalta dexteram eius,corrobora imperiũ eius, subditas illi fac omnes barbaras nationes quæ bella volunt. Tribue illi profundam & inablatam pacem. Loquere in cor eius bona pro ecclesia tua & omni populo tuo,vt in tranquillitate eius tranquillam & pacificam vitã peragamus,in omni pietate & venerabilitate. Memento domine omnis principatus & potestatis, & qui sunt in palatio fratrum nostrorum & omnis exercitus. bonos in bonitate conserua,malos bonos fac in benignitate tua. Memento domine circunstantis populi, & pro certa causa remanentium, & miserere eis & nobis secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Promptuaria eorum adimple omni bono,coniuges eorum in pace & concordia conserua,paruulos enutri,iuuentutem baiula,senectutem contine,pusillanimes consolare, dispersos congrega,errantes reuoca & coaduna sanctæ tuæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ:energumenos à spiritibus immundis libera, nauigantibus connauiga, iter agentibus coitera: viduis patrocinare,orphanos protege,captiuos libera,infirmos sana, qui in ergastulis & in metallis atque exiliis seu amara seruitute vel in quacunq; tribulatione & angustia siue anxietate sunt,releua. Memento domine & omnium petẽtium magnam misericordiam tuam,& omnium amantium nos & odientium, & postulantium nos indignos orare pro illis. Et omnis populi tui memento domine deus noster, & super omnes effunde diuitem

misericordiã tuam,omnibus tribuens, quæ ad salutem sunt postulationes, & quorum nos memoriam non fecimus, aut per ignorantiam,aut per obliuionẽ, seu propter multitudinem nominum,ipse memento deus,qui scis vniuscuiusque ætatem & appellationem,qui scis vnumquenque de ventre matris suæ. Tu es enim domine auxilium inauxiliatorum, spes desperatorum, laborantium salus,nauigantium portus, languentium medicus: ipse omnibus omnia sis,qui scis vnũquenque et postulationem eius,domum et necessitatem eius. Et erue domine ciuitatẽ hanc & omnem ciuitatem et regionem à fame,pestilentia,terræ motu,demersione,igne,gladio,incursu alienigenarũ et ciuili bello.

MODO *excelsiore voce.*

In primis memento domine archiepiscopi N. quẽ da sanctis tuis ecclesiis ad pacem,integrũ, honorificũ, sanum, longæuum,recte tractantem verbum veritatis tuæ.

ITERVM *secrete.*

MEMENTO domine omnium episcoporũ orthodoxorum,recte tractantium verbum veritatis tuæ. Memento domine secundum multitudinem miserationum tuarum & meæ indignitatis,indulge mihi omne delictũ voluntariũ, etiam non voluntarium. Et non pro peccatis meis prohibeas gratiam sancti tui spiritus à propositis muneribus. Memento domine honorifici presbyteratus, qui est in Christi ministerio, & omnis sacerdotalis ordinis. Et neminem confundas circunstantium sancto altari tuo. Visita nos in bonitate tua domine, appare nobis in diuitibus tuis miserationibus. Bene tẽperatos et vtiles nobis aëres tribue, pluuiam pacificam ad fructificationem terræ largire. Benedic coronam anni benignitatis tuæ. Comprime schismata ecclesiarum,extingue incursiones gentium,hæresum insurrectiones citò destrue virtute sancti tui spiritus. Omnes nos suscipe in regno tuo, filios lucis & filios diei ostendens, tuam pacem & tuam charitatem da nobis domine deus noster. Omnia enim dedisti nobis.

ET *voce excelsiori.*

Da nobis vno ore & vno corde glorificare et laudare honorificentissimum et magnificentissimum nomen tuum, patris & filij et spiritus sancti,nunc et semper et in secula seculorum.

POPVLVS

POPVLVS. Amen.

PONTIFEX.

Et sint misericordiæ magni dei cum omnibus vobis.

*Populus.* Et cum spiritu tuo.

*Diac. in ambone.*

Aperiantur ostia.

*ET aperiuntur ostia.*

LITANIA IIII.

DIACONVS.

Omnium sanctorum memorantes, iterum iterúmque in pace dominum postulemus.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

PRO oblatis & sanctificatis honorificentissimis muneribus domini dei nostri, & cōmoditate bonorum animarum nostrarum, dominum postulemus, vt clementissimus deus, qui accepit ea in sancto & supercælesti ac intelligibili suo altari in odorem suauitatis, emittat nobis gratiam & communionem sancti sui spiritus.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Pro liberatione nostra ab omni tribulatione, furore & angustia, dominum postulemus.

*Populus.* Kyrie eleison. *Pontifex secrete.*

DEVS noster, deus saluans, tu nos doce digne gratias agere tibi pro benefactis quæ fecisti & facis nobiscum: tu es deus noster, qui accepisti munera ista, munda nos ab omni iniquitate carnis & spiritus, & doce nos perficere sanctificationem in timore tuo, vt in testimonio mundæ conscientiæ suscipientes portionem sanctificationis tuæ, coadunemur sancto corpori et sanguini Christi tui, & suscipientes ea, habeamus Christum habitantem in cordibus nostris, & efficiamur templum tui sancti spiritus, & neminem nostrum deus noster reum facias horribilium tuorum videlicet istorum cælestium mysteriorum, neque infirmum anima & corpore ob indignam eorum susceptionem: sed da nobis vsq; ad nouissimum anhelitum, digne suscipere spem sanctificationum tuarum, in viaticum vitę ęternę: in excusationem acceptabilē in terribili tribunali Christi tui, vt et nōs cum omnibus sanctis, qui à seculo tibi placuerunt, fiamus participes

æternorum bonorum, quæ præparasti diligentibus te domine.

DIACONVS.

Suscipe, salua, miserere & custodi nos deus gratia tua.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Diem omnem perfectam, pacificam & absque peccato, à domino postulemus.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Angelum pacis, fidelem ductorem, custodem animarũ nostrarum & corporum nostrorum, à domino postulemus.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Indulgentiam & remissionem peccatorum nostrorum ac delictorum, bona & commoda animabus nostris, & pacem orbi terrarum, à domino postulemus.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Reliquum tempus vitæ nostræ in pace ducere & finire nos, à domino postulemus.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Christianos fines in vita nostra fideles, indoloros, incõfusos, inexpugnabiles, et bonam excusationem, in terribili & horribili tribunali Christi dei, Christum dominum postulemus.

*Populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Coadunationem fidei, & communionem eius spiritus postulantes, nos ipsos & ad inuicem atque omnem vitam, Christo deo commendemus.

*Populus.* Tibi domine. *Pontifex voce excelsiori.*

Dignare nos domine cum fiducia indamnabiliter audere inuocare te patrem deum cælestem, & dicere, Pater noster.

CLERVS *& populus simul cum illo leuatis manibus.* *Pontifex.*

Quoniam tuum est regnum, virtus & gloria, pater & fili & spiritus sancte, nunc et semper et in secula seculorum.

*Populus.* Amen.

*Pontifex.* Pax omnibus.

*Diaconus.* Capita nostra domino inclinemus.

*Populus.* Tibi domine.

PONTIFEX *secrete orationem.*

Domine domine pater miserationum & deus omnis consolationis, inclinantes tibi sua capita custodi, muni, conforta: ab omni

omni opere malo discedere fac, in omni autē opere bono coadiuua, & idoneos fac indamnabiliter accipere intaminata et viuifica mysteria, in remissionem peccatorum, & spiritus sancti communionem.

ET VOCE EXCELSIORI.

Gratia & miserationibus atque clementia vnigeniti tui filij, cum quo benedictus es, vna cum sancto et benigno et viuifico tuo spiritu, nunc & semper et in secula seculorum.

*Populus.* Amen.

*Diaconus.* Intendamus.

PONTIFEX *exaltans panem dicit.*

RESPICE domine Iesu Christe deus noster, ex sancto habitaculo tuo, & veni ad sanctificandum nos, qui sursum patri consides, & hîc nobis inuisibiliter coes, dignare manu tua forti dare nobis sanctum et intaminatum corpus tuum et preciosum sanguinem, et per nos peccatores populo tuo.

ET *voce magna.*

Sancta sanctis.

*Populus respondet.*

Vnus sanctus, vnus dominus, vnus Iesus Christus in gloria dei patris cum spiritu sancto. Amen.

ET *cantant cantores communionem. & sic communicant omnes. Post communionem autem portantur munera in sacrarium, cantantibus omnibus hæc.*

Repleatur os nostrum laude tua domine, vt hymnum dicamus gloriæ tuæ. Quia idoneos nos fecisti sanctorū tuorum participare mysteriorum: salua nos in sanctificatione tua, tota die meditantes iustitiam tuam. Alleluia.

DIACONVS.

Recti qui accepimus partem diuinorum, intaminatorum, immortalium & cælestium atque horribilium mysteriorum, digne gratias agamus domino.

*Populus.* Kyrie eleison. PONTIFEX *secrete.*

GRATIAS agimus tibi domine deus noster in assumptione sanctorum & intaminatorum, immortalium & cælestium mysteriorum, quę dedisti nobis in benefacto, & sanctificatione atque sanitate animarum nostrarum & corporū: ipse domine vniuersorum, da fieri in nobis communionem corporis & sanguinis Christi tui, in fide inconfusa, in charitate non

ficta,in multiplicatione ſapientiæ, in ſanitate animæ & corporis,in auerſione omnis aduerſarij, in perfectione mandatorum tuorum,& excuſatione acceptabili,in terribili tribunali Chriſti tui.

*Diaconus alta voce.*

Suſcipe,ſalua,miſerere & cuſtodi nos Deus gratia tua.

*Populus.* Kyrie eleiſon.

*Diaconus.*

Diem omnem perfectam,ſanctam,pacificam,& abſq; peccato poſtulantes, nos ipſos & adinuicem atque omnem vitam noſtram Chriſto deo commendemus.

*Populus.* Tibi domine.

*Pontifex voce excelſiori.*

Quia tu es ſanctificatio noſtra, & tibi gloriam offerimus,patri & filio & ſpiritui ſancto,nũc & ſemper & in ſecula ſeculorũ.

*Populus.* Amen.

*Diaconus.*

In pace procedamus in nomine domini.

*Pontifex poſt hæc vadit retro lectorium,& dicit diaconus.*

In pace dominum poſtulemus.

PONTIFEX.

QVI benedicis benedicẽtes te domine,& ſanctificas confidentes in te,ſalua populum tuum & benedic hæreditatem tuam.Plenitudinem eccleſiæ tuæ cuſtodi, ſanctifica diligentes decorem domus tuæ,glorifica glorificãtes te diuina virtute tua, & non derelinquas nos ſperantes in te, pacem mundo tuo da, eccleſiis tuis,ſacerdotibus, imperatori noſtro, & omni populo tuo:quia tu es deus noſter,& tibi gloriam offerimus,patri & filio & ſpiritui ſancto,nũc & ſemper & in ſecula ſeculorũ.Amen.

*Et reſpondent miniſtri.* Amen.

*ET pergunt in ſacrarium,tollere veſtimenta ſua.*

LEONIS

# LEONIS THVSCI PROLOGVS AD SANCTAM GRÆCORVM MISSAM

*ab eo verbis Latinis diuulgatam, ad Raĭnaldum de monte Catano.*



*CVM venisses Constantinopolin, nobilis Raĭnalde de monte Catano, viso imperatore Emanuele potestatum terræ præstantißimo, nil tibi potius occurrit quàm sanctæ ac ineffabilis Eucharistiæ consecrationis ordinem perdiscere: nempe arbitratus es mille flores colorum Tarentino intentiores murice, ac sidereo cælo simillimos, per huiusmodi agnitionem te adoratum ire. Qua de re indomito & feruenti quodam desiderio postulasti à me, vt Græcorum rituum non intellectas voces, quibus sacra & cælestia dona incruētæ hostiæ significantur, in Latinam verterem tibi orationem. Sed ad hoc opus virorum optime, deo datißimi sapientia, de nigris villis cãdida facere scientes, penes quos papauera fœcunda fiunt, cum habeant aures quas spiritus effundat, precibus sollicitandi fuerant: & quidem præ omnibus frater & præceptor meus Hugo Eterianus sua grauitate grauior. Nã is Græcorũ loquelæ perplexa internodia olorum euincentia melos, verborúmque murmura quæ pene Maronis pectus fatigarent ac Ciceronis, intrepida excursione inspectis narrationum radicibus, mirificè discriminat. Ast ego Albicola cum sim salix, nec ceratis arundinibus palmiferum attingere queam Elim, difficile putauerim, æris adeo sonantis sistrum cõcrepare. Propterea vtique pertimesco, ne lacerti mei ad talia videantur imbelles, & pertracti per damnosum moræ spacium flatu minimè secũdo suum prodant agricolam. Rursus excogitata obiecit ratiocinatio, quòd elegantiam & honestatem fugiat, laudatißimum amici votum sinere absque honoris effectu & decore gratiæ reuerenti. Igitur, saluatore Christo duce, ante nominati fratris præceptorísque mei iudicium & examen habiturus, Bootis Hyperborei pastoris omittens tarditatem, Olympi cacumen, quod vicinia coruscat astrorum, scandere iam incipiam, spectabili viro satisfaciens loci & temporis commoditate: dein verborum proram ex aduerso venientem excipiam firmiter & cum diligentia, vt lateribus intelligentiæ quadratis æqualiter atque distinctis, subtiliter tua ratio quæ latet perpendat libera existimatione.*

# MYSTERIVM DIVINÆ EVCHARISTIÆ, QVÆ EDITA EST A PATRE BEATO Ioanne Chrysostomo, & à Leone Thusco verbis diuulgata Latinis.

DIACONVS IGITVR ACCIPIENS PANEM, *si cum sacerdote Missam celebraturus sit, seu etiam sacerdos sine diacono, facit in eo cum lanceola crucem, dicens.*



N nomine dei & saluatoris nostri Iesu Christi, qui immolatus est pro mundi vita & salute.

*ET incidens lanceola signaculum panis in quatuor partes in figuram crucis, dicit hæc.*

Sicut ouis ad occisionẽ ductus est, & sicut agnus coram tondente se, obmutescit, sic non aperiet os suum. In humilitate eius iudicium sublatum est. generationem eius quis enarrabit?

*Et sic tollit particulam illam, videlicet signaculum cum sua medulla, & dicit.*

Quoniam tollitur de terra vita eius. Gloria patri & filio & spiritui sancto, sicut erat in principio & nunc & semper.

*Et tunc in inferiori signaculi parte, insignat crucem cum lanceola, & dicit.*

Immolatur agnus dei qui tollit mundi peccata.

*Et ponit eiusmodi partem in disco. deinde facit commixtionem in calicem, mittens vinum & aquam, & dicit.*

Vnus militum latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua: & qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius.

*Et in dicendo quidem,* Exiuit sanguis, *infundit vinum: & in dicendo* Aqua, *effundit aquã. Vbi hæc fecerit, diaconus accipiens thuribulum & incẽsum, dicit sacerdoti.*

Benedic domine incensum istud. *Et dicit sacerdos.* Incensum tibi offerimus Christe deus, in odorem suauitatis spiritalis. mitte nobis gratiam spiritus sancti, nunc & semper. Amen.

*Diacono autem tenente thuribulum, sacerdos explicat super thuribulum sancta corporalia, sacro calici superponenda: quæ dum fumi odore imbuuntur, dicit.*

Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est dominus fortitudinem, & præcinxit se. Parata sedes tua, nunc & semper & in secula.

*Deinde operit calicem, & insuper dicit.*

Operuit cælos virtus eius, & laudis eius plena est terra, nunc & semper & in secula.

*Deinde dicit diaconus, in propositione preciosorum donorum.*

Dominum deprecemur.

*Et dicit sacerdos orationem hanc.*

DEVS deus noster qui cælestem panem alimẽtum totius mundi, dominum nostrum & deum Iesum Christum misisti saluatorem & redemptorem & benefactorem, benedicentem & sanctificantem nos, ipse benedic propositionem hanc, & suscipe illam in cælesti altari tuo. Memor esto vt bonus & clemens, illorum qui offerunt & illorum propter quos offerunt, & nos innocentes conserua in sacramento diuinorũ mysteriorum tuorum. Quoniam sanctificatum est & glorificatum honorificentissimum & magnificentissimum nomen tuum, patris & filii & spiritus sancti, nũc & semper & in secula seculorũ. Amen.

*Et benedicti fumo incensi diffuso super sancta munera, proficiscitur ad sanctam mensam diaconus cum sacerdote, & tribus vicibus simul inclinãs. Et dicit diaconus sacerdoti.*

Tempus faciendi domine: domine benedic.

*Et dicit sacerdos remissa voce.*

Benedictus dominus noster nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

*Et rursus dicit diaconus.*

Ora pro nobis domine.

*Et sacerdos.*

Prosperos faciat dominus deus gressus nostros sua gratia, nunc & semper et in secula seculorum.

*Et rursus diaconus.*

Memento nostri domine.

*Et sacerdos.*

Memor vestri sit dominus deus in regno suo, nunc & semper et in secula seculorum.

*Post hæc diaconus egreditur, & stans coram sancto altari, dicit.*

Benedic domine.

*Et dicit in voce sacerdos.*

INITIVM SANCTÆ MISSÆ.

BENEDICTVM regnum patris & filij & sancti spiritus, nunc & semper & in secula seculorum.

*Tunc dicit diaconus.*

Pro pace domino supplicemus.

*Et clerus & populus* Kyrie eleison.

Pro pace totius mundi, & bono statu sanctarum ecclesiarum, & omnium cõcordia, dominum rogemus.

*Clerus & populus.*

Kyrie eleison. Pro sancta domo ista, & iis qui cum fidei reuerentia & timore dei sunt in ipsa, dominum flagitemus.

Kyrie eleison. Pro archiepiscopo nostro N. & reuerendo presbyterio, Christo ministrãtibus, toto clero & populo, dominum exoremus. Kyrie eleison.

Pro piissimis & cælitus custoditis imperatoribus nostris, toto palatio & exercitu eorũ, dominũ deprecemur.

*Clerus & populus.*

Kyrie eleison. Vt expugnet & subiiciat sub pedibus suis omnem inimicum & aduersarium, domino supplicemus.

*Clerus & populus* Kyrie eleison.

Pro ciuitate ista, omni ciuitate, regione, & fidelibus habitantibus in eis, dominum exoremus. Kyrie eleison.

Pro temperantia aëris, abũdantia frugum terræ, & pacificis temporibus, dominum flagitemus. Kyrie eleison.

*Deinde sequitur proceimenon, quod Latine videtur sonare Vaticiniũ prophetæ de Christo & dominicis quidem diebus.*

Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est dominus fortitudinem & præcinxit se.

*In secundis feriis.*

Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum.

*Psalmus.* Cum inuocarem exaudisti me deus.

*Tertiis feriis, psalmus.*

Misericordia tua domine subsequatur me omnibus diebus vitæ meæ.

*Psalmus.* Dominus regit me & nihil mihi deerit.

*In quarta verò feria, psalmus.*

Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me. Deus exaudi orationem meam.

*Die Iouis, psalmus.*

Auxilium meum à domino qui fecit cælum & terram.

*Psalmus.* Leuaui oculos meos ad montem, vnde veniet auxilium mihi.

*In paras.*

*In parasceue.*

Deus susceptor meus es: misericordia tua præueniet me.

*Psalmus.* Erue me de inimicis meis deus meus.

*Sabbato, quod die dominico destinatum est, quæ omnia sub dulce melos efferunt. Expleto hoc, dicit diaconus rursus.* Sophia. *Et lector dicit inscriptione apostoli: & diaconus rursus.* Attenti simus. *Expleta epistola, cantatur* Alleluia. *Deinde dicit diaconus ad sacerdotem.*

Domine benedic euangelium.

*Ad quem sacerdos.*

Deus per intercesionem sancti apostoli & euangelistæ, det verbum tibi euangelizandi virtute multa, rex virtutum dilecte semper, nunc & in secula seculorum. Amen.

*Tunc vadit, & cum inclinauerit sancto altari, atque ipsum deosculatus fuerit, accepto euangelio egreditur, & statim in pulpito, &* Alleluia *præcãtato, dicit sacerdos.* Sophia. Stantes audiamus sanctum euangelium.

*Post quod archidiaconus.* Attẽti simus. *Et statim diaconus incipit & dicit.*

Secundum Lucam sancti euangelij lectio. *vel,* Secundum Ioannem. *Et sic de cæteris. & omnes respondent.* Gloria tibi domine.

*Finito euangelio, regreditur ad altare diaconus, osculantúrque in manibus diaconi sacerdotes sanctum euangelium. quo finito librum seorsum deponit, & stãs ante sanctum altare, pronunciat diaconus.*

Sapientia recta. dicamus omnes.

*Clerus & populus.* Kyrie eleison.

Ex tota anima & ex tota mente. Kyrie eleison.

Domine deus omnipotens deus patrum nostrorum, rogamus te audi nos & miserere nostri. Kyrie eleison.

Pro sancta domo ista & pro iis qui cum fidei reuerentia & timore dei ingrediuntur in eam, dominum exoremus. Kyrie eleison.

Vt eruamur ab omni tribulatione, ira, & necessitate, dominum deprecemur. Kyrie eleison.

Miserere nostri deus secũdum magnã misericordiam tuam. Te rogamus exaudi nos.

*Dum hæc dicuntur, sacerdos hanc orationem dicit.*

DOMINE deus noster, continuam hanc supplicationem suscipe à seruis tuis, & secundum multitudinem miserationum tuarum miserere nobis, & miserationes tuas mitte super nos & super omnem populum tuum, qui expectat tuam diuitem misericordiam.

*Diaconus pronunciat.*

PRO piissimis & diuinitus custoditis imperatoribus nostris exoremus omnes, vt dominus deus det eis victoriam, perseuerantiam, pacem, sanitatem, atque salutem, & in amplitudinem cooperetur eis, & omnia prospera faciat, & omnem inimicum & aduersarium sub pedibus eorum subiiciat.

*Chorus & populus.* Kyrie eleison.

*Et signat presbyter populum tertio, & populus dicit.* Kyrie eleison.

*Post hæc pronunciat sacerdos cum voce.*

Quoniam misericors & clemens deus existis, & tibi gloriã reddimus, patri & filio & spiritui sancto, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

*Rursus diaconus.*

Orate catechumeni.

*Et populus.* Kyrie eleison. *Diaconus.*

Qui fideles sumus, pro catechumenis deprecemur, vt dominus eorum misereatur: instruat eos verbum veritatis: reuelet eis euangelium iustitiæ: associet eos sanctæ suæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ. *Chorus & populus.* Kyrie eleison.

Salua, miserere ac custodi nos deus tua gratia.

*Clerus & populus.* Kyrie eleison. Catechumeni capita vestra inclinetis deo. *Cler. & pop.* Kyrie eleison.

*Oratio pro catechumenis coram sancta oblatione, sancti Ioannis Chrysostomi. Diac.*

DOMINE deus noster qui in altis habitas & humilia respicis, qui salutem humano generi, filium tuum deum nostrum Iesum Christum misisti, respice super seruos tuos catechumenos inclinantes tibi ceruicem suam: & fac eos dignos in opportuno tempore lauacro regenerationis, & remissione peccatorum, & indumento incorruptionis: associa eos sanctæ catholicæ ecclesiæ, & connumera eos electo gregi tuo.

*Exclamat sacerdos.*

Vt ipsi nobiscum glorificent honorificentissimum nomen tuum, patris & filij & spiritus sancti, nunc & semper & in secula seculorum.

*Hac expleta, dicit diaconus qui facit postulationes.*

Quicunque catechumeni recedite. *Tribus vicibus.*

*Deinde extra cancellos, dicit.*

Nullus catechumenorum, sed soli fideles remaneant.

Iterum & iterum pro pace, dominum exoremus.

Clerus

*clerus & populus.* Kyrie eleison.

Opitulare, salua, miserere ac conserua nos deus tua gratia.

*clerus & populus.* Kyrie eleison.

*Vbi vero hæc dicta sunt, diac. explicat corporale, & sacerd. hãc dicit orationẽ corporalis.*

GRATIAS agimus tibi domine deus virtutum, qui dignatus es nos nunc assistere tuo sancto altari, ac procidere miserationibus tuis pro nostris peccatis & populi ignorãtijs. Suscipe domine deus supplicationem nostram: fac nos dignos offerendo tibi preces et hostiam incruentam, pro vniuerso populo tuo: & præsta nobis copiam quos posuisti in administratione hac in virtute tui sancti spiritus, vt reprehensibiles & sine offensa puro conscientiæ nostræ testimonio, inuocemus te in omni tempore et loco, quatinus exaudiens nos, propitius sis nobis in multitudine tuæ bonitatis.

*Et tunc pronunciat cum voce sacerdos:*

Quoniam te decet omnis gloria, honor & adoratio, patrem & filium et spiritum sanctum, nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

*Postquam dictum fuerit,* Quoniam te decet.

*Dicit sacerdos hanc orationem, quæ dicitur fidelium secunda.*

RVRSVS & multoties tibi procidimus, & te rogamus qui es bonus et misericors, vt respicias orationem nostrã, & mundes animas nostras et corpora ab omni contagio carnis & spiritus: et des nobis absque noxa et sine condemnatione assistere sancto altari tuo: cõcede quoque deus & iis qui nobiscum orant, vitæ ac fidei processum cũ spiritali intellectu: da eis semper cum timore ac dilectione cultũ exhibentibus tibi, innocenter & indemniter participare tui sancti mysterij, et dignos fieri tuo cælesti regno.

*Eleuatio vocis.*

Vt sub potẽtia tua custoditi, semper tibi gloriam referamus, patri & filio et spiritui sancto. Amen.

*Dum oratio fit pro catechumenis, itur ad propositos. panes quoque referuntur ad sanctum altare, præeunte archidiano cum thuribulo & sancto peplo, quem sequuntur diaconi, discos cum panibus sanctis portãtes, primus qui dicit Euangelium, secundus qui fecit Orationẽ sine intermissioue, tertius qui postulat pro Catechumenis, & ex ordine reliqui, portantes calices: hi autem omnes hunc hymnũ cõcinunt.*

Qui Cherubim mystice imaginamur, & viuificæ trinitati trisagium hymnum canimus, omnem secularem solicitudinem

abiiciamus: vt regem omnium suscepturi angelicis inuisibiliter stipatum agminibus, Alleluia.

*Et cum ventum est ad sanctas ianuas cancellorum, ingreditur archidiaconus: & dato incenso sancto altari, dat etiã sacerdotibus per ordinẽ: & depositis sanctis panibus super sacram mensam in crucis figuram, expanso desuper peplo, & astantibus in circuitu sacerdotibus, dicit archipresbyter.*

Orate pro me sacerdotes sancti.

*Qui respondent.*

Spiritus sanctus superueniat in te, & virtus altissimi obumbret tibi.

*Et rursus illi dicunt ad eum.*

Memento nostri domine.

*Et ipse respondet.*

Memor sit nostri dominus deus in regno suo.

*Tunc secedunt astantes.* Kyrie eleison.

Pro nauigantibus, iter agentibus, ægrotantibus, laborãtibus, captiuis, eorúmque salute, domino supplicemus. Kyrie eleison.

Vt eruamur ab omni tribulatione, ira, periculo, & angustia, dominum rogemus.

*Clerus & populus.* Kyrie eleison.

*Dum vero diaconus facit petitiones has, continuatim dicit hanc orationem sacerdos intra se, quæ oratio dicitur primæ Antiphonæ.*

DOMINE deus noster, cuius potentia incomparabilis, & gloria incomprehensibilis: cuius misericordia immensa, & clementia ineffabilis, ipse domine per tuam pietatem respice super nos & super sanctam domum istam, & fac nobiscum, & cum coorantibus nobis, diuites misericordias & miserationes tuas. *Et diaconus.*

Opitulare, salua, miserere, & conserua nos tua gratia.

*Clerus & populus.* Kyrie eleison.

Sanctissimæ, intemeratæ, superbenedictæ, reginæ nostræ, matris domini & semper virginis Mariæ cum omnibus sanctis memoriam celebrando, nosmetipsos & adinuicem, omnem vitam nostram Christo deo commendemus.

*Clerus & populus.* Tibi domine. *Sacerdos cum voce pronunciat.*

Quoniam decet te omnis gloria, honor & adoratio, patrem & filium & spiritum sanctum, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Oratio

*Oratio antiphonæ ſecundæ.*

DOMINE deus noſter,ſaluum fac populum tuum,et benedic hæreditati tuæ:plenitudinē eccleſiæ tuæ conſerua: ſanctifica illos qui diligunt decorem domus tuæ, & tu da eis gloriam diuina tua potentia,& non derelinquas nos ſperantes in te.

*Poſt hæc dicunt lectores.*

Bonum eſt confiteri domino, & pſallere nomini tuo altiſsime. Interceſsionibus dei genitricis,ſaluator ſalua nos. Ad annunciandum mane miſericordiā tuam & veritatem tuam per noctem.Interceſsionibus dei genitricis ſalua nos.

Quoniā rectus dominus deus noſter,& non eſt iniquitas in eo. Interceſsionibus dei genitricis ſalua nos. Gloria patri et filio & ſpiritui ſancto,nūc & ſemper et in ſecula ſeculorū.Amen.

Interceſsionibus dei genitricis ſaluator,ſalua nos.

*Et rurſus diaconus dicit.*

Iterum & iterum pro pace dominum exoremus.

*Clerus & populus.* Kyrie eleiſon,

Opitulare,ſaluum fac,miſerere ac conſerua nos deus tua gratia. *Clerus & populus.* Kyrie eleiſon.

Sanctiſsimæ, intemeratæ, ſuperbenedictæ reginæ noſtræ, matris domini & ſemper virginis Mariæ, cum omnibus ſanctis memoriam celebrando,noſmetipſos & adinuicem omnem vitam noſtram Chriſto deo commendemus.

*Clerus & populus.* Tibi domine.

*Sacerdotis cum voce pronunciatio.*

Quoniam tua eſt potentia,& tuum regnum,& virtus,& gloria,patris & filij et ſpiritus ſancti.

*Clerus & populus.* Amen.

*Tunc incipiunt lectores dicere.*

Dominus regnauit decorem indutus eſt, indutus eſt dominus virtutem & præcinxit ſe.

Interpellationibus ſanctorum tuorum ſalua nos domine.

*Et rurſus.*

Etenim firmauit orbem terræ qui non commouebitur.

Interuentibus ſanctorum tuorum ſalua nos domine.

Etenim teſtimonia tua domine credibilia facta ſunt nimis: domū tuam decet ſanctitudo domine in longitudine dierum.

Precibus ſanctorum tuorum ſalua nos domine. Gloria patri & filio & ſpiritui ſancto in ſecula ſeculorum. Amen.

*Oratio antiphonæ tertiæ quam ſecum ſacerdos, hæc ſcilicet.*

DEVS qui has communes & conſonas nobis largitus es orationes, & duobus vel tribus congregatis in nomine tuo, dare quæ poſtulant polliceris, ipſe nunc ſeruorum tuorum petitiones ad id quod conferat, imple, largiendo nobis in præſenti ſeculo veritatis agnitionem, & in futuro vitam æternam daturus.

*Iterum cantatur à lectoribus.*

Vnigenitus filius & verbum dei cum ſis immortalis, dignatus es propter noſtram ſalutem, carnem ſumere de ſancta dei genitrice ſemper virgine Maria, inconuertibiliter factus homo, qui crucem ſubiſti Chriſtus deus, morte conculcans mortem, vnus exiſtens ſanctæ trinitatis, conglorificatus patri & ſpiritui ſancto, ſaluos nos fac.

*Poſt hæc dicit diaconus.*

Iterum & iterum pro pace, domino ſupplicemus.

*Clerus & populus.* Kyrie eleiſon.

Opitulare, ſalua, miſerere & conſerua nos tua gratia.

*Clerus & populus.* Kyrie eleiſon.

Sanctiſsimæ, intemeratæ, ſuperbenedictæ, reginæ noſtræ, matris domini & ſemper virginis Mariæ, cum omnibus ſanctis memoriam celebrando, noſmetipſos & adinuicem, omnem vitam noſtram Chriſto deo commendemus.

*Clerus & populus.* Tibi domine.

*Exclamat ſacerdos.*

Quoniam benignus & clemens deus exiſtis, & tibi gloriam referimus, patri & filio & ſpiritui ſancto, nunc & ſemper et in ſecula ſeculorum. Amen.

*Poſtmodum verò accipiẽs diaconus ſanctum euangelium egreditur cum ſacerdote: quibus ſtantibus ante altare, dicunt lectores pſalmum.*

Venite exultemus domino, iubilemus deo ſalutari noſtro. Saluos nos fac fili dei.

*Et ſi fuerit dominica dies, dicunt.*

Qui reſurrexiſti à mortuis, tibi concinnimus: Alleluia.

*Pſalmus.* Præoccupemus faciem eius in confeſsione, & in pſalmis iubilemus ei. Saluos fac nos fili dei.

Quoniã deus magnus dominus & rex magnus ſuper omnẽ terram.

terram. Saluos nos fac fili dei, qui & c. *Deinde.*

Quia in manu eius sunt omnes fines terræ, & altitudines montium, ipsius sunt. Saluos fac nos fili dei.

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius. Saluos nos fac fili dei, & c.

*Dum hæc cantantur à lectoribus, inclinat se diaconus à dextris stans sacerdotis, & dicit remissa voce.* Dominum rogemus.

*Et dicit sacerdos secum orationem introitus.*

DOMINATOR domine deus noster, qui ordines & exercitus angelorum in cælis constituisti archangelorúmq;, in tuæ gloriæ administratione, fac cum ingressu nostro sanctorum angelorũ accessum fieri, qui nobiscum ministrando, tuam benignitatem glorificent: quoniam decet te omnis gloria, & honor & magnificentia, patrem et filium et spiritum sanctum.

*Hac oratione completa, dicit diaconus sacerdoti.*

Benedic domine introitum. *Et dicit sic.*

Benedictus introitus sanctorum tuorum deus noster, nũc & semper & in secula seculorum.

*Et dicit diaconus post introitum.*

Sophia. Stantes sint pedes nostri.

*Et lectores.*

Venite adoremus & procidamus Christo. Saluos nos fac fili dei, qui de virgine natus es, canentes tibi, Alleluia.

*Et ingreditur diaconus antè, cum euangelio, & presbyter retro sequitur. Vbi ingressus fuerit diaconus, sanctum euangelium deponit super altare, quod sacerdos deosculatur: quo stante iuxta ianuas cancellorum, dicunt lectores absolutorium, quod Grecæ dicitur Apolyticion: singulis diebus singula: & dominico quidem die, hæc.*

LAPIDE signato à iudęis, militibúsque custodiẽtibus immaculatũ corpus tuum, surrexisti tertia die saluator, tribuẽs mũdo vitam. Ideo virtutes cælorum clamabant ad te vitę dator, Gloria resurrectioni tuæ, gloria regno tuo, gloria dispensationi ô sole clemens.

*Deinde in honorem dei genitricis.*

Gabriele dicente tibi virgo, Aue, cum voce incarnatus est omniũ deus in te sacrosancta arca, vt dixit iustus Dauid, Ostensa es latior cælis, quæ tuum creatorem portasti: gloria ei qui habitauit in te, gloria ei qui exiuit de te, gloria ei qui per tuum partum nos liberauit.

*Tertia verò feria.*

Cælestis militiæ princeps Michael, rogamus te nunc indigni, vt tuis intercessionibus munias nos vmbra alarum tuarum, immateriatæ naturę, custodi nos: procidimus, & sine intermissione ad te clamamus, à periculis erue nos, vt virtutum princeps cælestium.

*In tertia in honorem sancti Ioannis.*

IVSTI cum laude memoria: tibi autem satis erit testimonium domini, pręcursor. vere es monstratus, et prophetis venerabilior, quoniam & in fluentis baptizare illum qui prædicatus est dignus inuentus es: vnde pro veritate decertans, exultando annunciasti iis qui in inferno erant, deum manifestatum in carne, qui tollit peccata mundi, nobísque suam magnam largitur misericordiam.

*Rursus in laudem sanctæ matris domini.*

Omnia exuperant sensum, omnia sunt gloriosa in te dei genitrix: mysteria castitate signata, & virginitate custodita. mater cognita es sine fallacia, quæ verum peperisti deum: ipsi supplica, vt animas nostras saluet.

*At verò quarta feria.*

Saluum fac domine populum tuum & benedic hæreditati tuæ: qui victoriam regibus contra barbaros concedis, & per crucem tuam ciues tuos custodis.

*Iterum in laudem dei genitricis.*

Qui tuam opitulationem adepti, intemerata, & tuis intercessionibus à malis eruti, & per crucem filij tui omnino protecti, ex debito pie te magnificamus.

*Quinta autem feria.*

Apostoli legatione fungimini apud misericordem deum, vt peccatorum remissionem animabus nostris tribuat.

*In laudem verò sancti Nicolai.*

Regulam fidei, mansuetudinis imaginẽ, continentiæ magistrũ monstrauit te tuo gregi rerum veritas. Ideo adeptus es humilitate, sublimia: paupertate, quæ sunt opulenta. pater Nicolae, fungere legatione apud Christum deum, vt animæ nostræ salutem consequamur.

*In laudem verò virginis.*

Quoniam omnibus facturis præstantior existis, collaudare

te

te digne non valentes, dei genitrix, gratis flagitamus te, miserere nostri.

*Sexta autem feria dicunt de omnibus sanctis.*

APOSTOLI, martyres & prophetæ, sacerdotes, confessores & iusti, cum mulieribus sanctis qui bene certamẽ consummastis, & fidem seruastis, fiduciam seruãtes ad saluatorem pro nobis ipsis orate saluari animas nostras.

*Et pro dormientibus in Christo.*

Memento domine vt bonus, seruorum tuorum, & quæcũq; in vita deliquerunt ignosce. nemo enim sine peccato, nisi tu domine, qui potes migrantibus dare quietem.

*Amplius autem & in laudem virginis.*

Mater sancta, ineffabilis luminis, angelicis te hymnis honorantes magnificamus.

*Sabbato vero.*

QVANDO descendisti ad mortem vita immortalis, tunc infernum mortificasti coruscatione diuinitatis: cum verò mortuos ab inferis excitasti, omnes virtutes cælorum acclamabant, vitæ dator, Christe deus, gloria tibi.

*Et in laudem virginis Mariæ dicunt.*

Mysterium à diebus æternitatis tacitum, & angelis ignotũ, per te dei genitrix, iis qui in terra sunt, manifestum factum est, deus inconfusa vnione incarnatus. Crucem sponte pro nobis subiit, per quam resuscitauit protoplastum, & à morte animas nostras saluauit.

*In die quoque Natiuitatis dicunt huiusmodi absolutorium.*

Natiuitas tua Christe deus noster, oriri fecit mundo lucem cognitionis. In ipsa enim sideribus obsequentes à stella edocebantur, te adorare solem iustitiæ, & te ex alto orientem cognoscere. domine tibi gloria.

*Præterea canunt quidam quod cùm Græce dicatur contacion, Latine abbreuiatum dici potest.*

Virgo supersubstantialem hodie parit, & terra speluncam inaccessibili exhibet: angeli cum pastoribus glorificant, & magi stella duce iter agunt. Nam propter nos natus est puer, qui est ante secula deus.

*In festo Epiphaniorum hoc vtuntur absolutorio.*

In Iordane te baptizato domine, trinitatis apparuit adoratio. nam patris vox tibi attestabatur, dilectum te filium nominan-

do: & spiritus in columbæ specie, rei veritatem confirmabat: qui apparuisti Christe deus, & mundum illuminasti: gloria tibi.

*Sequitur contacion.*

Illuxisti hodie orbi, & lumē tuū domine super nos signatū est in agnitione, laudantes te. venisti, illuxisti lux inaccessibilis.

*Festum vero sanctorum apostolorum Petri & Pauli huiusmodi decorant fine.*

Qui primas inter apostolos habetis sedes, orbísque didascali apud omnium dominum legatione fungimini, vt pax mundo donetur, & animabus nostris magna misericordia.

*Et aduertendum quòd his eisdem absolutoriis vespertinis horis vtūtur. Sunt quoque & alia plura huiusmodi apud Græcos quibus vtuntur aliis festiuitatibus, quorū translatio necessaria mihi non est. His ita peractis, signum dat diaconus cum horarij sui stola lectoribus qui mox psallere incipiunt.*

Sanctus deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis. *Et dicunt tribus vicibus.* *Deinde.*

Gloria patri & filio & spiritui sancto, & nunc & semper & in secula seculorū. Amen. Sanctus immortalis miserere nobis. Sanctus deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.

*Dum hæc decantantur dicit sacerdos orationem hanc, sedatißima voce.*

DEVS sanctus qui in sanctis quiescis, & trisagia voce à seraphim laudaris, & à cherubim glorificaris, & ab omni cælesti virtute adoraris: qui de nō ente ad esse duxisti omnia, & creasti hominem ad imaginem & similitudinem tuam, & multa gratia insignisti: qui das petenti sapientiam & intellectum: qui non despicis peccantem, sed ponis in salute pœnitentiam: qui dignatus es nos humiles & indignos seruos tuos in hac hora stare in conspectu gloriæ sancti altaris tui, & debitum tibi obsequium, & glorificationem offerre: tu domine suscipe ex ore nostro qui in te peccauimus, trisagium hymnum, & visita nos in bonitate tua: remitte nobis omnem noxam inuitam & voluntariam. sanctifica cum corporibus & animas nostras, & da nobis in sanctitate seruire tibi omnibus diebus vitæ meæ: intercessionibus reginæ nostræ matris dei, & omnium sanctorum qui à seculo tibi placuerunt.

*Exaltatio vocis.*

Quoniam sanctus es deus noster, & tibi gloriam reddimus, patri & filio & spiritui sancto, nunc & semper & in secula seculorum.

His

*His dictis dicit diaconus.* Attenti simus. *Sacerdos.* Pax vobis.
*Clerus & populus.* Et cum spiritu tuo. *Diaconus.* Sophia.
*Tunc lector cantat psalmum David. Diaconus iterum.* Attenti simus.

*Pro ianuis cancellorum à dextris & à sinistris unusquisque dicit oratione mysteriorum in silentio, introeuntes ad sanctam mensam. Oratio quam facit pro se sacerdos dum cherubim hymnus à populo decantatur.*

NVLLVS carnalibus concupiscentiis & desideriis irretitus, dignus est accedere aut appropinquare seu ministrare tibi rex gloriȩ. Nã ministrare tibi, magnũ & formidabile, & ipsis cælestibus inaccessibile virtutibus. Verũtamen propter infinitã clementiam tuam, inconuertibiliter & inalterabiliter homo factus es, & põtifex noster extitisti, & mysterii huius ac incruentæ hostiæ sacramentum nobis tradidisti, vt omnium deus. Tu enim dominatis cælestium & terrestrium, qui super cherubicum thronum sedes, seraphim dominus, & rex israel, qui solus sanctus es, & in sanctis requiescis. Te deprecor qui solus bonus es & facilis ad exorandum, respice super me peccatorem & inutilem seruum tuum, & munda animam meam & cor à mala conscientia, & sancti tui spiritus virtute fac me dignum sacerdotij gratia indutum, assistere sanctæ huic tuæ mensæ, ac consecrare sanctũ corpus tuum & preciosum sanguinem. tibi enim ceruicem meam inclino, téque precor, ne auertas faciem tuam à me, nec reprobes me à pueris tuis: sed concede à me peccatore & indigno famulo tuo offerri tibi hæc sacramenta: tu enim es offerens & oblatus, suscipiens & distributus, Christus deus noster: & tibi gloriam referimus cum anarcho patre & sanctissimo & bono et viuifico spiritu tuo, nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

*Quo peracto dicit diaconus, stantibus singulis presbyteris in locis suis.*

Impleamus orationem nostram deo.

*Clerus & populus.* Kyrie eleison.

Pro appositis preciosis donis, dominum deprecemur.

*Clerus & populus.* Kyrie eleison.

Pro sancta domo hac, & pro iis qui cum pia fide ingrediuntur eam, dominum rogemus.

*Clerus & populus.* Kyrie eleison.

Vt eruamur nos ab omni tribulatione, ira, periculo & angu-

stia, dominum exoremus: Opitulare, salua, miserere & conserua nos deus tua gratia.

*clerus & populus.* Kyrie eleison.

Diem totam perfectam, sanctam, pacificam, & sine peccato à domino deposcamus.

*clerus & populus.* Præsta domine.

Angelũ pacis, fidelem ductorem, custodem animarum & corporum nostrorum à domino petamus.

*clerus & populus.* Præsta domine.

Veniam & remißionem peccatorũ & delictorum nostrorum à domino petamus.

*clerus & populus.* Præsta domine.

Bona & conferentia animabus nostris, & pacem mundo, à domino petamus.

*clerus & populus.* Præsta domine.

Vt reliquum vitæ nostræ tempus in pace & sanitate expleatur, à domino deposcamus.

*clerus & populus.* Da domine.

Bonum finem vitæ nostræ, inlamentabilem & inconfusum, & bonam responsionem ante formidolosum tribunal, à domino petamus.

*clerus & populus.* Da domine.

Sanctißimæ, intemeratæ, superbenedictæ. reginæ nostræ, matris domini, cum omnibus sanctis memoriam celebrando, nosmetipsos & adinuicẽ, omnem vitam nostram Christo deo commendemus.

*clerus & populus.* Tibi domine.

*Oratio post sacramentorum oblationem depositionémque in sancto altari.*

DOMINE deus omnipotens, solus sanctus, qui suscipis hostiam laudis ab iis qui te inuocant in toto corde, suscipe preces nostras, & offer sancto altari tuo: & fac nos dignos offerre tibi dona & sacrificium spiritale pro nostris peccatis atque ignorantiis populi: & præsta vt inueniamus gratiam in conspectu tuo, vt fiat acceptabile sacrificium nostrum, & inhabitet spiritus gratiæ tuæ bonus super nos, & super hæc apposita sacramenta, & super omnem populum.

Exclamatio

*Exclamatio vocis.*

Pro miseratione vnigeniti filij tui, cum quo benedictus es, cum sancto, benefico & viuifico spiritu tuo, nunc & semper & in secula seculorum.

*Clerus & populus.* Amen.

*Sacerdos.* Pax omnibus.

*Clerus & populus.* Et cum spiritu tuo.

*Diaconus.* Diligamus adinuicem.

*Et sacerdos deosculatur sanctum altare & reliqui similiter accedentes deosculantur sanctum altare, & sacerdos & diaconi osculantur se inuicem. Et post datum pacis osculum, innuit archidiaconus, extra stanti diacono, vt introitus cancellorum ianuas claudat, & dicit.*

Ianuas, ianuas. In sapientia attenti simus.

*Et clerus & populus.*

Credo in vnum deum, patrem omnipotentem.

*Quo completo, dicit diaconus.*

Stemus honeste, stemus cum timore: intentionem præstemus diuinis mysteriis, & in pace offeramus.

*Clerus & populus.*

Misericordiam pacis, sacrificium laudis.

*Quo dicto, sacerdos qui solus assistit diuinæ mensæ, & secus illam diaconi contingentes venerabile peplum, subleuant, sedatissima voce dicentes.*

Sãctus deus, sanctus fortis, sanctus imortalis, miserere nobis.

*Et omnino tollunt. Post hæc sacerdos cum voce pronunciat.*

Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas dei patris, & communicatio sancti spiritus, sit cum omnibus vobis.

*Clerus & populus.* Et cum spiritu tuo.

*Sacerdos.* Sursum corda.

*Clerus & populus.* Habemus ad dominum.

*Sacerdos.* Gratias agamus domino deo nostro.

*Clerus & populus.* Dignum & iustum est.

*Sacerdos pronus orat.*

VERE dignum & iustum est, te benedicere, tibi gratias agere, te adorare in omni loco dominationis tuæ: tu enim es deus ineffabilis, ignotus, inuisibilis, incomprehensibilis: semper es, similiter existẽs tu & vnigenitus filius tuus, et spiritus sanctus. Tu de non ente ad esse produxisti nos, & lapsos erexisti rursum, & non destitisti omnia faciens, vsquequo in cælũ reduxisti nos, & regnum futurum donasti, pro his omnibus gratias agimus

tibi & vnigenito filio tuo et spiritui sancto, pro quibus scimus, & pro quibus nescimus, beneficiis manifestis et non manifestis quæ nobis facta sunt. Gratias quoque agimus tibi et pro sacramento isto, quod ex manibus nostris suscipere digneris, quamuis tibi assistant archangelorum et angelorum milia milium, cherubim quoque & seraphim agmina sex alas habentium et multos oculos, et eleuatorum et pennatorum, *Hic exaltat vocem.* Cantantium, clamantiũ & sine fine hũc hymnũ pro victoria, dicentiũ.

*Clerus & populus.*

Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus sabbaoth.

*His ita pronunciatis, dicunt subdiaconi.*

Quicunque estis fideles orate.

*Sacerdos rursus dicit orationem.*

CVM his & nos beatorum virtutum agminibus, clemẽs dominator clamamus & dicimus, Sanctus es & sanctissimus, tu & vnigenitus filius tuus cũ sancto spiritu: & magnificentissima gloria tua, quando mundum dilexisti, vt filium tuum vnigenitum dares: vt omnis qui credit in illum, nõ pereat, sed habeat vitam æternam: qui veniens, completo omni pro nobis mysterio, nocte qua tradebatur, magis autem tradebat seipsum pro mundi vita, panem accipiens cum sanctis suis & immaculatis & impollutis manibus, cum gratias egisset, benedixit sanctificans: & frangens, sanctis suis discipulis & apostolis tribuit, dicẽs: *Exaltat vocem.* Accipite & comedite: Hoc est corpus meũ, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum.

*Clerus & populus.* Amen. *Sacerdos.*

Similiter autem & calicem postquam cœnauit dicens.

*Exaltat vocem.*

Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus noui testamẽti, qui pro vobis & pluribus effundetur in remissionem peccatorum. *Clerus & populus.* Amen. *Sacerdos pronus.*

Memores igitur salutaris huius mandati, & omnium eorum quæ pro nobis facta sunt, crucis, sepulchri, resurrectionis triduanæ, ad cælos ascensionis, sessionis ad dexteram, secundi & gloriosi rursus aduentus, *Eleuatio vocis.*

Tua ex tuis tibi offerentes, per omnia in omnibus

*Clerus & populus.* Te laudamus, te benedicimus, tibi agimus

mus gratias domine, & exoramus te deus noster.

*Sacerdos.*

Adhuc offerimus tibi rationabile ac incruentum hoc obsequium, & precamur, & supplicamus, & deposcimus, vt mittas spiritum sanctũ tuum super nos et super hæc apposita munera.

*Et erigens se & tertio consignans sancta munera, dicit.*

Et fac panem istum quidem, preciosum corpus Christi tui: & quod est in calice isto, preciosum sanguinem Christi tui.

*Et diaconus assistens, rursus dicit.* Amen.

Permutans sancto spiritu tuo.

*Diaconus.* Amen. *Sacerdos.*

VT fiat communicantibus in emundationem animæ, in remissionem peccatorum, in communicationẽ sancti spiritus, in regni cælorum plenitudinem, in fiduciam ad te, non in iudicium neque in condemnationem. Adhuc offerimus tibi rationabile hoc obsequium pro fideliter dormientibus, pro patribus & proauis nostris, interuenientibus patriarchis, prophetis, apostolis, martyribus, confessoribus & omnibus sanctis.

*Exaltat vocem.*

Præcipue autem sanctissimæ, intemeratæ, semper benedictæ reginæ nostræ, dei genitricis, semperque virginis Mariæ.

*Hæc autem qui stat in choro post sanctum altare, diaconus, qui fecerat continuatam orationem, pronunciat.*

Et pro vniuersorum cogitationibus vt domino placeant, exoremus. *Clerus & populus.*

Et pro omnium & vniuersorum.

*Diaconus interea suggerit vt pro defunctis fiat oratio. Sacerdos.*

Sancti Ioannis baptistæ, prophetæ & præcursoris, sanctorũ & nominatissimorum apostolorum, & sancti *huius* cuius memoriam agimus, & omnium sanctorum supplicationibus, visita nos deus, & memor esto omnium in domino dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ, ac requiem præsta eis, vbi lumen vultus tui superintendit: & adhuc precamur te.

MEMENTO domine omnium orthodoxorum, recte tractantium verbum veritatis tuæ, & omnium presbyterorum Christo ministrantium, & omnis sacerdotalis ordinis. Amplius obtulimus tibi hanc rationabilem hostiam, pro orbe, pro

sancta catholica et apostolica dei ecclesia, et iis qui casta in conuersatione ac sobria degunt. Pro fidelissimis & deo dilectis imperatoribus nostris, et toto palatio, & omni exercitu eorum: da eis domine pacificum imperium, vt nos in tranquillitate eorum quietam & tranquillam vitam ducamus in omni dei cultu et sobrietate. *Exaltat vocem.* In primis memento domine archiepiscopi nostri *talis.* quem concede sanctis tuis ecclesiis in pace saluum, honorabilem, sanum in longitudine dierum, & recte tractantem verbum veritatis tuæ.

*Post hanc sacerdotis pronunciationem, diaconus qui sanctum euangelium dicit, acutiori voce profert, si fuerit aliqua magna festiuitas.*

NICOLAI sanctissimi & vniuersalis papæ longa sint tempora: Eleutherij Alexãdriæ, Cyrilli Antiochiæ, Leontij Hierosolymorum, longa sint tempora. Et pro offerente sancta munera hæc domino deo, sacerdote, venerabili presbyterio eius quę in Christo est ministrationis, et omni sacerdotali ordine. Et pro imperio in victoria et perseuerãtia piissimorum et in Christo dilectorum imperatorum nostrorum N. & N. Alexij magni imperatoris & Porphyrogeniti: et pro pace et bono statu totius mundi, & sanctarum ecclesiarum. Et pro redemptione fratrum nostrorum captiuorum: & pro ea quæ Christum diligit militia, & pro circunstante populo, & pro vniuersis fidelibus dominũ deprecemur.

*Et populus ibidem acclamat.* *Sacerdos orat.*

Memento domine ciuitatis in qua habitamus, & omnis ciuitatis, regionis, & eorum qui fideliter inhabitant eas. Memento domine nauigantium, laborãtium, captiuorum, & salutis eorum. Memento domine fructiferorũ et bene operãtium in sanctis tuis ecclesiis, & eorum qui pauperum curam agunt, & super nos omnes misericordiam tuam transmitte.

*Exaltatio vocis.*

Et da nobis vno ore et vno corde glorificare et laudare honorificentissimum & magnificentissimum nomen tuum, patris & filij et spiritus sancti.

*Clerus & populus.* Amen. *Sacerdos.*

Et sit super nos misericordia dei & saluatoris nostri Iesu Christi.

*Clerus & populus.* Et cum spiritu tuo.

Deinde

*Deinde facit crucem super populum. & diaconus.*

Omnium sanctorũ memoriam facientes, iterum & iterum pro pace domino supplicemus.

*clerus & populus.* Kyrie eleison.

Pro oblatis et sanctificatis preciosis donis, dominum deprecemur. *clerus & populus.* Kyrie eleison.

Vt clemẽs deus qui suscepit ea in sancto et cęlesti intelligibili altari suo, mittat nobis propterea gratiã & donũ sancti spiritus. *clerus & populus.* Kyrie eleison.

Vt eruamur ab omni tribulatione. *cler. & pop.* Kyrie eleison.

Opitulare, salua, diem omnem perfectam, sanctam & pacificam & sine peccato à domino deposcamus.

*clerus & populus.* Præsta domine.

Angelum pacis, fidelem ductorem, custodem animarum & corporum nostrorum à domino petamus.

*clerus & populus.* Præsta domine.

Veniam & remissionem peccatorum nostrorum à domino petamus. *clerus & populus.* Concede domine

Bona & conferentia animabus nostris, & pacem mundo a domino petamus. *clerus & populus.* Concede domine.

Vt reliquum tempus vitæ nostræ in pace & sanitate expleamus, à domino deposcamus. *clerus & populus.* Præsta domine.

Bonum finem vitæ nostræ, inlamentabilem & inconfusum, & congruam responsionem ante formidolosum tribunal, à domino petamus. *clerus & populus.* Concede domine.

Vnitatem fidei & communicationem sancti spiritus petentes nobismetipsis & adinuicem, omnem vitam nostram domino commendemus. *clerus & populus.* Tibi domine.

*Interea dicitur hæc oratio à sacerdote.*

TIBI commendamus omnem vitam nostram & spem, dominator clementiæ, & precamur & supplicamus vt mereamur communicare cælestia & terribilia mysteria tua huius sanctæ et spiritualis mensæ, in pura conscientia in remissionẽ peccatorum, in veniam delictorum, in spiritus sancti communicationem, in regni cælorum hæreditatem, non in iudicium vel in cõdemnationẽ. *Eleuatio vocis.* Et dignos nos fac domine vt cum fiducia indemniter audeamus inuocare te cælestem dominum

patrem & dicere.

*Clerus & populus.* Pater noster qui es in cælis.

*Sacerdos.*

Quoniam tuum est regnum & virtus et gloria, patris & filij & spiritus sancti.

*Clerus & populus.* Amen.

*Sacerdos.* Pax omnibus.

*Clerus & populus.* Et cum spiritu tuo.

*Diaconus.* Humiliemus capita nostra domino.

*Orat sacerdos.*

GRATIAS agimus tibi rex inuisibilis, qui tua immensa potentia omnia condidisti, et multitudine misericordiæ tuæ quę non erant ad esse constituisti: tu ergo dominator, de cęlis respice super eos qui ceruices tibi suas inclinauerũt: non enim inclinauerũt carni & sanguini, sed tibi terribili domino. Tu igitur domine nobis omnibus imminentia in bonũ explana, prout cuique vtile est: nauigantibus connauiga, iter agentibus comitare, ęgros sana, qui es medicus animarũ & corporũ. *Exaltat vocem.*

Gratia & miserationibus, & clementia vnigeniti filij tui, cum quo benedictus es cum sancto bono et viuifico spiritu, nunc & semper & in secula seculorum.

*Clerus & populus.* Amen.

*Sacerdos rursus orat.*

Respice domine Iesu Christe deus noster de sancto habitaculo tuo, & de sede gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos, qui sursum cum patre sedes, et deorsum nobis inuisibiliter assistis, dignare tua potenti manu tribuere nobis immaculatum corpus tuum, & preciosum sanguinẽ, & per nos omni populo.

*Hac oratione dicta, dicit diaconus.* Attenti simus. *Et sacerdos se inclinãs suscipit portionem quæ est in sancta patena & modicũ sustollẽs dicit.* Sãcta sanctis.

*Clerus & populus.*

Vnus sanctus, vnus dominus, in gloria dei patris. Amen.

*Deinde accedũt diaconi, qui sanctum Euãgelium dixit, & qui cõtinuatam orationem, & apprehensis labiis calicis cum duobus digitis, dicunt ad sacerdotem.*

Expleto domine.

*At ille partitur portionem sanctam in quatuor partes, ponens eas in modum crucis super patenam. & vnam quidem partium mittit in calicem, dicens.*

Plen

Plenitudo spiritus sancti. Amen.

*similiter fit & penes alium calicem si sit. Quo peracto accipiunt diaconi sacros calices præstolantes cum feruente aqua venientem subdiaconum, qui & dicit.*

Benedicito domine hoc feruidum.

*At ille respondet.*

Benedictus deus noster, nunc et semper et in secula.

*Tũc infundit aquam calidam, quantum sufficit. Deinde sumit corpus dominicum, si solus fuerit: quando verò plures fuerint, primus inter eos accepta communione, porrigit reliquis deosculantibus manus eius & genam, & ipse similiter ab aliquo eorum suscipit eucharistiam. & hoc modo pariter inclinantes sancto altari, susceptam domini carnem manducant: similiter & calicem mutuò inter se porrigunt, vt sanguinẽ domini bibant. vbi verò sacerdotes vt dictum est perfecerint, iubet archi diaconus vt diaconi accedant: & accedentes suscipiunt, vt fecerunt sacerdotes: deinde vnusquisque sacerdotis maxillam deosculatur. post communionem, dicit orationem hanc.*

GRATIAS tibi agimus clementissime dominator, redemptor animarum nostrarum, quoniam & præsenti hac die cælestibus & immortalibus mysteriis nos dignos fecisti: tu dirige viam nostram, serua nos in timore tuo: tuere vitam nostram, gressus nostros firma, orationibus & intercessionibus sanctæ & gloriosæ dei genitricis & semper virginis Mariæ. *Eleuatio vocis.* Exaltare super cælos deus, & super omnem terram gloria tua, nunc & semper et in secula seculorum. Amen.

*Sed qui postremo communicat diaconus reportat super altare calicem, & operit & dicit populo.*

Cum dei timore accedite.

*Populus respondet.*

Benedictus qui venit in nomine domini: deus dominus & illuxit nobis.

*Tunc sacerdos populum benedicit, & incensum cuius fumus per diaconum sancto calici porrigitur, & sic feruntur ad locum mysteria vbi populus debet communicare. Et sacerdos dicit.*

Nunc & semper & in secula secula seculorum. Amen.

*Et populus.*

Repleatur os meum laude, vt cantemus tibi gloriam tuam: quoniam fecisti nos dignos sanctorum tuorum mysteriorum, in tua sanctitudine serua nos deus, tota die meditantes iustitiam tuam. Alleluia.

*Et egressus de choro, diaconus dicit.*

Stantes qui communicauimus dominica, immaculata, immortalia, cælestia mysteria, agamus gratias domino.

*Clerus & populus.* Kyrie eleison.

Opitulare,salua,miserere ac custodi nos. Diem omnem per fectam,sanctam,pacificam & absque noxa à domino deposcamus. *Clerus & populus.* Concede domine. *Sacerdos.*

Quoniam tu es sanctificatio nostra, & tibi gloriã referimus, patri & filio & spiritui sancto,nunc & semper.

*Diaconus.* In pace discedamus.

*Clerus & populus.* In nomine domini.

*Et diac.* Dominum exoremus. *Clerus & pop.* Kyrie eleison.

*Tunc dicit sacerdos orationẽ hanc ante cancellos.*

DEVS qui benedicis benedicentes te, & sanctificas in te sperantes,saluum fac populum tuum,& benedic hæreditati tuę: plenitudinem ecclesiæ tuæ custodi, sanctifica diligẽtes decorem domus tuæ:tu eos glorifica diuina potentia tua,& ne derelinquas nos in te sperantes:pacem mũdo tribue,ecclesiis tuis, sacerdotibus,imperatoribus nostris, militiæ ac omni populo. Quoniam omne datum optimũ & omne donum perfectum desursum est descendens ex patre luminum,& tibi gloriam,& gratiarum actionem,honorem & adorationem referimus,patri & filio & spiritui sancto, nunc & semper & in secula seculorũ. Amen.

*Populus autem dicit ter.*

Sit nomen domini benedictũ,ex hoc nunc & vsque in seculũ. Gloria patri & filio & spiritui sancto,nunc & semper & in secula seculorũ. Amen. *Et ter dictum* Kyrie eleison. *Et,* Domine benedic. Benedictio domini super nos semper nunc & in secula seculorum. Amen. *Et populus.*

Benedicam dominum in omni tempore.

*Quo peracto dicit sacerdos rursum.*

Benedictio domini super nos. *Et hoc.* Domine Iesu Christe deus noster miserere nobis.

*Et in his missa terminatur,vbi regressus fuit sacerdos in secretarium dicit hanc orationem.*

Plenitudo legis & prophetarum tu existis, Christe deus noster,qui adimplesti omnem patris dispensationem,reple nos sancto spiritu tuo,nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

*Finis sacræ Missæ S. Ioannis Chrysostomi. Præterea dignum scitu est,quòd quadragesimali tempore Græci Missarum solẽnia, exceptis sabbato & dominica, minimè celebrãt: sed præsanctificatis,sicut nos in sancta die Parasceues,vtuntur.*

# DE MYSTERIO SYNAXEOS, SIVE COMMVNIONIS, EX DIONYSIO AREOPAGITA.

IN FINE omnium, hierarcha ad sacratißimam Eucharistiam vocat
eum qui est sacris initiatus, ac perficientium mysteriorum eum com-
munione donat. Verùm bene habet quòd in mẽtionem eius incidi-
mus, qua mihi prætermissa nefas esset de hierarchicis aliquid aliud an
te istam celebrare. Etenim est vt inclyto præceptori nostro videtur, sa
cramentorum sacramentum summum. atque oportet eo ante alia hie
rographicè exposito, ex afflata diuino numine per oracula, & hie-
rarchica scientia, ad sacram eius attolli dei ductu moderato spiritu contemplationem. Ac
primũ quidem hoc sanctè dispiciamus, cuiusnam rei gratia quod cõmune alijs quoque sacra-
mentis hierarchicis est, præcipuè huic præ reliquis attributum est, vt vnicum nuncupetur &
cõmunio, & synaxis, cùm sacrosanctum vnumquodq; institutum, & secretas in partes vitas
nostras, in vniformem numinis conformationem colligat, & diuiduorum deiformi cõnexio-
ne, in vno communicationem & vnionem largiatur. Dicimus verò, aliorum hierarchicorũ
perceptionibus symbolorũ perfectionẽ ab huius diuinitus gubernatis & perficientibus donis
inesse. Non enim ferè licet vllũ peragatur sacramentũ hierarchicũ, nisi diuinißima eucharistia
ad summã singulorũ eorum quæ peragũtur, coniunctionem sacris initiati in vnum, sanctifica-
uerit, & diuinitus accepto perficientiũ mysteriorum munere eam qua cum deo is copuletur
peregerit societatem. Si ergo singula hierarchica sacramẽta cùm imperfecta manẽt, eam qua
deo cõiungamur societatẽ & synaxin uõ perficiat, & quo minus sit sacramẽtum imperfectio
efficiat: finisq; cuique sit ac summa, si qui initiatur, mysterijs diuinis participet: merito hierar
chica prudẽtia ei à rerũ veritate propriũ nomen inuenit. Ita sanè & sacrosanctũ per quod
deo generamur sacramentũ, quòd primi luminis participes faciat, initiúmq; sit omnium diui
narum illustrationum, ex eo quod agitur, vera illustrationis appellatione celebramus. Quã-
uis enim etiam omnibus sit hierarchicis cõmune, lumen sacrum initiatis impertiri, tamen hoc
primum videndi munus mihi concessit, huiusque omnium primo atque præcipuo lumi-
ne ad aliorum sacrorum inspectionem quasi manu ducor. His autem dictis, cõsideremus ac
hierarchicè perspiciamus vnamquanque sanctißimi sacramenti accuratam operationem &
contemplationem.

## MYSTERIVM SYNAXEOS SIVE COMMVNIONIS

Hierarcha quidem prece sacra in altari diuino peracta, ab eóque incensum adolendi sum
pto initio, vniuersum adit loci sacri ambitum. Reuersus autem ad diuinum altare, inchoat
sacram psalmorum melodiam, vnà canẽte cum eo sacrum psalmorum eloquium vniuerso ec
clesiastico ordine. Deinceps per ministros sacræ scripturæ librorum consequẽter fit recitatio:
& postea, foras exiguntur sacro ambitu catechumeni, & præter hos energumeni, atque pæ-
nitentes: manent autem qui diuinorum inspectione & communione sunt digni. E ministris ve
rò partim stant pro sacri foribus clausis, partim aliud quidpiam sui proprium ministerij ex-
ercent: alij ordinis ministrorum selecti præcipuíque, cum sacerdotibus, in altari diuino pro-
ponunt sacrum panem & benedictionis calicem, iam antè toto Ecclesiæ cœtu catholicam hy
mnologiam professo. Ad hæc, diuinus hierarcha orationem sacrã absoluit, & sanctam pacẽ
omnibus denũciat: & osculatis se inuicem omnibus, mystica sacrarũ tabularũ recitatio ab-
soluitur. Cúmque manus abluerunt aqua hierarcha & sacerdotes, hierarcha quidẽ in me-
dio diuini altaris insistit, circunstant verò soli cum sacerdotibus è ministris selecti & præci-
pui. Atque hiararcha sacris dei operibus cõmemoratis, diuinißima operatur, & in cõspectũ
adducit quæ per sacra proposita symbola celebrãtur: ostensisque dei operum donis gratuitis,
ad eorum communionem sacram, & ipse accedit, & alios inuitat. Percepta autem imper
titáque diuinæ potestatis communione, in gratiarum sacram actionem desinit, multis quidem
ad sola diuina symbola intentis: ipso verò semper diuinitus afflato spiritu ad sancta rituum
principia per beatas & intelligentiæ proprias contemplationes, hierarchicè in puritate dei-
formis habitus, se erigente.

THEORIA.

AGEDVM Ergo bone puer veni post imagines per ordinem & sanctè ad deifor-
mem archetyporum veritatem. Illud ijs qui etiamnum initiantur, ad concinnam ipsorum a-
nimi institutione dixerim, neque symbolorum variam & sacram compositionem, inutilē
ipsis esse, etiam si ad externa vsque duntaxat appareat. Nam sacerrima oraculorum cantica
& lectiones, doctrinam ipsis viuēdi ex virtute suggerunt: & ante hoc integram exitiosi vi-
tij expiationem: diuinissima verò vnius eiusdémque panis & calicis communis atque paci-
fica perceptio morū similitudinē diuinitus donatam, ipsis vt qui moribus similes sint, præ-
scribit, & diuinissimæ illius cœnæ & quæ symbolorum in sacramentis princeps est, sacram
memoriam renouat. vt & ipse symbolorum auctor exortem iure optimo facit cum qui
minus sanctè secum ac consimilibus moribus sacram cœnam perceperit, docens religiose si-
mul & diuinè, verum ex habitu ad diuina accessum, communionem cum suo cuique simili,
accedētibus largiri. His igitur vt dixi, quæ pro adytorum vestibulis pulchrè descripta, mi-
nus adhuc perfectis ad theoriam satis sunt, relictis, ingrediamur ab effectis causarum ad cau-
sas: itáque sacram hanc nostram synaxin & decoram eorum quæ per intelligentiam de Iesu
nobis prælucente percipiuntur, intuebimur theoriam, beata pulchritudine archetyporū cla-
rè micantem. Sed ô diuinissimum & sacrosanctum sacramentum, quæ te circundant symbo
licè operimentis ænigmatum reuelatis, perspicuè nobis fac appareas, & intelligentia nostræ
oculos, singulari ac inobscurabili lumine comple. Igitur oportet intra ea quæ omni ex par
te sacra sunt, nos consistamus, vt arbitror: & intelligentia primiè signis nudata, in deiformē
ipsius pulchritudinem defixis oculis intueamur: atque hierarcham ipsum diuinitus afflati
cernamus ab altari diuino vsque ad extrema sacri decorè progredientem, & denuo eōdem
deintegro remeantē. Nam supra omnia diuinæ potestatis beatitudo, etsi bonitate diuina pro-
cedit ad se sanctè participaturis impertiendā, non tamen extra substantiæ immobilem statum
ac firmitatē excedit: sed omnibus deiformibus pro eorum modulo illucet, verè circum se ipsa
permanens, & nullatenus à sua ipsius identitate se dimouens. Itidem diuinum synaxeos sa
cramentū, etsi singulare ac simplex habens cōnexúmque principium, in varietatē sacram sym
bolorum, hominum gratia multiplicetur, & ad omnem vsque hierarchicam adumbrationē
pergat: attamen vniformiter ex his rursum ad propriā monadem colligitur, & in vnum con-
nectit eos qui ad ipsum sanctè attolluntur. Eodem igitur deiformi modo diuinus hierarcha,
etsi singularem suam hierarchiæ scientiam bonitatis specie ad subditos demittat, sacrorum æ-
nigmatum multitudinibus vtens, rursus tamen quasi solutus, & ab inferioribus retincri ne
quiens, ad suum ipsius principium sine vlla diminutione restituitur, peractóque intelligēti
suo ad vnum ingressu, purè cernit eorum quæ perficiuntur vniformes rationes, finem huma-
nitatis pleni progressus ad ea quæ secunda sunt, diuiniorem ad prima reuersionem faciens.
Iam verò psalmorum sacra recitatio, quæ omnibus ferme hierarchicis mysterijs coalescit,
ab eo quod omni ex parte sacratissimæ potestatis est, abiurgi non debuit. omnis enim sacro-
sanctæ scripturæ pagina, aut rerū procreatam substātiam à deo & ornatum: aut legalem hie
rarchiam & politiam: aut populi dei hæreditatum sortito diuisiones & possessiones: aut iu-
dicum sacrorum, vel regum sapiētum, vel sacerdotum diuinitus afflatorum prudentiam: aut
veterum virorum in varijs & multis molestijs, inconcussam patientia philosophiam: aut
de rebus agendis sapientes admonitiones: aut diuinorū amorum cantica, & deo plenas ima-
gines: aut futurorum propheticas prædictiones: aut virilia Iesu diuináque facta: aut eius di-
scipulorum à deo traditas deíque imitatione institutas politias: & sacras doctrinas: aut ab-
strusam & mysticam visionem inter discipulos illius dilecti ac perdiuini: aut supermunda-
nam Iesu theologiam, ad diuinitatem capescendam idoneis exposuit, ac sacrosanctis sacramē
torum deiformibúsque subuectionibus quasi radicibus firmauit. Diuinarum autem odarū
sacra descriptio, quæ scopum habet, dei sermones operáque celebrare omnia, & diuinorum
virorum sacra dicta sacráque facta laudare, catholicam diuinarum rerum continet odam
atque narrationem, ad omnis hierarchici sacramenti susceptionem & traditionem, habitum
proprium ingenerans ijs qui instituctu diuino sanctè recitant eam. Cum ergo ea quæ comple-
ctitur sacrorum omne genus hymnorum modulatio, animarum nostrarum habitus concinnè
ad ea quæ paulo pòst sacra peragentur præparauerit, & diuinarum odarum consona voce
concordiam cum diuinis ac secum mutuámque, quasi vno atque conuenienti sacrorum cho-

rea

reæ consensu, præscripserit, ea quæ concisius & obscurius in spiritali psalmorum modulatio-
ne dicuntur, per plures & clariores imagines ac repetitiones dilatantur sanctissimus sacro-
sanctæ scripturæ librorũ lectionibus. In hos qui inspicit, vt sanctos decet intuebitur vni-
formem vnámq; consensionem, veluti ab vno diuinæ maiestatis spiritu profectam. Vnde me-
riio ornatè post vetustiorem traditionem, nouum Testamentum prædicatur, ordine diuinitus
instituto ac hierarchico illud opinor indicante, illam quidem dixisse futuras Iesu diuinas ope
rationes, hoc verò perfecisse: necnõ illam sub imaginibus veritatem scripsisse, hoc præsentem
submonstrasse. Illius enim prædictionum veritatem quæ in hoc operum consummatio expo-
nitur, confirmauit: estque theologiæ summa, diuina operatio. Harum rerum ij quidem qui o-
mnino sacrorũ ignari sunt sacramentorum, ne imagines quidem vident, impudenter saluta-
rem cùm repudient diuinæ generationis initiationem, & oraculis exitiose opponant illud,
Vias tuas nosse nolò. Porro catechumenos, energumenósque, ac pœnitentes, sancta hierar-
chiæ institutum, permittit quidem exaudire psalmorum sacram recitationem, & à deo inspi
ratam sacrosanctarum omni ex parte scripturarum lectionem: ad consequentes tamen sacro-
rum operationes ac theorias haud conuocat eos, sed perfectos perfectè initiatorum oculos. Est
enim deiformis hierarchia, iustitiæ sacræ plena, & pro sua cuiq; dignitate salutariter tribuit,
cõgruentẽ vniuscuiusque diuinorũ participationem modo cõsentaneo & proportione pro tẽ
pore sanctè largiens. Vltimus itaque catechumenis attributus est ordo: sunt enim expertes ac
ignari totius hierarchicæ initiationis, neque ex diuino quasi partu diuinitus inspiratum ade-
pti sunt statũ: sed adhuc à paternis oraculis quasi ab obstetricibus conformantur, & viuificis
figurationibus effingũtur, ad vitam ex diuina generatione vitalẽ & luminis principẽ beatã-
q; degendam. Quemadmodũ ergo si imperfecti & informes ante obstetricationem propriam
exciderint carnales infantes, abortiui eiectitijq;, ingenitam ac vitæ lucisque expertẽ in terrã
occasum habituri sunt, nec quispiam sanæ mentis dicat, ad id quod apparet respiciens, in lucẽ
eos productos fuisse, tenebris vteri liberatos: (dixerit enim perita corporũ magistra medici-
na, Lumen efficax erit in lucis capacia: ) ita quoque sacrorum omni ex parte sapiens sciẽtia,
in primis quidem ipsos formatiuorum ac viuificorum oraculorum institutione quasi alimẽto
in morem obstetricis erudit: vbi verò perfectè instruxit ad diuinam generationem eorum sta-
tũ, donat salutariter eis per ordinem ad luciformia perfectéque operantia cõmunionem. nũc
verò vt ab imperfectis ablegat perfecta, & dignitati sacrorum prouidens, & catechumeno-
rum in deiformi hierarchicorum ordine eruditioni atque vitæ. Energumenorum autem mul
titudo, prophana & ipsa quidẽ est, secunda verò est supra catechumenorum extremitatem.
Neq; enim par est vt opinor, ei quod prorsus sacrorũ rude est & diuinorũ ad summũ expers,
id quod communionem sacerrimorum habuit sacramentorum, prætera etiam contrarijs aut
illectamentis aut perturbationibus obnoxium detinetur. Verumenimuerò his quoque omni
ex parte sacrorum aspectus communióque præcluditur. & sanè merito. Nam si verum est, ꝙ
in totum vir diuinus, qui diuinorum dignus est perceptor, qui ad summum pro suo modulo
deiformis numinis per omnimodos perfectiuosque in deo progressus subuectus est, neque ea
quæ carnis sunt præter maximè naturæ necessaria operabitur, idque si eueniat, defunctoriè:
imò templum simúlque assecla per quantum potest summum in deo progressum, diuinæ maie
statis spiritus erit, simili simile constabiliens: non vtique talis vnquam ab aduersis exercea-
tur phantasiis aut terroribus: ridebit verò ea, & accedentia conculcabit, atque expellet, aget
que potius quàm patietur: & præterquàm quòd suo ipsius habitu impatibilis & inexora-
bilis erit, cæteris quoque medicus cernetur talium diuexationum. Opinor autem ego insuper,
vel potius scio planè, quòd hierarchicorum sincerissima discretio præ his nouit energumenos
scelestissima dæmonis infestatione agitatos, quotquot à deiformi defecerunt vita, concordés-
que sententijs & moribus, exitiosis fiunt dæmonibus, ea quidem quæ verè sunt & immorta-
liter comparanda, & perpetuò iucunda, ob extremam sibíque perniciosam dementiam auer
santes: materialem autem & multis passionibus obnoxiam immutationem, & perditas exi-
tialésque voluptates, & instabilem in rebus alienis, non quæ sit, sed quæ videatur, eupathiã
concupiscentes & exercentes. Primi itaque hi & propriè magis quàm illi, per ministri se-
gregatricem vocem eliminentur: non enim fas eis est in alterius sacri partem venire, quàm o-
raculorum reuocatricis ad meliora doctrinæ. Nam si diuinorum supermundana sacra ope-
ratio, etiam pœnitentibus & qui antea astiterant celatur, neminem nisi prorsus sanctissimũ
admittens, acclamat autem & hoc perquàm sanctè, Iis qui in quopiam ad deiformis numi-
nis summum imperfectè imbecilles sunt & infirmi, neque mei videndi copiam neque partici

pandi facio (abigit enim hæc omnino sincerißima vox etiam eos qui non poßunt cõprecarè
diuinißimorum dignè participibus) multo certè magis eorum multitudo qui à paßionibus
diuexantur, prophana erit, & ab omni sacrorum aliena conspectu atque communione. Quã
do diuino exacti sunt templo, atque supereminenti eis sacra operatione, sacris non initiati &
imperfecti: & præter eos, qui à sacra defecerunt vita: & consequenter his, ij qui ab aduersa-
riorum phantasiis ac terroribus facile propter ignauiam afficiuntur, vt qui non peruenerint
contento miniméque remisso erga res diuinas propenso consensu, ad deiformis habitus immo
bilitatem atque efficaciam: itémque præter hos, qui à contraria ij quidem desciuerunt vita,
nondum tamen & à phantasiis eius, habitu amoréque diuino & sincero expiati sunt: &
post hos, ij qui non in totum vniformes, & vt legis verbis vtar, immaculati sunt & inconta-
minati penitus: omnino autem sacri sacrorum omni ex parte operatores cupidíque specta-
tores, sacratißimum sacramentum vt sanctos decet intuentes, celebrant hymnologia catholi-
ca beneficum munificúmque auctorem, à quo salutaria nobis commonstrata sunt sacramen-
ta, quæ sacram initiatis numinis similitudinem perficiant. Hymnum autem hunc alij hymno-
logiam vocant, alij fidei symbolum: alij vt arbitror diuinius, hierarchicam eucharistiam,
vt quæ complectatur ea quæ ad nos diuinitus allata sunt sacra dona. mihi enim videtur eo-
rum omnium celebrium dei operum ratio nobis obtigisse, quòd nostram substantiam vitám-
que bonitatis gratia procrearit, & archetypis pulchritudinibus quod deiforme est in nobis
conformarit, & diuinioris habitus subuectionísque participes reddiderit: necnõ prouiderit
nobis ingeneratam negligentia diuinorum donorum destitutionem, instauratitijs nos bonis
ad antiquum statum reuocans, & perfecta nostrorum assumptione absolutißimam suorum
traditionem benignè impertiẽs, hacque ratione communionem nobis dei atque diuinorum
largiẽs. Ad hunc verò modum diuinæ maiestatis benignitate erga genus humanum sacris
laudibus celebrata, occultatus quidem panis diuinus proponitur, atque benedictionis calix:
diuinißima autẽ salutatio sanctè peragitur, & hagiographarum tabularũ mystica & supra
mundana recitatio. Non enim licet in vnũ coire, & in vnionis pacificæ cum vno partem ve-
nire inter sese diuisos. Si enim ab vnius cõtemplatione ac cognitione illustrati, cum vniformi
diuináque vniremur coalitione, neutiquam in diuiduas decidere cupiditates sustineremus, à
quibus materiales efficiuntur & paßionibus obnoxiæ erga naturæ consentaneas inimicitiæ.
Hanc itaque vt arbitror vniformem & indiuiduam vitam, pacis sacra operatio præscribit,
simili simile affirmans, & à diuiduis diuina singulariáque ablegans spectacula. Sacrarum
porro tabularum post pacem recitatio, commendat eos qui piè vixerunt, & ad vitæ ex vir-
tute constanter actæ perfectionẽ peruenerunt, nos quidem ad beatum per similitudinẽ nostri
ipsorum habitũ ac deiformẽ finem excitans ac deducẽs: illos autem vt viuentes prædicans: &
vt ait theologia, non mortificatos, sed ad diuinißimam vitã ex morte translatos. Cõsidera ve
rò quòd & memorijs sacris adscripti sint, diuina hac cõmemoratione non humanitus in phã
tasia partis animæ memorantis se monstrante, sed vt dixerit quispiam, diuinitus pro hono
rifica & immutabili in deo eorum qui se deiformes penitus exhibuerunt, cognitione. Nouit
enim, inquiunt oracula, qui sui sunt, & preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius,
morte sanctorum pro perfectione in sanctitate nuncupata. Et hoc quoque sacra cogitatione
cõsidera, quòd impositis altari diuino venerandis symbolis, per quæ Christus significatur &
percipitur, adest inseparabiliter sanctorum descriptio, quæ cõnexum eorum indiuiduum de-
monstrat supramũdanæ sacræque vnitatis cum ipsò. His autem quo ritu dictum est sanctè
peractis, adstans coram sanctißimis symbolis, aqua manus hierarcha lauat cum venerãdo sa
cerdotum ordine: quòd scilicet, vt oracula dicunt, qui lotus est non indiget alicuius alterius,
nisi summorũ siue extremorum suorũ ablutionis, qua summã expiationem in omni sanctitate
deiformis status adipiscetur: & ad secũda progreßus bonitatis specie, liber & solutus, vt qui
semel vniformis, & ad vnum denuo vnicè reuertens, sinceram facturus sit & puram reuer
sionem, nempe deiformis status seruans plenitudinem & integritatem. Sacrum id lauacrum
vt diximus, in hierarchia legali, & nunc hierarchæ sacerdotúmq; manuum ablutio innuit.
Nam ad sacratißimam omni ex parte accedentes sacrorum operationem, expiati sint oportet
vel extremis animi phantasiis, & similitudine quoad fieri poßit ei proximè accedant. ita e-
nim euidentioribus dei manifestationibus vndique illustrabuntur, supramundanis fulgori-
bus ad similiformium speculorum splendorem, plenius ac dilucidius sinentibus suum iubar
effulgere. Hierarchæ autem & sacerdotum ad summa seu extrema vsque ablutio, coram san
ctißimis symbolis peragitur, veluti sub Christi conspectu omnes nostras intuentis occultißi-
mas

mas cogitationes, & summa expiatione in eius omnium consideratricibus inquisitionibus, ac iustissimis & incorruptis iudicijs definita. Ad hunc modum cum diuinis hierarcha vnitur, & sacris dei operationibus celebratis, diuinissima sacra peragit, & quæ celebrauit, sub aspectum adducit. Quænam dei erga nos munera existere dicimus, deinceps exponendũ pro viribus: neque enim omnes celebrare idoneus ego, nedũ planè noscere, & cæteros docere. Quæ tamen à diuinitus inspiratis hierarchis congruẽter oraculis celebrantur, & sacrè peraguntur, ea quantum poterimus dicemus, hierarchica inspiratione ad auxiliandum implorata. Humanam naturam principio à diuinis bonis amenter prolapsam, multis passionibus obnoxiissima vita excipit, & exitiosæ mortis terminus. Consequenter enim à vera bonitate perniciosa defectio, & sacræ in paradiso latæ legis transgressio, viuifici iugi excussorem ad illecebrosas aduersarij infensasque fraudes, in ea quæ diuinis bonis cõtraria sunt proprijs momentis mancipauit. Inde miserabiliter, æterno quidem mortale permutauit: suum verò quæ initium in exitialibus habuerat generationibus, ad finem initio consentaneum merito perductus est. Quin & à diuina ad supernáque agente vita voluntariò delapsa, ad contrariam extremitatem pertracta est, immutationem multis passionibus subditissimam. cúmque aberrauerit, & à recta via quæ ad verum deum ferretur, deflexerit, atque pernicialibus & maleficis se subiecerit multitudinibus, minimè aduertit se non dijs, non amicis, sed hostibus obsecundare. his autem ea absque vlla venia pro sua crudelitate abutentibus, in periculum internecionis & perditionis miserabiliter inciderat. Verum diuinæ bonitatis clementia infinitissima, etiam nostri per se ipsam operantem prouidentiam vt bonum decet non abiecit: sed vera nostrorũ omnium absque peccato assumptione, & cum humilitate nostra vnione facta, interim tamẽ sibi propria incõfusa & penitus integra retinens, nobis secũ quasi cognatis in posterũ largitus est societatem, ac suorum bonorum participes declarauit, apostaticæ quidẽ cohortis, vt occulta traditio habet, imperio in nos dissoluto, nõ pro potestate vt praualẽs: sed secundũ nobis mysticè traditum oraculũ, in iudicio & æquitate. ijs verò quæ in nobis erant ad omne contrarium beneficè translatis. nam quod in mente nostra lucis expers fuerat, beato diuinissimóque lumine compleuit: & quod deforme, deiformibus ornauit pulchritudinibus: animæ verò habitaculum, in perfecta salute nostræ substantia propemodum collapsæ, à scelestissimis passionibus exitiosisque inquinamentis liberauit, via ad superna nobis supramundana submonstrata, & conuersatione diuinitus inspirata per sacras nostri cum illa quoad fieri possit assimilationem. Dei autem imitatio quonam modo nobis aliter ingeneretur, nisi sacratissimarum dei operationum memoria renouata semper hierarchicis sacris prædicationibus atque sacrificijs, hoc faciamus vt oracula dicunt, in eius commemorationẽ? Hinc diuinus hierarcha pro sancto altari adstans, celebrat sacra diuina Iesu opera, id est diuinissimæ nostri prouidentiæ, quæ ipse ad salutem generis nostri beneplacito vndique sanctissimi patris in spiritu sancto vt est in oraculo peregit. Vbi verò hæc celebrauit, & venerabilẽ eorum ac intelligentiæ propriam oculis intellectus intuitus est, ad symbolicam eorum sacram operationem venit, idque quẽadmodum à deo traditum est. Vnde religiose simul & hierarchicè post sacros deificorum hymnos, pro sua operatione sacra excusationem adfert, prius sanctè ad eum exclamans, Tu dixisti, Hoc facite in meam commemorationem: deinde ad imitationem dei cõposita huius sacræ operationis dignus fieri precatus, & ad similitudinem ipsius Christi diuina peragere, & impertiri sanctissimè sacra percepturis, ac sacrosanctè percipere, diuinissima peragit sacra: atque oculis obijcit quæ celebrauit per sacra proposita symbola. nam pane qui opertus erat & indiuisus, patefacto & in multas partes secto, vnitatéque calicis omnibus dispertita, symbolicè vnitatem multiplicat & distribuit, sacratissimam omni ex parte in his diuinam operationem peragens. Vnum enim ac simplex & secretum Iesu diuinissimæ originis verbi, per assumptam nostram humanitatem, ad compositum & visibile immutabiliter bonitate & clementia processit, ac nostrum secum vnificum consortium beneficè molitus est, & quæ in nobis humilia sunt cum suis ad summum diuinissimis vniuit: siquidem & nos tanquam membra corporis coalescamus cum eo in eandem immaculatam ac diuinam vitam: nec perniciosis affectibus mortificati, deiuncti & incompactiles necnon cõsortio vitæ inhabiles fiamus cum diuinis & valentissimis membris. Oportet enim si cum eo consortium desideramus, ad diuinissimam eius in carne vitam inspiciamus, & per eius similitudinem, quæ sancta est impeccabilitas, ad deiformem & immaculatum habitum recurrere. ita enim concinnè nobis similitudinis cõmunionem largietur. Hæc sacris peragendis hierarcha significat, & occulta dona palam proferens, & vnitatem eorum in multa diuidens.

*& per eorum quæ distribuuntur cum ijs in quibus fit extremorum vnione, participes ipsoru*
*efficiens communicantes. Describit enim in his, sensibiliter sub aspectum agens Iesum Chri-*
*stum, spiritalē nostram velut in imagine vitam, ex numine abstruso, per integram & inconfu*
*sam nostræ humanitatis assumptionem, benignè ex nobus formatum, & ad diuiduum nostrum*
*immutabiliter ex vno natura procedentem: & benefica sua humanitate, ad sui participatio-*
*nem propriorúmque bonorum vocantem genus humanum, siquidem cum eius vniti simus*
*diuinissima vita, ad eius similitudinem quoad fieri potest nobus compositis: & hac ratione*
*verè participes dei diuinorúmque efficiemur. Porrò percepta ac data diuinæ potentia cō*
*munion e, in sacram gratiarum actionem desinit is cum vniuerso ecclesia sacro cœtu. Perce-*
*ptio traditionem præcedit, & mysticam distributionem mysteriorum assumptio. Ea enim est*
*catholica diuinorum decentia, is ordo, vt primùm participet satieturque sacer antistes*
*ijs quæ per eum diuinitus cæteris largientur. Ita sanè & à deo inspiratis disciplinis qui au-*
*dacter abutuntur, antequam conuersationem & habitum illis consentaneum adepti sint, im*
*puri ac alieni penitus à sacro sunt instituto. Sicut enim in solaribus radijs tenuiores ac luci-*
*diores substantiæ, quæ primæ influente splendore complentur, lumen quo totæ superfundun-*
*tur, ad posteriora se solis in morem deriuant: ita quoque diuinum quenque antecedere cæteris*
*non est audendum, nisi si quis omni habitu suo euaserit deo simillimus, & diuina inspiratio-*
*ne iudicióque moderator fuerit declaratus. In his omnis sacerdorum ornatus hierarchicè con-*
*gregatus, & perceptis in commune diuinissimis, cum sacra gratiarum actione finem facit, di-*
*uinorum operum pro modulo agnitis celebratisque beneficijs. Itaque qui diuinorum expertes*
*sunt & ignari, nequaquam ad gratiarum actionem deueniant: quanquam sua ipsorum na-*
*tura digna sint gratiarum actione diuinissima dona. Verùm quod dixi, neque intueri tum di*
*uina dona, quòd ad deteriora potius inclinent, volentes, ingrati ad infinita dei operum per-*
*manent beneficia. Gustate, inquiunt oracula, & videte. Nam sacra diuinorum institu-*
*tione initiati, magnifica eorum dona recognoscent, & diuinissimam eorum sublimitatem ac*
*magnitudinem in participatione sacratissimè intuentes, supercælestia gratijs agendis celebra*
*bunt diuinæ maiestatis beneficia.*

# DE MISSÆ RITV EX IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS APOlogia pro Christianis.



NOS autem, posteaquam ita abluimus expiauimúsque eum qui credidit & assensus est, eum ad eos qui fratres dicuntur ducimus, eum in locum quò conuenerunt comprecandi causa contentis animis, & pro se, & pro eo qui illustratus est, omnibusque alijs qui vbique sunt, vt & veritatis discipuli, & factis bonæ sanctæq; vitæ cultores, & præceptorum Dei custodes possimus inueniri, vt æternam salutem adipiscamur. Sub finem precum nos inter nos osculo salutamus: deinde ei qui præpositus est fratribus, panis offertur, & poculum aqua & vino temperatum: quæ cum accepit, laudem & gloriam omnium parenti, filij spiritusq; sancti nomine tribuit: gratiásque diu agit, quòd ab eo his dignus sit habitus. Quibus ritè perfectis precibus, & gratiarum actione, populus omnis qui adest, acclamat, dicens Amen. Amen autẽ Hebraico sermone idem quod Fiat, significat. Posteaquam & is qui præest, gratias egit, & populus omnis comprobauit, ij qui apud nos Diaconi dicuntur, dant vnicuique eorum qui adsunt, percipiendum panem, vinum & aquam: quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos qui absunt perferunt. Atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur, quæ nemini alij participare licet, nisi ei qui & vera esse credidit quæ nos docemus, & expiatus est lauacro quod in remissionem peccatorum regenerationémque datur, & ita viuit vt Christus tradidit. Neque enim hæc vt communem vsitatúmque panem vsitatámque potionem capimus: sed quemadmodum per Dei verbum homo factus IESVS CHRISTVS conseruator noster, & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit: sic etiam cibum, qui per preces sermonis quem ab eo accepimus, consecratus est, ex quo sanguis carnésque nostræ commutatione aluntur, Iesu Christi eius qui homo factus est, & carnem & sanguinem esse accepimus. Apostoli enim in commentarijs suis, quæ Euangelia dicuntur, ita sibi Iesum præcepisse tradiderunt, cum accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in memoriam mei, Hoc est corpus meum. Dixisse etiam, accepto poculo, cum egisset gratias, Hic est sanguis meus: sibique solis dedisse. Quòd etiam imitati mali Genij, in Solis sacris faciendum tradiderunt. Panem enim & potum aquæ poni in initiatione eius qui initiatur, cum certis quibusdam verbis, aut scitis, aut cognoscere potestis. Nos autem postea deinceps hæc inter nos semper recolimus & admonemus: & qui opes habemus, egẽtibus omnibus subuenimus, & vnà semper sumus in omnibus quibus vtimur, parentem omnium, per filium suum Iesum Christum Spiritúmque sanctum, laudamus. Die verò qui Solis dicitur, omnes qui in oppidis vel agris morantur, vnum in locum conueniunt, commentariáque Apostolorum vel Prophetarum scripta leguntur, quandiu res patitur. Deinde vbi is qui legit, destitit: is qui præest, admonet & hortatur vt ea quæ lecta sunt bona imitemur: tum surgimus omnes, ac comprecamur: conclusisq; nostris precibus, panis, iam vt dixi, vinúmque & aqua afferuntur. tumq; is qui primum locum tenet, eodem modo preces gratiarumq; actionem pro virili mittit, populúsque acclamat dicens, Amen: & ijs quæ cum gratiarum actione cõsecrata sunt, vnusquisque participat: eadémque ad eos qui absunt, Diaconis dantur perferenda. Quibus copiæ suppetunt, ij si volunt, suo quisque arbitratu, quod vult largitur: quódque colligitur & cogitur, apud eum qui præest reponitur: isq; pupillis & viduis, ijsq; quos morbus aliáve causa inopes fecit, & ijs qui in vinculis sunt, & hospitibus, omninoque omnibus qui aliqua indigentia premuntur, subuenit. Die autem Solis omnes publicè conuenimus, quòd is primus est dies, in quo Deus tenebras & materiam cum mutasset, mundum effecit: & quòd eodem die Iesus Christus conseruator noster à mortuis excitatus est. Pridie enim Saturni eum in crucem sustulerunt: & postridie Saturni, qui Solis dies est, cum Apostolis discipulísque suis apparuisset, hæc illis tradidit, quæ vobis quoque consideranda permittimus.

# S. GREGORII ARCHIEPISCOPI NYSSENI, QVOD SANCTIFICATVS PA-nis, in corpus Dei verbi transmutatur, quódque necesse sit humanæ naturæ eo participare.



QVemadmodum qui per insidias venenum hauserunt, alio medicamen to vim illius exitialem extinguunt: oportet autem, vt ad veneni simi- litudinem medicamentum in viscera ingrediatur, vt per illa totum in corpus auxilium diffundatur: ita nobis faciendum est, vt cùm ve- nenum quo natura nostra dissoluitur, gustauerimus, medicamentum quo illa contrahitur, suscipiamus, vt virus illius, contraria & op- portuna huius vi repellatur. Quodnam est hoc medicamentum? nul- lum aliud, nisi corpus illud, quod morte præstantius declaratum est, & nostræ est salutis causa. Quemadmodum enim paruum fermenti, vt inquit Apostolus, totam massam sibi similem reddit, sic & corpus illud quod à Deo factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens, totum in se transfert atque commutat. Nam vt pestiferum cum salubri com- mistum, illud efficit perniciosum, sic & corpus immortale reddit totum illud in quo susceptum est, naturæ simile immortali. In corpus autem ingredi non potest, nisi per cibum & potum vi- sceribus immisceatur. Itaque necessarium est, vt natura nostra quoad eius fieri potest, vim sa- lutarem intra corpus admittat. Cùm autem nullum aliud nisi diuinum illud corpus eam gra- tiam susceperit, demonstratúmque sit, fieri non posse, vt nostra corpora consequantur immor- talitatem, nisi cum immortali corpore coniungantur, atque ita incorruptionem acquirant, con- siderandum est, quomodo fieri queat, vt cùm vnum illud corpus assiduè per totum orbem ter- rarum tot fidelium millibus impertiatur, totum cuiusque per partem euadat, & in seipso to- tum permaneat. Verùm, vt fides nostra recto progrediens ordine, nullam ex quæstione propo- sita dubitationem relinquat, operæprecium est, vt corporis naturam parumper consideremus. Natura igitur corporis nostri non ita per se consistit, vt proprio quodam in statu vitam habeat, sed per affluentem ad se facultatem sese conseruat, perpetuóque motu in essentia sua perseue- rat, tum ad se attrahens id quod deficit, tum id expellens quod supernacaneum est. Atque hæc quidem potentia, & est & appellatur nutritiua. Nec eadem tamen est omnibus corporibus quæ nutriuntur: sed congrua cuique tributa est ab eo qui naturam moderatur & regit. Eorum enim quæ viuunt, partim radicibus nutriuntur, partim herba vescuntur, nonnulla carnibus, homo autem pane potissimum. Et ad humidi conseruationem non modò aquam bibit, sed eam quo calidũ in nobis insitũ tueatur, vino miscet suauioréq; reddit. Qui igitur ad hæc respicit, potentia respicit ad molem nostri corporis. Cùm enim in nobis sunt, sanguis & corpus euadũt, nutrimento per potentiam alteratiuam in corporis speciem congruenter immutato. His ita con- sideratis, ad propositum reuertamur. Quærebatur, quomodo vnũ illud Christi corpus, omnem hominum in quibus est fides, naturam viuificaret, & in omnes ita distribueretur, vt nullam imminutionem subiret. Haud procul fortasse erimus ab huius rei intelligentia. Nam omne cor- pus ex nutrimento subsistit & confirmatur, quod quidem nutrimentum ex cibo constat & po- tu. Cibus autem est panis, & potus est aqua vino mista. Porro dei Verbum ita naturæ humanæ coniunctum est, & corpus nostrum assumpsit, vt eius natura non aliam nouam constitutio- nem adhiberet, sed solitis ipsum rebus aleret & sustentaret, nempe cibo & potu. Cibus verò erat panis, quemadmodum & noster, vt iam dictum est. Sicut autem qui panem videt, quo- dammodo corpus videt humanum, quoniam panis in corpore existens, corpus euadit: ita diui- num illud corpus panis nutrimentum accipiens, idem quodammodo erat cum illo cibo, vt di- ximus, in eius corporis naturam immutato. Quod enim carnis cuiusque proprium est, id etiam illi conuenisse confitemur. Nam & corpus illud pane sustentabatur. Corpus autem propterea quòd Deus verbum in illo habitauit, diuinam obtinuit dignitatem. Quamobrem rectè nunc etiam Dei verbo sanctificatum panem, in Dei verbi corpus credimus immutari. Etenim cor- pus illud, panis erat potentia: sanctificatum est autem habitatione verbi, quod in carne habi- tauit. Itaque qua ex causa panis in eo corpore mutatus, in diuinam virtutem transiit, eadem de causa nunc etiam idem fit. Vt enim illic verbi Dei gratia sanctum effecit illud corpus, cuius firmamentum ex pane constabat, & ipsum etiam quodammodo panis erat: sic etiam hic panis, vt ait Apostolus, per verbum Dei & orationem sanctificatur: non quia comeditur, eo progre- diens,

*diens, vt Verbi corpus euadat, sed statim per verbum in corpus mutatur, vt dictum est à Verbo, Hoc est corpus meum. Cæterum cùm omnis caro etiam per humidum nutriatur (neque enim sine humidi coniunctione quod in nobis humidum est, in vita potest permanere) quemadmodum per solidum firmúmque cibum, corporis soliditatem confirmamus: sic etiam humidum ex natura simili adaugemus. quæ cùm in nobis est, à facultate alteratiua sanguis efficitur, præsertim si per vinum eam accipiat vim vt in calidum conuertatur. Quare cùm diuina illa caro partem etiam hanc ad se sustentandam acceperit: Deus autem qui nobis se patefecit, idcirco naturæ mortali seipsum coniunxerit, vt eam coniunctione sua diuinam redderet, ideo cunctis credentibus gratiæ dispẽsatione se ipsum impertit per carnem, quæ ex vino & pane constituitur, fideliúmque corporibus coniungitur, vt ea coniunctione cum immortali, homo etiam immortalitatis particeps fiat. Hæc autem tribuit virtute benedictionis, in illud, rerum quæ videntur naturam mutans.*

# S. IOANNIS DAMASCENI, QVOD CONSECRATVS PANIS ET VINVM, NON *est figura dominici corporis, sed illud ipsum verè proprium corpus domini nostri Iesu Christi.*



*ONVS, & totus bonus, & plusquam bonus, & qui totus est bonitas Deus, propter eximias bonitatis suæ diuitias, non est passus, vt bonum ipsum esset solum, néve natura sua nemini impertiretur. Quamobrem primum fecit intelligibiles & cælestes virtutes: deinde mundum qui sub aspectum sensúmque cadit: postremo hominem ex intelligentia & sensu. Atque omnes quidem res quæ ab ipso sunt factæ, participes sunt bonitatis ipsius, quatenus sunt. Nam ipse est omnibus essentia. In ipso enim sunt omnia, non solum quia sunt ab ipso ex nihilo procreata, verùm etiam quia vis eius, quæ ab ipso sunt facta, conseruat & continet, præcipue autem animalia: quippe quæ tum quòd sunt, tum quòd viuunt, bonitatis vtuntur cõmunione. Quæ verò ratione sunt prædita, non solum ob ea quæ antea diximus, sed etiam propter rationem: maiore enim quodammodo neceßitudine cum Deo coniuncta sunt, licet ipse sine vlla comparatione omnibus antecellat. Homo certe ratione præditus & libera voluntate, potestatem accepit vt per propriam electionem cum Deo in perpetuum coniungeretur, si in bono permansisset, hoc est, si ei à quo fuerat procreatus obtemperasset. Verùm cùm à procreatoris mandato receßisset, proptereáque morti corruptioníque factus esset obnoxius, auctor ipse atque effector generis nostri propter viscera misericordiæ suæ, factus homo, nobis in omnibus, excepto peccato, aßimilatus est, & naturæ nostræ coniunctus. Cum enim propriæ nos imaginis propriíque spiritus participes effecisset, quæ nos minime conseruauimus, pauperem ipse atque infirmam naturam nostram suscepit, vt nos mundaret immortalésque redderet, & diuinitatis suæ rursum participes constitueret. Sed quoniam non solum naturæ nostræ primitias melioris esse conditionis participes oportebat, verùm etiam omnem hominem, qui vellet & secundo ortu nasci, & cibo nutriri nouo, ipsíque ortui congruente, atque ita perfectionis mensuram adipisci: ideo per ortum suum, siue carnis susceptionem, & baptismum, & mortem, & resurrectionem, à primi parentis peccato, & morte, & corruptione naturam liberauit: & resurrectionis primitiæ factus est, & viam ac formam exemplúmque se ipsum constituit, vt & nos vestigia eius secuti, gratia efficiamur id quod ipse est per naturam, nempe filij hæredésque Dei & cohæredes ipsius. Ortum igitur secundum, vt dixi, nobis dedit, vt quemadmodum ex Adam generati, ei similes facti sumus, maledictionísque & mortis hæreditatem percepimus: sic etiam ex ipso generati, ei similes efficiamur, benedictionísque & immortalitatis & gloriæ ipsius hæreditatem percipiamus. Cæterum quoniam hic Adam est spiritalis, oportebat & ortum & cibum esse spiritalem: & quia duplices sumus atque compositi, generationem item esse duplicem & cibum compositum. Itaque generatio nobis per aquam & Spiritum, in sancto baptismo nimirum, data est: cibus autem ipse panis vitæ, Dominus noster Iesus Christus, qui è cælo descendit. Cùm enim vltro pro nobis mortem esset subiturus, in ea nocte qua se ipsum tradidit, nouum testamentum instituit sanctis discipulis suis & apostolis, & per illos omnibus qui in ipsum credunt. In cœnaculo igitur sanctæ & gloriosæ Sion, cùm vetus pascha cum discipulis suis come-*

dixisset, & antiquum testamentum explesset, discipulorum pedes lauit, Sancti Spiritus notam præbens: deinde panem fregit, deditque discipulis suis dicens, Accipite, comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Similiter & calicem accipiens, dedit eis, dicens, Bibite ex ipso omnes: hic est meus sanguis noui testamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum. hoc facite in meam commemorationem: quotiescunque enim comeditis panem hunc, & calicem bibitis, mortem filij hominis annunciatis, & resurrectionē eius confitemini, donec veniat. Igitur si dei sermo viuus est & efficax, & omnia quæcunque voluit dominus fecit: si dixit, Fiat lux & facta est, Fiat firmamentum & factum est: si verbo domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum: si cælum & terra, aqua & ignis, aer & omnis ornatus eorum verbo domini consummati sunt: itémque homo animal illud celebratissimum: si vltro ac volens ipse deus Verbum homo factus est, & ex sanctæ virginis perpetuò puris & intaminatis sanguinibus sibi absque semine virili carnem fabricauit: potésne panem in suum ipsius corpus conuertere? & vinum & aquam in sanguinem? Dixit in principio, Producat terra herbam fœni, & huc usque imbre accedente educit sua germina diuino compulsa roboratáque mandato. Dixit deus, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem: idque omnipotenti eius mandato, donec veniat, fit. sic enim dixit, Donec veniat: fitque vice imbris huic nouæ agriculturæ per inuocationem sancti Spiritus obumbrans virtus. Quemadmodum enim omnia quæ fecit Deus, Spiritus sancti actione fecit, ita nunc Spiritus sancti actio, quæ supra naturam sunt, operatur, quæ nemo potest capere, nisi sola fides. Quomodo erit mihi hoc, inquit sancta virgo, quoniam virum nō cognosco? Respondet Gabriel archāgelus, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: & nunc quæris, quomodo panis fiat corpus Christi? & vinū & aqua, sanguis Christi? tibi ego itē respondeo, Spiritus sanctus accedit, & hæc facit quæ rationē cogitationémque superant, diuina mysteria, corpus Christi. Panis autem vinúmque sumitur, quoniam Deus nouit, humanā infirmitatē ea sæpe quæ vsu trita non sunt auersari atque ægreferre. Itaque solita vsus demissione, per ea quæ naturæ sunt vsitata, facit ea quæ naturā superant. Et quemadmodum in baptismo, quoniam mos est hominibus, vt aqua & oleo vngantur, aquæ & oleo Spiritus sancti gratiam coniunxit, & fecit vt hæc esset lauacrum regenerationis: ita, quoniam hominibus est mos, vt panem edant & vinum bibant, his diuinitatem suam adiunxit, eáque fecit corpus & sanguinem suum, vt per ea quæ solita sunt & naturalia, ad ea quæ natura præstantiora sunt, accedamus. Corpus est verè coniunctum diuinitati, vt corpus ex sancta virgine: non quòd corpus illud assumptum è cælo descendat, sed quia panis & vinum in Christi corpus & sanguinem transmutatur. Sin quæris, quomodo fiat, satis est tibi vt audias, per Spiritum sanctum, quemadmodum & ex virgine Dei genitrice sibi ipsi & in se ipso Dominus corpus substituit: & nihil amplius nouimus, nisi quòd Dei verbum est verū, efficax, omnipotēs. Modus autem intelligi nō potest. Illud tamen dicere non est alienum, quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum, in corpus & sanguinē comedentis bibentisque mutatur, nec fiunt aliud corpus præter id quod erat prius: sic propositionis panem, & vinum & aquam, per inuocationem & aduentum Spiritus sancti, ratione naturam superante, in corpus & sanguinem Christi transmutari: nec esse duo, sed vnum atque idem fieri: nunc iis qui fide dignéque illud suscipiunt, in remissionem peccatorum, & vitam æternam, & animæ corporísque præsidium: illis verò, qui incredulitate & indigne suscipiunt, in supplicium & pœnam: quemadmodum & Domini mors, credentibus est vita & immortalitas ad fruendam beatitudinem sempiternam: incredulis autem & Domini interfectoribus, cruciatus & supplicium sempiternum. Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi. absit. sed ipsum Domini corpus diuinitate affectum, cùm ipse Dominus dicat, Hoc est corpus meum, non autem figura mei corporis. Et meus sanguis, non autem figura mei sanguinis. Et antea dixerat Iudæis, Nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro enim mea verus est cibus, & sanguis meus verus est potus. Et rursum, Qui edit me, ipse viuet. Quamobrem cum omni timore & conscientia pura & fide minime dubia accedamus: & erit omnino nobis vt credimus non hæsitantes. Colamus autem & honoremus ipsum tota animi & corporis puritate. duplex enim est. Accedamus ad eum ardenti desiderio, manibúsque in crucis formam compositis, crucifixi corpus suscipiamus. Et intendentes oculos & labia & faciem, diuinum carbonem sumamus, vt ignis nostri desiderij, assumpta ex carbone inflammatione comburat peccata nostra, & corda nostra illuminet, & diuini ignis communione inflammemur diuiníque efficiamur. Carbonem vidit Esaias. Carbo autem lignum simplex

plex non est, sed igni coniunctum. sic & panis communionis, non est panis simplex, sed coniunctus diuinitati. Corpus autem diuinitati coniunctum, non est vna natura, sed vna quidem corporis, altera autem coniunctæ diuinitatis. Quapropter vtrunque, non vna est uatura, sed duæ. Pane & vino suscepit Melchisedec Abraham ab alienigenarum cede reuertentem, sacerdos dei altissimi. Illa mensa hanc mysticam præsignauit mensam: quemadmodum sacerdos ille, veri sacerdotis Christi figuram & imaginem gerebat. Tu enim, inquit, es sacerdos: in æternum secundum ordinem Melchisedec. Panem hunc exprimebant panes propositionis. Hoc est purum illud profecto & incruentum sacrificium, quod ab ortu solis vsque ad occasum sibi oblatum iri per prophetam Dominus ait: corpus nimirum & sanguis Christi, ad animi & corporis nostri firmamentum cedens, quod non consumitur, nec corrumpitur, nec in secessum progreditur: absit: sed in essentiam nostram & conseruationem, depulsionémque omnium incommodorum, & omnium sordium expurgationem. Si aurum deprehendat adulterinum, inflammationis censura illud purgat, ne in futuro seculo cum mundo damnemur. Curat enim morbos, & genus omne calamitatũ. Vt diuus ait Apostolus, Si nos ipsos iudicaremus, nõ vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem à Domino corripimur, ne cum mundo damnemur. Idque est quod ait, Itaque qui sumit corpus & sanguinem Domini indigne, indicium sibi manducat & bibit. Per ipsum purgati, Domini corpori & ipsius spiritui coniungimur, & Christi corpus efficimur. Hic panis primitiæ sunt futuri panis, qui est ille ἐπιούσιος, quem alij quotidianum, alij superstantialem intelligunt. Ἐπιούσιος enim significat aut futurum, id est venturi seculi: aut qui ad conseruationem essentiæ nostræ sumatur. Atque siue hoc siue illo modo velis, domini corpus apte congruéque dicetur. Spiritus enim viuificans est caro domini: quoniam ex viuificante spiritu concepta est. quod enim natum est ex spiritu, spiritus est. Hoc autem dico non tollens corporis naturam, sed viuificum & diuinum ipsum significare volens.

# NICOLAI EPISCOPI METHONENSIS

## AD EOS QVI HÆSITANT AIVNTQVE

Consecratum panem & vinum non esse corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi.



Ysticam hanc & incruentam consecrationem, qua panem & calicem consecratos in corpus & sanguinem domini transmutari credimus, à quónam principium accepisse dicas? nónne ab ipso deo & seruatore nostro Iesu Christo, quemadmodum nos sacra docent euangelia? Prorsus ab eo. Quis verò ille est sermo quo id traditur? Hoc facite, inquit, in meam commemorationem. & diuus Paulus: Quotiescunque enim comeditis panem hunc, & calicem hunc bibitis, mortem domini annunciatis. Quo modo quóque ritu, ab ipso seruatore didicimus. Accipiens enim, inquit, panem & gratias agens fregit ac dedit discipulis, & ait, Accipite, comedite: Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur & traditur: similiter & calicem postquam cœnauit, dicens, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. id autem idem est quod & diuus Mattheus inquit, Hic est sanguis meus noui testamenti, quod pro vobis effunditur. Quis verò scopus ac finis huius traditionis? Quid aliud, quàm participatio Christi, & vita in Christo participantium æterna? Si quis enim, inquit, comederit ex hoc pane, viuet in æternum: &, Panis autem quem ego dabo, caro mea est: quam ego dabo pro mundi vita: &, Nisi manducetis carnem filij hominis, & bibatis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & rursus, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Quemadmodum misit me viuens Pater, & ego viuo propter patrem: &, Qui edit me, & ille viuet propter me. Carnem enim suam quasi escam hamo circumponens, diuina sua virtute, serpentem quidem deprimit, nos autem erigit. Papæ, quàm expauescendum & tremendum mysterium. Qui hoc tradidit, deus est, qui propter clementiam & benignitatem suam homo quoque factus est, & tanquam ouis ad mactationem & mortem processit, vt obnoxium morti propter peccatum hominem morte eximeret. Causa huius traditionis est, magni huius beneficij recordatio. Corpus & sanguis Christi ea sunt quæ hoc ritu perficiuntur: ritus finis, participatio Christi & vita æterna, quod idem est quasi diceres, participantium deificatio: vt diuus Paulus

magna voce proclamat, Calix benedictionis quem benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? deinde subdit & rationem, quo pacto fiamus corpus Christi: aitque, Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? quandoquidem vnus panis, vnum corpus multi sumus. omnes enim vno pane participamus. Quid enim est, ait, panis? nimirum corpus Christi. Quid verò fiunt participantes? nimirum corpus Christi. nam participantes corpore Christi, nos etiã ipsum efficimur. Nam quia vniuersa nostra caro corrupta est à peccato, opus nobis fuit noua carne. Quis ergo tam audax & prorsus temerarius existat, vt aduersus hanc traditionem aliquid noui moliatur, mysteriúmque falsitatis accuset, atque abroget eum qui ita tradidit & instituit? Si quis legem Mosis abroget, inquit apostolus, sine misericordia vlla, sub duobus aut tribus testibus moritur: quanto dignus deteriori supplicio censendus erit qui filium dei conculcarit, & sanguinem testamenti prophanum existimarit, & spiritum gratiæ iniuria affecerit? Verum quis ille qui cõculcat filium dei, & aliorum quæ diximus reus censetur? nónne qui sanguinem eius ingratus abrogat, nec admittit, & veracis ab omníque mendacio alieni oris traditionem & mandatum nihili facit? Hoc est corpus meum dicentis, &, Hic est sanguis meus, & Nisi manducetis carnem filij hominis, & bibatis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis. quid hæsitas? quid omnipotenti impotẽtiam attribuis? Nónne ipse est qui ex nihilo omnia vt essent fecit? vnus trium personarum diuinitatis? qui postremis tẽporibus incarnatus est, & panem in suum corpus transmutari iussit. Quid requiris causam & ordinem naturæ panis transmutationis in Christi corpus, & aquæ vinique in sanguinem? cùm suprà naturam, rationem, mentem, & cogitationem ex virgine sit natus. Non credes itaque nec mortuorum resurrectionem, nec in cælos eius assumptionem, & alia Christi miracula supra naturam, mentem & cogitationem eminentia. Id tibi accidit, quòd Christum, non deum verum ac filium dei confiteris, sed Arrianismum vel potius Iudaismum resipis. At fortassis dubitas miniméque credis, quòd non videas carnem & sanguinem, sed panem & vinum. Qua de re scias oportet, tu qui ingrato iniquóque animo erga beneficum affectus es, Deum qui omnia nouit, cum humanissimus sit, prouidè hoc fecisse, ad hominum imbecillitatem se demittens, ne auersarentur multi arrhabonem æternæ vitæ, & ægre ferrent, carnem & sanguinem intuentes. Itaque rebus naturæ consuetis hoc fieri voluit, iis suam diuinitatem coniungens, cum dixit, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus: &, Accipite, comedite, & bibite ex eo omnes, in remissionem peccatorum: & rursum, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita: &, Nisi manducetis carnem filij hominis, & bibatis eius sanguinem, nõ habetis vitam in vobis. Hoc facite in meam commemorationem. Propterea ei credentes, ita offerimus panem perfectum, viuum, siue corpus Christi quod perfectum etiam post passionem permansit & integrum (Neque enim os eius contritum est) & à diuina vita inseparabile, planè quale ipse primus noster ac magnus pontifex & sacrificus victimáque, suis ipsius discipulis tradidit: iíque denuo qui ab initio sui ipsi oculis Verbum intuiti sunt, eíque ministrarunt, catholicæ Ecclesiæ ab extremis ad extremos vsque orbis terrarum limites tradiderunt: omnes quidem, Hierosolymitanæ, vbi & diuus Iacobus primi magníque põtificis frater ac successor, mysticam incruentámque Liturgiam exposuit. Petrus autem & Paulus, Antiochensi: Paulus verò peculiariter, orbi vniuerso: Marcus, Alexandrinæ: Ioannes & Andreas, Asiæ & Europæ: omnésque vniuersæ ecclesiæ vbicunque sit, per eam quam sanctus Clemẽs conscripsit Liturgiam tradiderunt: in qua hæc ita ad verbum habentur: Memores igitur eorum quæ propter nos passus est, gratias agimus tibi deus omnipotens, non quantum debemus, sed quantum possumus, & eius statutum adimplemus. In qua enim nocte tradebatur, accipiens panem in sanctas & immaculatas suas manus, & eleuatis oculis ad te deum ac patrem suum, fregit deditque nobis dicens, Accipite ex eo, comedite: Hoc est corpus meum quod pro multis cõminuitur, in remissionem peccatorum. Similiter & calicem ex vino & aqua temperatum, sanctificauit, deditque nobis dicens, Bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. Memores igitur passionis eius, mortis, resurrectionis, reditus in cælos & futuri eius secundi aduẽtus, in quo veniet iudicaturus viuos & mortuos, redditurúsque cuique secundum opera sua, offerimus tibi regi ac deo, secũdum eius institutionem, panem hunc, & hunc calicem, gratias tibi per eum agentes, quòd nos dignatus fueris adstare coram te & tibi sacrificare. Et te rogamus vt propitio serenóq; vultu respicias supra hæc proposita dona coram te, tu qui nullius indiges deus: & tibi complacitum sit in eis ad honorem Christi tui, & mittere digneris sanctum tuum spiritum super hoc sacrificium, testem passionum Domini Iesu, vt efficiat panem hunc, corpus Christi tui: & calicẽ hunc, sanguinem Christi tui.

Et iterum

Et iterum magnus ille Paulus, Ego accepi à domino quod & tradidi vobis, quod dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & benedixit, fregit, dixitque, Accipite, comedite: Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur. hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunque enim comeditis panem hunc, & calicem hunc bibitis, mortem domini annunciatis donec veniat. Si vero censes hoc quod à nobis perficitur, illo minus esse, nescis Christum etiam hoc tempore operari, nuncque adesse. Ero enim vobiscum dies vniuersos ad consummationem vsque seculi, pollicitus est. Hoc item mysterium summopere admirans quasi obstupefactus diuus apostolus, cum timore dei ac fide vt digne eo participemus adhortatur, & supplicium transgressori definit, Quicunque comederit, inquiens, panem hunc, aut biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. Id perinde est ac si dixerit, diui Chrysostomi sententia, quemadmodum tradidit quidem eum Iudas, in eum verò petulanter debacchati sunt Iudæi: ita dedecore & infamia eum afficiunt qui sanctissimum eius corpus indigno ore sumunt, & corpori admouent impuro. Itaque inquit, probet seipsum homo, non alter alterum: hoc enim iudicare est: sed primum quisque seipsum: & sic de pane edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans, hoc est perpendens & considerans corpus domini propositum. Quòd si is qui per se in aliquod humanorum vitiorum delapsus est, & indiscrete accessit, vt indigne communicans, tanta mulctatur condemnatione: qui in ipsam consecrationem peccat, & immediatè ipsum dominicum contumeliis afficit corpus atque negat, traditionémque abrogat, & auctorem qui tradidit, conculcat, quánam fuerit, & quanto magis deteriori ac maiori dignus tum accusatione tum supplicio? Horroréne plena sunt ea dicta? Reliquúmne est vllum noui facinoris, prauaricationis, impietatis genus, quod ad hanc sceleris audaciam accedere possit? Verùm libera ô domine per tuam misericordiam ab hac impostura & dementia omnes eos qui non rectè confitentur quem consecramus panem & vinum, corpus perfectum & sanguinem preciosum esse Christi tui.

# B. SAMONÆ GAZÆ CIVITATIS ARCHIEPISCOPI, DISCEPTATIO. CVM ACHMED

Saraceno, perspicue docens, panem ac vinum vtrunque per sacerdotem consecratum, verum esse & integrum corpus ac sanguinem domini nostri Iesu Christi.



Aliquando forte proficiscebamur Emesam cum multis aliis, & familiari colloquio de variis atque diuersis rebus vtentes, quod nos in itinere consolabatur, vltra quàm decuit in sermone progreßi sumus; ex quorum numero vir quidam doctus atque facundus, genere Saracenus, ad narrationem mysteriorum conuersus, me interrogauit his verbis: Heus ex te audire velim episcope, quamobrem vos sacerdotes Christianis illuditis, dum panem ex farina coctum eis minutim partientes, corpúsque Christi nominantes, remißionem peccatorum exhibere posse iis qui eum recipiunt confirmatis. Vobísne ipsis illuditis, an eos in quos habetis imperium? SAMONAS. Quid narras? panísne, dei corpus efficitur? ACHMED. In vtram partem contradictionis respondeam mihi incertum est. SAM. Tantúmne quantus es te genuit mater tua? ACH. Minime. SAM. Sed quantum? ACH. Paruulum. SAM. Quis te in magnitudinem ita produxit? ACH. Alimentum, deo ita annuente. SAM. Ergo panis tibi in corpus conuersus est? ACH. Ita prorsus existimo. SAM. Quo tandem pacto panis tibi conuersus est in corpus? ACH. Haud quidem scio. SAM. Per guttur cibus & potus in ventriculum demittuntur, tanquam in ollam aliquam. Sed cùm hepar calidum adiaceat stomacho, coquitur alimentum, & in chylum conuertitur; quódque crassum est, deorsum abit: quod autem tenue, in chylum mutatum innatat. At vero cum iecur sit calidum, molle & laxum, ad se attrahit & in sanguinem conuertit: necnon vniuersum corpus per venas veluti per canales irrigat, alimentum in chylum conuersum in ventriculo distribuens, in ipsóque in sanguinem conuersum, singulis membris commutatum, cuiusmodi est illud. Oßibus os, medullæ medullam, neruis neruum, oculis oculos, capillis capillum, cuti cutem, vnguibus vnguem: atque ita fit infantis incrementum in virum, pane ei in corpus

mutato, & potione in sanguinem. A C H. Vera memoras. S A M. Eodem etiam pacto intelligas fieri nostrum mysterium. Sacerdos enim panem super mensam sanctam deponit, pariter & vinum: & comprecando, inuocatione sancta Spiritus sanctus descendit, & superuenit in ea quæ sunt proposita: & igne suæ diuinitatis, in corpus & sanguinem Christi, panem & vinum commutat, non minus quàm iecur alimentum in corpus cuiusdam hominis. An non, amabo, cōcedis posse sacrosanctum dei spiritum idem præstare quod tuum iecur? A C H. Concedo. S A M. Hoc igitur corpus & sanguinem assumimus in remissionem peccatorum, & in vitam æternam, domino nostro ita dicente, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Iis vero qui non facile credūt ob id quod apparet, tanquam non videntibus id euenire quod res pollicetur corporaliter effici (panis enim & vinum apparent) preterea iis qui dicunt, Quo pacto fieri potest, vt oratio & diuinæ virtutis inuocatio super pane facta, transmutet eum in carnem viuā, simplex & vnica ratio satis erit. Contrà enim interrogabimus, cū ratio carnalis generationis, omnibus sit perspicua, quî illud humidum quod infunditur ad procreationē animalis in hominem conuertitur? Atqui, nulla est in hac re ratio quæ ratiocinatione aliqua probabile excogitare queat. Quidnam enim cōmune definitio hominis collata cum illa qualitate quæ cernitur habet? Nam homo est quiddam rationis particeps, vique intelligendi præditum: illud autem in humida quadam qualitate cernitur. Nilque amplius quàm id quod sensu cernitur comprehendit intelligentia: sed virtute diuina illud conuertitur in hominem; qua sublata, perstat immotum & inefficax. Si igitur illic, non id quod subiectum est hominem efficit: sed virtus diuina transfert id quod apparet in naturam hominis, extremæ est inscitiæ, illic tantam támque immensam dei potentiam attestantes, existimare hîc deum impotentem esse, vt adimpleat suam voluntatem. A C H. Sed quid pani commune est cum carne? S A M. Dic mihi quæso, quid commune humori cum imagine dei? Verum quemadmodum nil est illic nouum & inauditum, si volente deo humidum transeat in animal nobilissimum: ita etiam hîc pariter credendum est, non esse mirum si virtutis diuinæ accessu ad immortalitatem panis transeat, & in corpus Christi conuertatur. A C H. At verò quum Christus hoc discipulis suis tradidit, non multas precationes effudit, neque sic vos admonuit dicere: quomodo igitur vos non ita facitis: imo precibus multis vobis opus est? S A M. Christus quatenus deus, dominus erat sui corporis & animæ, vt ipse ait, Potestatem habeo dandi animam meam, & rursum accipiendi eam. Cum igitur ipse natura esset deus, illico tunc panem illum sua potentia diuina & gratia sanctificauit: Hoc est corpus meum, dicens, habens patrem ac spiritum sanctum in semetipso, sicque panem in corpus proprium cōuertit: nec alio quopiam se præstantiore opus habuit qui sanctificaret panē. Nam quod inferius est, benedicitur à superiore. Siquidem ipse Christus, cum non sit inferior patre & spiritu sancto, sua potentia quicquid vellet efficiebat. Sacerdos autem qui est apud nos, etsi Christi typum gerat, tamen homo est; omnino obnoxius peccatis & obuinctus (Nemo enim expers peccati, vt diuinus sermo habet, licet vnius horæ sit vita eius, nisi solus deus) propterea indiget multis precibus, & proinde quidem pro ignorantiis propriis, deinde pro peccatis populi, vt ait apostolus Paulus. Quocirca & omnis populus adstans extra adytū, cum sacerdote cōprecatur, eúmq; adiuuat. Sacerdos igitur deum patrem orat, vtpote qui sit inter deum & homines constitutus legatus, ne quid intercedat impedimenti, quominus sacrosanctus spiritus adueniat: sed rursus demittat spiritum diuinum, sacræ huius operationis initiatorem atque sanctificatorem, qui nullo non loco præsens est, per quem omnia quæ in cælo & in terra, sancta dicuntur, participatione eius sanctificantis gratiæ sanctificantur, vt propositum panem & calicem in sacrificium perficiat, & ea commutet in illud ipsum dominicum corpus & sanguinem Christi. Nam patri complacitum est, vt aiunt oracula nostra, & filius habitauit, & virgo peperit deum incarnatum, & spiritus sanctus cooperatus est, qui ex virgineo sanguine parte sumpta, ædificauit corporale templum Christi. Hinc quoque demōstramus inseparabilitatem, potentiæ simul & naturæ æqualitatem, insuper omnipotentiam sanctæ trinitatis licet tribus distinguatur personis: quódque vbi vna est trium personarum, ibi & simul natura adsunt reliquæ duæ inseparabiliter, tanquam cooperatrices, suáque prouidentia vniuersitatem creaturarum moderantes. A C H. Probe arcana memoras: sed cur tandem Christus tradidit corpus suum edendum in se credentibus? S A M. Ineffabili erga nos benignitate, miráque dispensatione factum est: partim ad auersionem contrariarum potestatum: partim & ad conseruationem animæ nostræ simul & corporis: quandoquidem non amplius fieri poterat, vt Christus vnà nobiscum in terra corporaliter versaretur & habitaret vsque ad consummationem seculi, & omnifarios

morbos

morbos nostros singulis horis sanaret: hanc sane ob causam omnipotens cùm sit, multum mise-
ricors, clemens atque benignus, noluit nos à se separari: sed perinde atque filios suos secum es-
se per participationem atque communionem huius panis atque vini & aquæ, eo quòd res istæ
familiaritus naturæ nostræ congruant, nec quisquam eas fastidiat aut execretur, quæ in corpus
ipsius & sanguinem mutantur diuina virtute, iuxta illius præceptum: quod etiam cedit in re-
mißionem peccatorum & in vitam æternam, ac in tutelam animæ & corporis, dignè illud cum
sincera fide assumentibus. Nisi enim manducaueritis, inquit, carnem filij hominis & biberitis
eius sanguinem, non habetis vitam in vobis. Quocirca nobis ita traditum & seruatur, & ci-
tra vllam controuersiam creditur, quoad ipse venerit, iuxta Pauli vocem. A C H. Hæcci-
ne communicatio & sacrificium corporis & sanguinis Christi, quod offertis sacerdotes, ve-
rúmne est Christus corpus & sanguis verus, an exemplar corporis eius, perinde atque sacrifi-
cium hirci, quod Iudæi offerunt? S A M. Absit nos appellemus exemplar corporis Christi,
sanctam communionẽ, aut panem nudum, aut figuram, aut imaginem: quinimo corpus ipsum
reuera & sanguinem Christi dei nostri in deum conuersum assumimus: qui incarnatus, &
genitus est ex sancta dei genitrice sempérque virgine Maria. Sic enim credimus, & ita profi-
temur iuxta vocem ipsius Christi, quam ad discipulos in cœna illa mystica tradens eis panem
viuificantem, pronunciabat: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Similiter & calicem eis
tradens, inquit, Hic est sanguis meus, non dixit, Hoc est exemplar mei corporis & sanguinis, aut
imago. Et in plerisque aliis locis constat Christum dixisse, Qui manducat meã carnem & bi-
bit meum sanguinem habet vitam æternam. Cæterùm cùm ipsemet Christus testificetur, corpus
suum esse reuera & sanguinem, id quod nos fideles offerẽdo assumimus, quid amplius est opus
de hac re dubitare, si deum & filium dei ipsum esse credimus? Si enim ex nihilo mundum con-
didit, & verbum eius verum est, viuum, efficax, atque omnipotens: & quæcunque voluit do-
minus fecit omnia, nónne potest panem in suum ipsius corpus mutare, & aquæ & vini com-
mixtionem in proprium sanguinem? Nam quemadmodum initio dixit, Germinet terra herbam
virentem, & vsque in hodiernum diem, eo pluuiam mittente terra germinat herbas, quæ dei
auxilio protegitur, eiúsque iussu id præstare cogitur: ita locutus est deus, Hoc est corpus meum:
&, Hic est sanguis meus: &, Hoc facite in meã commemorationẽ: idque omnipotentis manda-
to vsque ad eius secundum aduentũ fit, diuina inspiratione & accessu spiritussancti. A C H.
Sed quare Christus sub specie panis, vini, & aquæ abditum suum corpus & sanguinem, po-
tius assumendum tradidit quàm sub alia materia? S A M. De hoc superius dixi, rursus
etiam dicturus: demittente enim se deo, pérque ipsius inenarrabilem prouidentiam, condona-
tionem, & erga nos dignationem factum est, vt per ea quæ nobis vsu ad edendum & biben-
dum familiaria sunt, transeamus et ad ea sustollamur quæ nostrã exuperant naturam, id est ad
mysteria diuina. Quinetiam inter alios omnes cibos, panis sibi primum locum vendicauit. Iti
dem & inter potiones aqua & vinum primas tenent. His igitur, pane inquã, vino & aqua,
nobis assuefactis, Dominus coniuncta sua diuinitate, virtute sui verbi, qua omnia, vt essent ex
nihilo produxit, in proprium suum corpus & sanguinem ea transfert. Veruntamen panis &
vinum assumuntur, & apparent. Idq; prudenti dispensatione ac gratuita demißione sui ad ca-
ptum nostrum, tollit à nobis horrorem atque metum, qui deterriti ab eo resiliissemus, si carnem
suam in sua propria specie, & sanguinem iußisset nos assumere. Ad hæc exteræ quoque natio-
nes condemnassent nos voracitatis carnis humanæ, dicentes nos more ferarum sanguinem bi-
bere & crudam carnem vorare: quæ propter incredulitatem, solum panem & vinum intuen-
tur: sed fideles corpus Christi, & sanguinem ex incontaminato eius latere effusum: quemad-
modum & in lauacro baptismatis, qui sunt infideles, solam aquam in piscina vident: fideles
autem, aquam, ignem, & spiritum contemplantur. Quum verò illi etiam participes baptisma-
tis fuerint effecti, tunc ipsi quoque firmitatem ac robur à re sensibus percepta sumunt ad inui-
sibilem regenerationem. Itaque si qua est gratia in aqua, non est ex aquæ natura, sed ex aduen-
tu spiritussancti. A C. Non dubium est, quin omnibus modis rectè prædices & recenseas
mysteria fidei Christianæ: verum de hac re ambigere quis posset, quo pacto cùm sit vnus deus
& verum corpus Christi, in infinita corpora & partes diuidatur. Multi sunt ergo Christi ea
quæ diuiduntur, an vnus? aut in singulis partibus vnus & idẽ saluus & integer?. S A. His
exemplis quæ sub sensum & materiam cadunt, declaramus ea quæ carent materia, & quæ su-
pra naturam sunt. Audiat igitur quispiam hoc exemplum, & intelligat vim verbi quæ in eo
abdita est. Ponamus ita esse: Quispiam habens speculum allisit terræ, & in multa fragmen-
ta comminuit, in singulis tamen fragmentis vmbram sui saluam quis videre poßit: sic intelli-

gat oportet ex hac vmbra, carnem Christi esse saluam atque integram in vnoquoque frusto, quocunque tempore, quoties, & vbicunque frangitur. Rursúsque tibi aliud exemplum assume: Omne verbum quod homo proferendo emittit, & qui loquitur ipsum audit atque intelligit, & qui circunstant: & si multi sunt qui audiant, non tamen diuisum, sed integrum audiunt. Eodem modo ponendum est & affirmandum & in corpore Christi: illud Christi sacrosanctum, corpus assidens patri, apud eum manet. Quinetiam panis consecratus per sacerdotem in verum Christi corpus transformatus potentia diuina per accessum sacrosancti spiritus, licet diuidatur, tamen integrum & saluum in vnoquoque frusto seruatur: vt etiam oratio eius qui loquitur, omnibus qui audiunt, integra nec diuisa auditur. Ita iis exemplis quæ sub aspectum & sensum cadunt, peruicaces nimiúmq; curiosos ad intelligenda dei mysteria quæ supra naturam, rationem, intelligentiam & supra nos sunt, adducimus. Quum igitur panis sanctificatus in partes diuiditur, qui sacrosanctum Christi corpus est, ne existimes quòd particulatim diducatur, aut auellatur, aut more membrorum à se auulsorum diuidatur: incontaminatum illud corpus (nam immortale est & incorruptibile, quódque nunquam exhauriri & consumi poterit) sed quòd partitio ea est accidentium quæ sub sensum cadunt, duntaxat post sanctificationem, ad fidei robur & exhibitionem signi visibilis rerum quæ permanent, simul & in arrhabonem & in viaticum parandæ nobis vitæ æternæ. AC. Digna prorsus sunt hæc admiratione, & paradoxa, Abba pater, & supra naturam, mentem, & cogitationem humanam ineffabilia mysteria fidei Christianorum. Quare tibi gratias ago, quòd & nobis ostenderis quamæquissimum, planum & intellectu haud difficile, simul & verum esse dogma, quo Christum omnipotentem, benignum ac verum esse deum demonstrasti, à quo mendacium quàm longissimè submotum est, procul explosa imaginaria omnis opinio. Cæterum his sancta & philosophica commentatione inter nos discussis, abeundum nobis est. Deinceps enim equi nobis extimulandi sunt ad iter: nanque vti video, dies deuergit in vesperum.

## MARCI ARCHIEPISCOPI EPHESINI, QVOD NON SOLVM A VOCE DOMINICORVM *verborum sanctificantur diuina dona, verum à consequente oratione & benedictione sacerdotis, virtute sancti Spiritus.*



NOS qui à sacris apostolis & eorum successoribus, doctoribus ecclesiæ, mysticæ Liturgiæ expositionem accepimus, apud eorum nullum reperimus ab ipsis dominicis verbis duntaxat sanctificari & perfici eucharistiæ donum, & in ipsum dominicum corpus & sanguinem transmutari, verum quæ prius recitantur verba apud omnes vnanimi consensu & nos ad memoriam rei tum gestæ reuocare, & vim potentiámque quasi eiaculari in proposita dona ad transmutationem: quæ autem consequitur postea, orationem & benedictionem sacerdotis, re ipsa transmutare iam dona in ipsum prototypon illud corpus & sanguinem dominicũ. Hæc verò ipsa quoque verborum series testificatur, quæ conuenientia & concordia apud nos reperiuntur: atque tota hæc oratio in iis consistet. Nam in Liturgia sacrorum apostolorum à Clemente conscripta, post enarrationem dominicorum miraculorum & actorum: præterea passionis, resurrectionis, reditus in cælum, ita ad verbum scriptũ est: Memores igitur eorũ quæ propter nos passus est, gratias agimus tibi deus omnipotens, non quantum debemus, sed quantum possumus, & eius statutum adimplemus. In qua enim nocte tradebatur, accipiens panem in sanctas & immaculatas suas manus, & eleuatis oculis ad te deum ac patrem suum, fregit, deditque discipulis suis dicens, Accipite ex eo, comedite: Hoc est corpus meum quod pro multis comminuitur in remissionem peccatorum. Similiter & calicem ex vino & aqua temperatum sanctificauit, deditque ipsis dicens, Bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus qui pro multis effunditur in remissionem peccatorũ. hoc facite in meã commemorationem. Memores igitur passionis eius, mortis, resurrectionis, reditus in cælos & futuri eius secundi aduentus, in quo veniet iudicaturus viuos & mortuos, reddituri̊sque cuique secundum opera sua, offerimus tibi regi ac deo, secundum eius institutionem, panem hunc, & hunc calicem, gratias tibi per eum agentes, quòd nos dignatus fueris adstare coram te & tibi sacrificare. Et te rogamus vt propitio serenóque vultu respicias supra hæc proposita dona coram te, tu qui nullius indiges

ges deus: & tibi complacitum sit in eis ad honorem Christi tui, & mittere digneris sanctum tuum spiritum super hoc sacrificium, testem passionum Domini Iesu, vt efficiat panem hunc, corpus Christi tui: & calicem hunc, sanguinem Christi tui. Hæc quidem diui Apostoli per beati Clementis scriptionem ecclesiæ tradiderunt. Diuus verò Iacobus Hierosolymorum primus episcopus, ac primi magnique pontificis frater simul & successor, ipse quoque mysticam exponens liturgiam in eadem parte, post recitationem dominicorum verborum, hæc scribit. Memores igitur & nos peccatores passionum eius viuificarum, crucis salutaris ac mortis, sepulchri ac resurrectionis à mortuis tertio die, ascensionis in cælos, & assessionis eius ad dexteram tuam dei & patris, & secundi gloriosi & tremendi eius aduentus, cùm veniet cum gloria ad iudicandum viuos & mortuos, cùm reddet vnicuique secundum opera eius, offerimus tibi domine hoc sacrificium verendum & incruentum. Et post pauca: Miserere nostri deus secundum magnam misericordiam tuam, & demitte super nos, & super hæc sancta dona proposita spiritum tuum sanctissimum, dominum viuificum, vnà tecum deo patre & vnigenito filio tuo assidentem, simul regnantem, consubstantialem & coæternum, qui locutus est in lege & prophetis: & in nouo tuo testamento, qui descendit in specie columbæ super dominum nostrum Iesum Christum in Iordane fluuio, & mansit super eum: qui descendit super sanctos apostolos tuos in specie ignearum linguarum, in cœnaculo sanctæ & gloriosæ Sion in die sanctæ Pentecostes: ipsum spiritum tuum sanctissimum demitte nunc quoque domine in nos, & in hæc dona sancta proposita, vt superueniens, sancta & bona & gloriosa sua præsentia sanctificet & efficiat hunc panem, corpus sanctum Christi tui: & calicem hunc, preciosum sanguinem Christi tui. His consequentes & qui postea Liturgiam ipsam concisiorem ediderunt, tum magnus ille Basilius, tum post eum Ioannes Chrysostomus: ille quidem ad hàc partem cùm accessit, ipse quoque recitans primam illam consecrationem à domino traditam, Dimisit, inquit, commemorationes salubris suæ passionis ista quæ proposuimus secundum sua mandata. Debens enim exire in voluntariam & beatissimam & viuificam suam mortem, in nocte qua tradebat seipsum pro mundi vita, accipiens panem in sanctis suis & immaculatis manibus, & ostendens tibi deo & patri, gratias agens, benedicens, sanctificans, frangens dedit sanctis suis discipulis & apostolis dicens, Accipite & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Similiter & calicem de genimine vitis accipiens, miscens, gratias agens, benedicens, sanctificans, dedit sanctis suis discipulis & apostolis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. Et post pauca: Ideo domine sanctissime & nos peccatores & indigni serui tui, qui constituti sumus ministrare sancto altari tuo, non propter iustitias nostras (non enim facimus quid boni in terra) sed propter misericordias & miserationes tuas quas effudisti ditaliter super nos, confidentes appropinquamus sancto altari tuo, & proponentes Antitypa, id est, configuralia sancti corporis & sanguinis Christi tui, te obsecramus & te postulamus sancte sanctorum, beneplacita tua benignitate, venire spiritum sanctum tuum super nos & super proposita munera ista, & benedicere ea & sanctificare: & ostendere, panem quidem istum, ipsum honorificum corpus domini, dei & saluatoris nostri Iesu Christi: quod autem est in calice isto, ipsum sanguinem domini dei & saluatoris nostri Iesu Christi, qui effusus est pro mundi vita. Diuus quoque Chrysostomus eadem iterum concisius exponens, Veniens dominus completo omni pro nobis mysterio, nocte qua tradebatur, magis autem tradebat seipsum, pro mundi vita, panem accipiens sanctis suis & immaculatis & impollutis manibus, cùm gratias egisset, benedixit, sanctificans, & frangens, sanctis suis discipulis & apostolis tribuit dicens: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Similiter autem & calicem postquàm cœnauit dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & pluribus effunditur in remissionem peccatorum. Et paulo post ita subiungit, Offerimus tibi rationabile ac incruentũ hoc obsequium, & precamur, & supplicamus, & deposcimus, vt mittas spiritum sanctum tuum super nos & super hæc apposita munera: & fac panem istũ quidem, preciosum corpus Christi tui: & quod est in calice isto, preciosum sanguinem Christi tui, permutans sancto spiritu tuo. Ita quidem omnes hi concorditer, prius quidem recitant dominica verba, & per ea nos ad recordationem rei tum peractæ adducunt, & sanctificatricem vim ac potentiam immittunt in ea quæ consecrantur: postea verò orationem adhibent, & sancti spiritus gratiam inuocant, vt ea accedẽs, ea quæ tum dicta sunt, rebus præsentibus accommodet, & proposita dona perficiat, inque dominicum corpus & sanguinem conuertat. Ipsa e-

tum & in vtero virginis deiferam illam procreauit carnem, iuxta illud quod ei ab angelo dictum est, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Idcirco & magnus Basilius, post recitata domini verba, vt à se dicta super sancto corpore & sanguine, Antitypa vocat proposita dona, nimirum quasi nondum perfecta per ea verba, verum adhuc typum quendam & imaginem ferentia. Itaque deinceps statim Spiritus sanctus adueniat precatur, faciatque panem quidem, ipsum preciosum corpus: calicem autem, ipsum preciosum sanguinem. Idque certe iure optimo. nam quemadmodum in illa prima mundi fabricatione, terra germinandi quæ ab ea nascuntur vim & potentiam per diuinum mandatum accepit, idque mandatum, quemadmodum ait idem Doctor, in ipsa terra permanens insitum, ei vim germinandi perpetuo præbet: opus est tamen & nostra cura, agricolarum manibus ad ea perficienda quæ producit: eodem modo & sermo iste semel editus à seruatore, vt ait diuus Chrysostomus, semper operatur: adiuuat tamen & diuini sacerdotij facultas intercedente oratione ac benedictione, ad propositorum perfectionem. ipsa enim & baptismatis aquam, quæ aqua simpliciter erat, pro eo quod apparebat, omnium peccatorum expiatricem facit, diuino spiritu inuisibiliter concurrente. Hæc & Chrisma quo vngimur, & sacerdotes ipsos, & alia omnia ecclesiæ mysteria peragit, per sacrosancti spiritus gratiam. Atqui non orationi quam fundimus confidentes, neque verbis illis vt impotentibus detrahentes, propositis donis adprecamur, itaque ipsa confici credimus, sed & verba ipsa proprium retinere robur credimus, & diuini sacerdotij facultatem insuper demonstramus, quæ conficiendi totius mysterij per inuocationem spiritus sancti per eam operantis, vim habeat. Sic enim & diuus Chrysostomus pariter, libro tertio de Sacerdotio, hac ipsa de re talia inquit: Adstat sacerdos, non ignem demittens, sed spiritum sanctum: ac supplex diu precatur, non vt aliqua fax desuper accensa consumat proposita dona, sed vt gratia in hostiam delapsa, per eam vniuersorum animas accendat, & argento ignito splendidiores efficiat. Sed neque hæsitatio vlla ac incertitudo nobis precantibus suspicanda est, cum is qui deificatur & participatur dominus hoc nos facere iusserit. Hoc enim, inquit, facite in meam commemorationem: & promiserit se daturum spiritum sanctũ omnibus qui petierint eum, nedum sacerdotibus: velitque hoc singulis diebus confici à nobis, vt deinceps per omnia monstratur. Tune etiam fortassis ex hoc baptisma quoque suspectum habeas, quod precibus pariter & inuocationibus conficitur, & peccatorum remissionem, an verè acceperis dubitationem aliquam habeas, quæ tibi sacerdotali gratia conceditur? itémque alia omnia ecclesiastica praescribas mysteria? Non ita est profecto, non ita est: fidelis enim qui promisit se nobiscum omnibus diebus futurum, vsque ad consummationem seculi. Atque nos quidem hæc à sanctis apostolis, & eorum successoribus accepimus, & ita retinemus, vt à sentẽtia hac dimoueri nequeamus, & rationem eorum reddimus. Quod autem domini de mysterijs sermo, per modum recitationis prolatus, ad donorum sanctificationem sufficiat, nemo apostolorum, nemo doctorum dixisse cernitur. Verùm quod ille quidem semel ab illo prolatus, hoc ipso quòd ab illo pronũciatus est, perinde atque in rerum fabricatione habitus sermo semper operetur, hoc ait aureæ ille linguæ Ioannes. quòd verò nunc à sacerdote prolatus, hoc ipso quòd ab eo dicatur, hoc possit, à nullo licet ediscere. quãdoquidem nec ipse opificis operatur sermo, quia in singulis quæ fiunt ab aliquo homine referatur: sed quia semel est à deo enunciatus. Quinetiam nec ipsi quidem dicent operari dominicum verbum, à quouis simpliciter prolatum, neque absque altari. Si igitur sacerdote est opus & altari, & aliis quæ ad id pertinent, quidni & precibus, benedictione, & per eam aduentu sancti spiritus, qui omnia perficit & consummat mysteria? Ad hæc, sacer ille Dionysius testimonio suo nostros ritus confirmaturus accedat. In Theoria enim mysterij Synaxeos, Vbi sacra, inquit, dei opera hierarcha celebrauit, ad consecrationem accedit: & prius quidem pro ea excusationem adfert exclamãs, Tu dixisti, Hoc facite in meam cõmemorationẽ: dein ad imidetationẽ dei cõpositæ huius cõsecrationis dignus fieri precatur & ad similitudinẽ ipsius Christi diuina peragere, & impertiri sanctissime: ac sacra percepturos, sacrosanctè percipere. Deinde sic diuinissima peragit sacra, atq; oculis obiicit quæ celebrauit per sacra proposita. nã pane qui opertus erat & indiuisus, patefacto & in multas partes secto, vnitatéque calicis omnibus dispertita, symbolicè vnitatẽ multiplicat & distribuit. Et post pauca: Percepta ac data communione, hierarcha in sacram gratiarum actionem desinit. Hæc cuiuis volenti contueri licet, cum quibusnam consentiant, iisne quæ à nobis peraguntur, aut iis quæ à Latinis. Nos enim sequentes sacros apostolos & doctores, iuxta traditas ab iis expositiones: & hunc item sacrorum interpretem, sacra dei opera celebramus, id est, vt iste ait, dei pro nobis incarnationem, eius pro nobis mortem, diuinam baptizatorum generationem, diuinam adoptio-

adoptionem, seruandis mandatis deificationem: ita deinde ad consecrationẽ venientes, prius quidem pro hac excusationem afferimus, & exclamamus ipsa dominica verba quæ tum enim clauit: & subdimus, quòd ipse iusserit, Hoc facite, inquiens, in meam commemorationem: tum vt ad imitationem dei compositæ huius consecrationis digni efficiamur precati; quemadmodum continent expositiones, diuinissima sacra conficimus intercedente oratione atque benedictione, necnon diuini spiritus accessione. Interimque opertum panẽ & indiuisum, patefactum, in multas partes secamus, & vnitatẽ calicis omnibus distribuimus. Latinorum verò sacerdos recitat & ipse dominica verba, quòd ipse praeceperit, Accipite, comedite, & bibite omnes: &, Hoc facite in meam commemorationem: verùm nihilo magis consecrat, sed arbitratur recitationem hanc verborum ad sanctificationem & consecrationem sufficere. deinde infermentatum panem illum, non opertum interim, sed vndecũque contigerit ita nactus, vbi subleuauit, partem quidem frãgit, & in calicem inijcit: quod reliquum est in os demittit. & toto calice pariter epoto, vt se salutent adhortatur qui cum eo ministrant diaconi, nemini quicquam impartitus, qui hoc gloriatur domini verbo, Accipite, comedite omnes, & bibite ex eo omnes. Hæc manifestámne proferunt contrarietatem iis quæ nobis traditæ sunt Liturgiarum expositionibus & interpretationibus, & verbis dominicis, & ipsis vocibus quibus vtuntur? Scilicet ita sentientes nobis vitio vertere audebunt, & nostros ritus curiosius inuestigare atque interpretari, quæ sanctis patribus tam sunt consentanea? At Chrysostomus ait, Dominicum verbum semel dictum sacrificium consummatum efficere. Semel dictum inquit, non quod nunc à sacerdote dicitur, sed quod semel à seruatore dictum est, perfectricem immittere propositis donis vim atque potentiam, non item & actu ea perficere: hoc enim sancti spiritus aduentus per sacerdotis orationem efficit. Idque perspicuum est ex iis quæ Chrysostomus, vt prius exposuimus, postquàm dominica verba recitata sunt, Mittas, inquit, spiritum tuum sanctum, & fac panem istum quidem, preciosum panem Christi tui. & quod est in calice isto, preciosum sanguinem Christi tui, permutans sancto spiritu tuo. Hæc nisi persuadeant eos qui contentiosi sunt, ij miserandi merito censendi sunt, tum quòd ignorantia duplici teneantur, & excæcatione profunda.

# SANCTI PATRIS NOSTRI GERMANI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, rerum Ecclesiasticarum consideratio, & mystica contemplatio.



Cclesia est templum Dei, delubrum sanctum, domus orationis, congregatio populi, corpus Christi, nomen eius, sponsa Christi, euocans ad pœnitentiam & ad preces populos, aqua sancti baptismatis eius purgata, & sanguine eius precioso abluta, & sponsæ ornatu decorata, & sancti spiritus vnguẽto obsignata, iuxta propheticum sermonem, Vnguentum euacuatum tibi nomen est, & ad odorem vnguenti tui curram: quia veluti vnguentum super capite, quod descendit in barbam barbam Aaron, quod descendit in orã vestimẽti eius. ALITER. Ecclesia est terrenum cælum, in qua supercælestis deus inhabitat & inambulat, typum referens adfixionis in cruce, & sepulturæ, & resurrectionis Christi, glorificata supra tabernaculum testimonij Moysis, in patriarchis præfigurata, in apostolis fundata, in qua propitiatorium est & sancta sanctorum, in prophetis prænunciata, in hierarchis exornata, & in martyribus consummata, & in throno sanctorum eorum reliquiarũ fundata. ALITER. Ecclesia est domus diuina, vbi mysticum vitæ sacrificium celebratur, & interiora sacrarij, & sancta spelunca: vbi sepulchrum & mensa nutrix animarum & viuifica: quique in ea margaritæ, diuina dogmata sunt doctrinæ domini ad suos discipulos. Semanter est veluti typus clauorum, quibus perfoderunt manus & pedes Domini: & vim suam exerit in fines orbis terrarum. ALITER. Semanterium obscure significat angelorum tubas, & excitat pugiles ad bellũ aduersus inuisibiles hostes. Baptisma est sicut deus præcepit Moysi inquiẽs, Cum descenderis, testificare populo huic, & sanctifica eos, & abluant vestimenta sua, & adstent parati ad ascendendum in montem ad me. Et rursus per Esaiam prophetam ait Dominus Deus, Lauamini, mundi estote, auferte malitias ab animis vestris: & si fuerint peccata vestra vt cos-

cinum, tanquam niuem dealbabo. Et rursum idem Dominus ait, Nisi quis natus fuerit per a-
quam & spiritum, non potest ingredi in regnum Dei. Et suis apostolis annũciabat dicens, Pro-
fecti in mundum vniuersum, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine patris & filij &
sancti spiritus. Baptisati autem sumus per mortem ipsius Christi, & resurrectionem eius. Nam
per immersionem in aqua & emersionem, triplicémque inundationem, triduanam sepultu-
ram & resurrectionem ipsius Christi repræsentamus & confitemur: præterea etiam ipsum
fuisse baptisatum in Iordane ab Ioanne. Vngi oleo baptisatos est instar olei quo reges & sa-
cerdotes & prophetæ vngebantur, vt etiam Christus vnctus est, tanquam rex & sacerdos,
vnctione incarnationis. Est quoque ad id ne possit Diabolus nos superare peccati mortis poten-
tia, quæ est mors ex transgressione Adam in nos delapsa. Aqua mystice nobis declarat mysti-
cum lauacrum aquæ & ignis sancti spiritus, ad purgationem sordium peccati nostri, & inue-
stigationem regenerationis, & vitæ æternæ restitutionem: per quod baptisma adoptionem fi-
liorum consecuti, liberati sumus à seruitute & potestate Diaboli, & accepimus libertatem
gratiæ filij Dei: in quo nos sanctificatos & purgatos aqua & spiritu, Deo admonit & patri in-
quiens, Pater iuste, ecce ego & paruuli quos mihi dedisti: sanctifica eos in nomine tuo, quos
dedisti mihi, vt sint & ipsi sanctificati, & noscant te solum verum deum, & quem misisti Ie-
sum Christum, vt sint ipsi hæredes regni mei. De quibus ait Pater, Inhabitabo in eis, & inam-
bulabo, & ero eis in deũ, & ipsi erunt mihi in populũ sanctificatũ, in regale sacerdotium. San-
ctus autẽ spiritus cõfirmat promissiones, tanquã testis fidelis & irreprehensibilis plenã in nobis
fiduciã procreans. Vide sanctam inscriptionẽ. Etenim sanctam trinitatem in modũ libelli præ-
scribit spiritus sanctus, veluti lingua dei & patris, & calamus scribæ velociter scribentis, scul-
pens scilicet in significationem christi, non per atramentum & chartã, sed per vnguenti liturã,
& velut in libro nouo, tabulis cordium fideliũ crucẽ Christi insculpẽs, quemadmodũ ait pro-
pheta, Et scripsi legem meã, ait Deus, in cordibus eorũ, & imprimam eam in fronte eorum, vt
signatum sit in ipsis lumen vultus mei, & sint ipsi celebres in vniuersa terra: ostendens nos &
hæredes regni sui, & filios legitimos & cohæredes ipsius, si modò & demus operam conser-
uare sanctum baptisma incolume, & signaculum saluum. Concha est, iuxta illam in Beth-
leem speluncam, vbi natus est Christus, & iuxta speluncam vbi sepultus est, quemadmodum
ait Euangelista Marcus, Erat spelunca incisa ex petra, & illic posuerunt Iesum.

Ecclesia verò est, vbi mysticũ illud ac viuum sacrificium fit, & interiora speluncæ, vbi se-
pultura collocata est pro eo intra sacrarium. Concha autem altaris, translatio est crucis: ter-
res, signa: idcirco vtraque rationabiliter ponuntur in facie sacrificantium. Sancta mensa
est vice loci sepulturæ, in quo positus est Christus, in qua proponitur verus & cælestis panis,
quod est mysticum & incruentum sacrificium, qui mactatus, carnem suam & sanguinẽ in ci-
bum & potum vitæ æternæ proposuit fidelibus. Est quoque ipsa dei sedes in qua supercælestis
deus, qui super Cherubim vehitur, corporis formam requieuit: in qua mẽsa etiam in mystica
illa sua cœna, in medio apostolorum suorum sedens, & accipiens panem & vinum, dixit suis
discipulis & apostolis, Accipite, manducate & bibite ex eo hoc enim est corpus meum, & san-
guis meus. Præfigurata autem est in legali mensa vbi manna erat, quod est Christus qui de cæ-
lo descendit. Sancta mensa est vice mensæ Christi cum discipulis: & qui in ea sunt marga-
ritæ, diuina sunt dogmata doctrinæ Christi ad discipulos. Ciborium est, vbi est crucifixio,
vice loci vbi crucifixus est Christus. Vicinus enim erat locus & fossa vbi sepultus est. Verum
quia compendio inducitur crucifixio, sepultura & resurrectio Christi, in ecclesia ita colloca-
tur. Est item & secundum archam illam testamenti Domini, in qua dicuntur sancta sancto-
rum & eius sanctificatio: in qua præcepit Deus fieri duo Cherubim vtrinque, tornatilia. Nam
Cib est archa, Orium illuminatio Domini, aut lumen Dei. Altare est propitiatorium, in quo
offerebatur pro peccato, iuxta sanctum monumentum Christi, in quo altari victimam se
Christus obtulit deo & patri, per oblationem corporis sui, vt agnus immolatus & vt pontifex
& filius hominis, offerens & oblatus in mysticum & incruentum sacrificium, & rationa-
lem hostiam fidelibus immolatus, per quam participes efficimur æternæ vitæ & immortalis:
quem agnum præfigurauit in Ægypto Moses ad vesperam, & sanguine eius exterminatorem
angelum auertit, ne neci traderet populum. Ad vesperam enim significat, quòd & ad vesperam
mactatus est verus agnus, mundi qui tollit peccatum cruce sua Christus. Etenim pascha no-
strum pro nobis immolatus est Christus. Altare est & dicitur præsepe & sepulcrum Domi-
ni. Altare est & dicitur ad exemplum supercælestis & spiritalis altaris, in quo typo refe-
runt spiritales & ministratorias hierarchias immaterialium & supernarum potestatum &

terre

terreni & materiales sacerdotes aßistentes & ministrantes domino in æternum: quare & tales sint oportet, vt ignis flagrans. Nam serie supercælestium, & terrenorum ordine filius dei & iudex vniuersorum leges tulit.

Gradus subsellij locus est & sedes, in quo vniuersorum rex Christus præsidet cum suis apostolis, vt ad eos ait, Sedebitis super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel. Sedes enim dicuntur prædicatio fidei, in qua prædicatione confidentes, docuerunt, & per eam accipiunt remunerationem prædicationis, supercæleste regnum, quia cathedra illic non est. Subindicat verò & secundum eius aduentum, quo venturus est in gloria ad iudicandum viuos & mortuos, reddens singulis secundum opus eorum, & ad omnem mundum iudicandum, vt ait propheta, Illic sederunt sedes in iudicium, sedes super domum Dauid. Cosmites est ad exemplum legalis & sancti cosmij, indicans crucifixi Christi signaculum, per crucem ornatum.

Columellæ siue thoraces separantes gradum à reliquo templo, monstrant: exterior quidem pars, templum quousque ingreditur, & vbi sistit populus ad orandum, proficiscens: pars autem interior, siue gradus significat sancta sanctorum, in quæ soli sacerdotes & comites eorum intrent. Cancelli locum orationis designant, quousque extrinsecus populus accedit: intrinsecus autem sunt sancta sanctorum, solis sacerdotibus peruia. Sunt autem reuera ad piam memoriam cancelli ænei, ne quis simpliciter & temere ingrediatur. Ambo figuram lapidis sancti monumenti designat, quem angelus cum euoluisset ex hostio monumenti, proclamabat resurrectionem Domini vnguentiferis mulieribus. Est autē iuxta prophetam dicentem, In monte campestri tollite signum: ascende qui euangelizaris, & exalta vocem. mons est enim in loco campestri et æquabili positus.

Orientem versus precari, traditum est vt et reliqua, ab apostolis sanctis: et ita res habet, propterea quòd spiritalis sol iustitiæ Christus deus noster in terra apparuit in orientis solis sensibilis partibus, vt propheta inquit, Oriens nomen ei est: et rursum, Adorate dominum qui ascendit in cælum cæli secundum orientem. et, Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius. et iterum, Stabunt pedes domini super montem domini oliuarum ad orientem. hæc aiunt prophetæ. Propterea etiam quòd nos denuo Paradisum illum in Edem expetimus et speculamur, ab oriente recuperatum iri expectantes, et etiam recipientes ortum illum lucis appariturꝰ in domini secundo aduentu et regeneratione.

Genu non flectere sancto die dominico resurrectionis, significat lapsuum nostrorum erectionem factam per triduanam Christi resurrectionem. Non flectere genu ad pentecosten vsque, est septem dies post sanctum Pascha in septem multiplicatos contineri die Pentecostes. Nam septies septem quadraginta nouem, et dominico addito, quinquaginta.

Tonsura capitis sacerdotis, et rotunda eius pilorum media sectio, vice coronæ est spineæ, quam Christus gestauit. Duplex corona circumposita capiti sacerdotis, ex capillorum significatione, imaginem refert venerandi capitis apostoli Petri, quæ, cum missus esset ad prædicationem Domini et magistri, ei tonsa est ab iis qui eius sermoni non credebant, vt illuderetur ab ipsis, eique magister Christus benedixit, et infamiam in honorem, illusionē in gloriam conuertit, et posuit super caput eius coronam, non ex lapidibus preciosis, sed lapide et petra fidei eius fulgescētem super aurum et topaziū, et lapides preciosos. Vertex enim ornatus, et corona duodecim lapillorum apostoli sunt: petra verò sanctißimus apostolus est primus hierarcharum Christi.

Stola sacerdotis est ad exemplum talaris Aaron, id est vestimentum, quod sacerdotale est indumentum ad pedes vsque, honorabilißimum. Est autē ignea specie, iuxta prophetam dicentem, Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignē ardentem. et rursum, Quis iste aduueniens ex Edom? Edom enim sonat terrenū, aut electum, aut rubrū. deinde subdit, Rubedo vestimentorum eius, ex vinea Bosor. ad quid tua rubra sunt vestimenta, et indumenta tua tanquam torcularis calcati? quod indicat tinctam Christi stolam carnis in sanguine, in eius immaculata cruce. Itémque quia etiam coccineā chlamydem gestauit in paßione Christus, demonstrant pontifices cuius pontificis sint satellites. Exutos autem zonis sacerdotes deambulare in casulis, id significat Christum in crucem abeuntem ita gestasse crucem suam.

In supremis illis splendoribus intelligentium cælestium ministrorum, prophetarum et hierarcharum, sunt presbyteri XXIIII. et diaconi septem: presbyteri ad imitationem sunt seraphicarum potestatum, stolis vice alarum contecti, duabus autem alis labiorum, hymnum illum voce cantantes, et tenentes diuinum et spiritalem carbonem Christum prehensione manus manifestò gestantes. Diaconi verò ad typum angelicarum potestatū, tenuibus tenuium

horariorum alis, vt administratorij spiritus in ministerium missi, præcurrunt. Ac primum tunica quæ alba est, diuinitatis splendorem indicat, & sacerdotis splendidam conuersationem. Lora tunicæ quæ sunt ad manum, significant vinculum Christi. Vinctum enim eũ abduxerunt ad Caiaphã pontificem & Pilatũ. Lora quæ sunt transuersa, sanguinem significant qui fluxit ex latere Christi in cruce. Peritrachelion est fasciola, qua producebatur à pontifice vinctus, & tractus in anteriorem partem per collum Christus, ad patiendum ipse proficiscens. Epitrachelij dextra pars, denotat arundinem quam dederunt illudentes, dextræ Christi. Læua pars, crucis est gestatio super humeris eius.

Zona, qua præcingitur, declarat maiestatem qua Christus regnans, magnifica dignitate diuinitatis præcinctus est & vndique ornatus. Casula denotat coccineam purpuram, quam Iesu illudentes gestandam impij dederunt. Est etiam stola baptismi.

Humerale est pontificis, ad exemplum stolæ Aaron, quam gestabant legales pontifices, sudariis longis læuo humero circumponentes, ad significandum iugum mandatorum Christi.

Humerale autem quo Episcopus circundatur, significat ouis pellem, quam errantem cùm dominus inuenisset, super suis humeris assumpsit, & cum iis quæ non errauerant recensuit. Habet autem & cruces, quia Christus super humero ipse quoque gestauit crucem suam. Præterea etiam qui volunt secundum Christum viuere, super humeris tollunt crucem suam, id est afflictionem. symbolum enim afflictionis crux est. Monachalis habitus est ad imitationem cultoris & quasi ciuis deserti ac baptistæ Ioannis: quia indumentum eius erat ex pilis cameli, & zona pellicea circum lumbos eius. Radi verò toto capite, ad imitationem fit sancti apostoli Iacobi dei fratris, & Pauli apostoli & reliquorum.

Anabolæa autẽ ea referunt anabolæa quæ gerebant vestimenta. Cucullæ, prout ait apostolus, Crucifixus est mihi mundus, & ego mundo. Mantile declarat tenui sua simplicitate alatam & volantem conuersationem imitatione angelica, prout angelicus habitus dicitur.

Othone cum qua ministrant diaconi, designat Christi humilitatem, quã demonstrauit cùm pedes suorum ablueret.

Enchirium quod est in zona, linteum est quo manus extersit suas: & enchirium habere in Zona, typum refert extergentis manus, & acclamantis, Innocens ego sum.

Oblatio quæ fit in armario, denotat caluariæ locũ in quo crucifixus est Christus: in quo aiũt sitam esse caluariam primi parentis Adam. ostendit autem fuisse monumentum prope locum vbi crucifixus est. Præfiguratus est autem caluariæ hic locus in Abraam, quãdo super vno montium, dei iussu, altare ex lapidibus construxit: & ligna strauit, imposuitque filium suum, & attulit arietem pro eo in holocaustum: ita deus & pater principio carens & antiquus ille diebus, filium principio carentem suum postremis temporibus, incarnatum ex virgine & deipara, ex lumbis Abraam iuxta promissionẽ iurisiurandi, quod fecit cum eo: ita vt pro genere humano non pepercerit filio suo charissimo & vnigenito, sed pro nobis omnibus tradiderit eum: ac passus est quidem homo in carne: sed impatibilis permansit in diuinitate. Etenim Christus proficiscens ad crucem, suam gestauit crucem, & pro ariete immolatum est corpus eius immaculatum, vt agnus mactatus lancea per latus eius transfixa, & pontifex factus vt filius hominis, & offerens seipsum, & oblatus ad subuehẽdos peccatores multos. & mortuus quidem est, vt homo: resurrexit verò vt deus, ex quo supramundanam gloriam habuit apud deum & genitorem. Oblatio autem panis repræsentat corpus domini, affixum propter salutem nostram qui sumus fideles.

Panis propositionis sanctificatus indicat purgationem mundi, & eximias diuitias bonitatis & clementiæ dei: in eo quòd filius dei homo factus est, & seipsum proposuit hostiam & oblationem, & corpus suum, & redemptiuam propitiationem pro mundi vita & salute: assumens totam massam humanæ naturæ, absque peccato: oblatus autem, vt primitiæ, & holocaustum selectum deo & patri pro genere humano, quemadmodum ait, Ego sum panis qui de cælo descendi, & qui manducat hunc panem, viuet in æternum. de quo etiam ait propheta Hieremias, Venite & immittamus lignum in panem eius, ostendens lignum crucis, in quo corpus eius infixum est.

Lancea, vice est eius quæ latus domini punxit. Lancea expurgari, significat illud, Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & cæt. Discus, lectica est, in qua corpus domini à sacerdote & diacono componitur, qui sunt Ioseph & Nicodemus.

Vinum autem declarat sanguinem ex latere Christi fluxum. Est autem & mysticum vinum, quod dedit discipulis in cœna. Aqua verò demonstrat eam quæ fluxit ex latere ipsius

Christi:

Christi: & per calorem significat feruorem sancti spiritus: per albedinem verò, sinceram fidẽ.

Vinum simul & aqua, sunt egreßi ex latere eius sanguis & aqua, quemadmodũ ait propheta, Panis ei dabitur ad cibum, & aqua ei ad potum potabilẽ. nam vice lanceæ quæ punxit Christum in cruce à Longino, est hæc lancea. Panis & poculum propriè & verè, ad imitationem mysticæ illius cœnæ, in qua Christus accepit panem & vinum, & dixit, Accipite, manducate & bibite ex eo omnes: hoc enim est corpus meum & sanguis: ostendens se nos participes fecisse mortis, & resurrectionis, & gloriæ suæ.

Oblatio autem, quæ & panis, & benedictio, & primitiæ dicuntur, ex qua dominicum corpus dissecatur, ad typum semper virginis & deiparæ sumitur, quæ secũdum beneplacitum patris, & voluntatem filij sui & verbi, & aduentum diuini spiritus, vnum sanctæ trinitatis, filium dei & verbum recipiens in se perfectum deum & perfectum hominem peperit: vt autem rursum supersubstantialis deus, carne ex ea assumpta in vna hypostasi, perfectus erat deus & homo, similis nobis absque peccato: ita & dominicum corpus, tanquam ex quodam vtero & carne corporis virginalis, toto pane, inquam, benedictionis & oblationis à diacono, vt magna ecclesia à maioribus accepit, dissecatur ferro quodam quod & lanceã appellant, tametsi nondum tempus eius est: & ita peculiari quadam hypostasi ex medio eius aufertur.

Diaconus tamen qui id efficit, præparato cũ eo, qui conficiendus est dominicus sanguis, in conuenienti paßionis tempore, per viuifici spiritus aduentum, dimittit ea in prothesi, orationẽ adiungente sacerdote. Ipse verò qui diuinum corpus diuidit, diaconus, à benedictione angelum imitatur, qui virgini Aue annunciauit. Nec mirandum etiam si sacerdotes id fecent. nã ad consuetudinem magnæ Ecclesiæ respiciendum. ita igitur dimittitur diuinum corpus in prothesi, tanquam in Bethleem, vbi natus est Christus, cuius egressus ab initio à diebus seculi: simúlque etiam tanquam in Nazaret. Insuper quoque conuersationis in Capernaum locum prothesis ipsa explet. ideo enim in procœmiis prædiximus, vnum eorum quæ nunc figurantur, duobus aut tribus eorum quæ tum fiebant, absolui & referri: & vt summatim dicam, annorum triginta tempus ante baptismum & conuersationes prothesis explet. Calix autem est loco vasis quod recepit effusum sanguinẽ puncti immaculati lateris, & manuum & pedum Christi vnguenti defluxum. Cratera, salutare poculum est, quod dedit discipulis suis in cœna.

Poculum rursum est ad exemplum crateræ quam describit propriè siue sapientia, siue filius dei, miscuit suum sanguinem loco vini illius, & apposuit in sancta sua mensa, dicens omnibus, Bibite ex eo omnes, pro vino illo mixto, in remißionem peccatorum, & in vitam æternam.

Crateras etiam interpreteris licet mammas deiparæ, salutare lætitiæ poculum, & tutelare ac conseruatoriũ totius generis mortalium. Armarium, vbi præsentatio perficitur, pro caluariæ loco est. Corporale significat sindonem in qua inuolutũ est Christi corpus, cùm è cruce descensum est & in monumento collocatum. Et superius disci velamen, indicat sindonem qua inuoluerunt corpus domini. Disci velamentum est pro sudario quod erat super facie, circuntegens illam in sepulchro.

Velum siue aer est & dicitur esse vice lapidis quo muniuit monumentũ Ioseph, quod obsignauit tabella custodiæ. Ecce cruci Christus est fixus, sepulta vita est, munitum est sepulchrum. Et statim thuribulum subindicat humanitatem Christi: ignis, diuinitatem: & fragrans fumus indicat illum bonum odorem sancti spiritus præcedentẽ. nam thymiater est, si interpretari velis, fragrantißima lætitia. Incensum autẽ repræsentat aromata illa quæ offerebant sepeliendo domino: & myrrha & thus magorum, pura est precatio bonorũ operum, ex quibus fragrantia procedit, vt ait Apostolus, Christi bonus odor sumus.

Agnoscite igitur omnes sacerdotes, qui sacro altari aßidetis, & incruentam victimam sacrificatis, quòd viuas paßiones Christi annuncietis. Conceditur itaque tempus à pontifice sacerdoti inchoaturo diuinam mystagogiam. id autem tempus repræsentat prædictum tempus voce prophetæ Esaiæ, quando nasciturus esset præcursor Ioannes, & ad nos Christus peregrinaturus. Sacerdos autem initium diuinæ Liturgiæ faciens, imaginem refert præcursoris Ioannis & baptistæ, prædicationem inchoantis & inquientis, Pœnitentiam agite. prope enim est regnum cælorum: & baptizantis omnes accedentes. Diaconi sunt pastores. Sacerdotes angeli.

Diaconus. Benedic domine. Sacerdos. Benedictum regnũ patris & filij & spiritus sancti. Ita primũ ordinem habet orationũ ad deũ, quæ Doxologia dicitur. itaque ante omnẽ orationem & sacram commemorationem sacerdos gloriam dei celebrat. Quid igitur ter dei nomen nuncupat, non semel duntaxat? non enim, Benedictus deus, aut Benedictum dei regnũ, sed

personis distinctis: Benedictum regnum, inquit, patris & filij & sancti spiritus. Quia per incarnationem domini primùm didicerunt homines, Deum tres esse personas. Huius autem incarnationis domini mystagogia est quæ hic peraguntur, vnde in proœmiis eorum oportebat prælucere & prædicari trinitatem. Et à superioribus illis potestatibus glorificatur deus tribus sanctificationibus, & ab hominibus regnum Christi benedicitur, qui vi & potentia diuinitatis suæ inferos spoliauit, & nos liberauit. Amen) verè, aut fiat.

His autem verbis, In secula seculorum) fumum ciuitatis Babylonis ascendere significatur: quòd sanguinem seruorum suorum de manu Babylonis requisiuit, & eius habitatores puniēdo beneficijs affecit, excisione peccati peracta.

Diaconus, In pace dominum precemur) post doxologiam autem, petitionem memorat. nam quid oremus vt oportet, nescimus: & ne multiloqui simus, docet nos quæ de oratione sentienda sunt, in pace scilicet orandum esse, neque prius professis, neque gratiis deo actis. quia cū dixit pacem, illa quoque complexus est, si quis accurate considerare velit. Nunc docet primùm petendam cælitus pacem, & animarum salutem. ita enim nos Christus petere iußit: tranquilla mente preces nostras exhibeamus.

Sanctißimæ, immaculatæ, & cætera) Actorum omnium sanctorum memores, alter alterum, & vitam nostram omnem, cum bonis nostris operibus deo commendemus. Antiphona, sunt prophetarum prædictiones, prænunciantes aduentum filij dei ex virgine super terram, & clamantes, Deus noster super terram visus est, & decorem induit:) id est incarnationem eius manifestantes, quam nos suscepisse & didicisse per ministros & oculatos testes verbi, apostolos, profitemur. Sciendum autem est, initio omnis officij matutini & vespertini, primum veteris testamenti cantari psalmos, deinde nouæ gratiæ cantica, veteri nimirū præcedente, cuius legislator hic natus extremis diebus oracula fudit, vt omnes intelligant vnum & eundē deū ac dominum esse, qui has & illas leges sanciuit, Christus.

Antiphonum primum. Bonum est confiteri domino) Opera nostri cordis enarrare domino, bonum est. Et psallere nomini tuo altißime.) Cantando dicere, quos tibi hymnos offerimus, oportet. Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.) Vt manifesto enarremus quomodo misericordiam consecuti sumus, & contra omne peccatum opponamus veritatem tuorum factorum. Quia rectus dominus deus noster) Quoniam verax est dominus deus noster. Et non est iniquitas in eo) Et nullum mendacium aut falsitas apud deum.

Etiam atque etiam in pace dominum deprecemur) Iterúmque atque iterum intenta & quieta mente dominum deprecemur. Cum voce pronunciando, Quia tua est potentia, & tuum regnum, & potestas, & gloria, patris & filij & spiritus sancti, nunc & semper & in secula seculorum. amen) Quia tua est dominatio & regnum omnium visibilium & inuisibilium: & propterea nos qui super terram sumus, gratiarum actionem omnes & gloriam indesinenter tibi referimus, nunc & semper. & in secula seculorum. Amen) est, Verè, aut fiat.

Antiphonum secundum. Dominus regnauit, decorem indutus est.) Dominus regnauit in cælis, & fidelem populum sibi vindicauit proprio sanguine suo, & egressus est ad debellandum diabolum. Etenim firmauit orbem terrarum, qui non commouebitur.) Firmauit orbem terrarum, ecclesiam in fide sua, & portæ inferorum non præualebunt ei. Testimonia tua cōfirmata sunt vehementer: domum tuam decet sanctitudo domine.) Ea quæ tu passus es credita sunt in mundo: populum tuum decet gratia tua in æterna secula. Coniunctum autem est extremo primi antiphoni hoc, Intercessionibus deiparæ serua nos.) cuius rei gratia, nisi ad confirmanda omnino quæ prius dicta sunt, de typo semper virginis, quòd eius ipsa dux est ministerij, & veræ dispensationis. Secundi verò ephymnium, Intercessionibus sanctorum tuorum) Quoniam enim pro salute animarum, & venia lapsuum diuinam celebramus mystagogiam, merito tanquam superiorem dei matrem omnibus sanctis, aut etiam ipsis supercælestibus potestatibus, in supplicatione primam appellamus: deinde eos qui complacuerunt eius filio.

Troparium autem quod ad finem antiphoni secundi dicitur, quod est, Vnigenitus filius & verbum dei, & cæt.) opus est Ioseph & Nicodemi. Tollentes enim dominū vt sepelirent eum, eo sunt initiati à venerando & viuifico corpore domini, & diuinitate in eo inseparabili.

Nonnulli aiunt idem troparium enunciatū fuisse, à diuina sorte rege Iustiniano, quod valde etiam symbolis Christi natiuitatis quadrat. Is enim, inquit, natus vnigenitus filius & sermo patris initio carentis cùm sit, recepta propter nostram salutem incarnatione ex sacra deipara, immutabili manente diuinitate & inconfusa, vnus est de sancta trinitate, homo factus

&

& lubens cruci fixus qui & in sancto illo hymno conglorificatur à spiritalibus et cælestibus potestatibus. nam nulla facta egreßione aut separatione à paternis finibus, descendens incarnatus est: ipse est qui seruat nos.

Diaconus. Etiam atque etiam in pace.) Sacerdos elata voce, Quia bonus & hominum amans deus es, & tibi gloriam referimus, patri & filio & spiritui sancto, nunc.) Bonus & hominum amans es, dicimus, quia filium tuum in mundum propitiationem misisti, propterea gloriam & gratiarum actionẽ tibi referimus, id est, offerimus, nunc & semper & in secula.

Antiphonum III. Venite exultemus domino.) Agitedum impleamur omni gaudio in domino. Iubilemus deo salutari nostro.) Deprecemur cum lachrymis deum nostrum Iesum. Præoccupemus faciem eius in confeßione, & in psalmis iubilemus ei.) Et ante aduentum eius eum deprecemur, & psallentes supplicemus ei. Quoniam deus magnus dominus, & rex magnus super omnem terram.) Magnus deus est Iesus Christus, quemadmodum apostolus inquit, cùm ait, Magni dei & seruatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis: & in omnes gentes regnauit, & regnabit per fidem suam. Quia non repellet dominus plebẽ suã. Quia in manu eius omnes fines terræ, & altitudines montium eius.) Fideles populus scilicet, & reliqui prophetæ. Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud) Quoniã ipsius est omnis multitudo hominũ, & ipse prius fabricauit eos, & rursum in baptismate suo renouauit eos. Et aridam manus eius formarunt) Et cor omnium hominum creauit spiritus sanctus eius, in lauachro incorruptibilitatis.

Introitus euangelij, aduentum indicat filij dei, & ingressum eius in hunc mundum, vt ait Apostolus, Cùm induxerit, nimirum deus & pater, primogenitum & vnigenitum suum in orbem terrarum, ait, Et adorent eum omnes angeli eius. Deinde ostendente etiam pontifice per stolam suam, carnis Christi stolam rubram & sanguineam, quam gestauit immaterialis ille & deus, vt purpuram tinctam ex immaculato sanguine deiparæ, & assumpsit errabundã ouem super humeros suos, & pellem Adameæ massæ, pastor ille bonus, pascens Israel in virga crucis suæ, in fascijs inuolutus, & positus non in præsepi brutorum, sed in mensa rationali hominum, quem in natiuitate sua celebrarunt hymnis angelorum exercitus dicentes, Gloria in excelsis deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Et vniuersa terra adorent te, & psallant tibi. ac omnibus subaudientibus ait: Venite adoremus & procidamus ei) serua nos fili dei. Primum ei flectamus genu vt obnoxij, & tunc veniam ab eo petamus eorum quæ ipsi debemus, & prædicemus eius aduentum patefactum nobis in gratia domini nostri Iesu Christi.

Aliter de introitu. Censeo enim ostensionem in Iordane & patefactionem Christi & dei nostri, ingressu pontificis obscurè designari. nam eatenus, etiam si aderat pontifex, at nondum manifestus & notus: neque in medio stabat, & supernaturalia & eximia mysteria celebrabat: sed tempus opportunũ nactus sacerdos, quasi præcursor pœnitentiæ baptisma conficiebat: qui cernens pontificem ingredientem, loco migrat, tantum non illud ipsum tacitus secum ratiocinans quod & Ioannes dixit, Hunc oportet crescere, me autem diminui: ac statim cedit pontifici, vt maiora mysteria perficiat: qui & ait: Quoniam sanctus es deus noster.

Ter ille sanctus hymnus, ita quidem est, queadmodũ illic quidẽ angeli dixerunt, Quàm magnificata sunt opera tua domine. & Gloria in excelsis deo: hic verò vt magi dona Christo offerentes, fidem, spem, & charitatem, quasi aurum, thus, & myrrham, incorporeorum canticum vociferantes fideliter & dicentes. Sanctus deus) deus inquam pater. Sanctus fortis) filius & sermo: quòd fortem illum nostrũ aduersariũ diabolum vincijt, & irritam eius fecit potentiam per crucem, qui potestatem habet mortis: ac vitam & robur & potestatẽ nobis dedit calcandi super eum. Sanctus immortalis) Spiritus sanctus, viuificus, per quem omnis creatura viuificatur, & in statu permanet, ac clamat inquiens, Miserere nostri. Consolator ille spiritus sanctus & veritatis, qui sacrificium consummat, & semper aditat filios ecclesiæ, & miseretur, & per baptismũ immortalitate donat. ALITER. Sanctus deus) id est pater, qui est, & fuit, & erit, qui olim Mosi oraculum fudit, inquiens, Ego sum ille qui sum, qui volo vitulũ mactare propter vos. Sanctus fortis) filius & sermo dei, qui erat in principio apud deum, per quẽ omnia facta sunt, & vitulus ille qui semper volens ipse mactatur, & semper viuit: per ista autem, Erat in principio apud deum, per quẽ omnia facta sunt, simúlque, vitulus qui semper mactatur volens, & semper viuit & permanet, immortalitatẽ significat eius qui in se complectitur omnium eorum quæ sunt & initium, & media, & postrema.

ALITER. Sanctus fortis) filius & sermo dei: fortis quidem, quasi fortitudo dei: sapiẽtia & potestas, prout ait apostolus, Filius & sermo dei, fortis & potens, & viuens, efficaxq;

& magis secans quàm gladius anceps, &c. Sanctus immortalis) significat eius qui in se cōplectitur initium omnium quæ sunt & finem. Dicitur autem ter sanctus à ternario: quia congruunt etiam singulis trium personarum vnius deitatis, hæc tria sancta. Vnaquæque enim & sanctus est, & fortis, & immortalis. Natura enim & essentia tribus vna est: nomen commune vnum, diuinitas, etiamsi vnaquæque personarum trium deus nominatur perfectus. In his autem breuibus verbis præclarè licet intelligere illud quoque quod à magno Theologo ita dictum est: Diuiditur enim indiuiduè, vt ita dicam, & connectitur diuiduè: & alibi idem, Simul atque vnum intelligere incipio, triū splendore vndique collustror. Vixdū inchoans tria diuidere, ad vnū referor. Verū ne quis testimonia hæc ter sancti audiens, arbitretur ter sanctum inchoasse à Christi et dei nostri humanitatis assumptione. Iampridē enim à diuiniloquis prophetis, mysticè spiritus prædictus erat. Huius enim typū & eloquia vidēs ac declarās Dauid, paucis verbis eū repræsentat, Sitiuit, inquiens, anima mea ad deum, fortē, viuū: & alibi, Verbo domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorū. & alias, In lumine tuo videbimus lumen. Ille autē ab Esaia enunciatus seraphicus hymnus, & ter sanctus in vnā dominationē colligens & deitatem, quid discriminis habet ab hoc nostro ter sancto quem canimus?

Quòd autem ascendat in consessum pontifex, & obsignet populum, id est, filium dei impleturum in carne nostra ministerium suum, sublatis manibus suis benedixisse sanctis suis discipulis, dicens eis, Pacem relinquo vobis: ostendentem eandem pacem & benedictionem mundo Christum per apostolos suos dedisse. ALITER. Signaculum quod pontifex facere solet in fine ter sancti in complementum & tanquam obsignationem prophetarum qui de Christo vaticinati sunt, designatur. nam eius aduentus per carnem, sigillū fuit rata faciens & confirmans quæ ab illis prædicta fuerant, vt vera. ipsum enim & in initio diuinorum operū, & humani generis in reformatione ordinem tenet. ordo enim, ait Theologus Gregorius, optimus est, à deo inchoare, & in deo finire. Pontifex, dominus est. Thronus virgo. Sedere autem est, filium suam carnem quam gestauit, & ouem quam super humeros assumpsit, quod designatur superhumerali, quæ est Adamea massa, sustulisse supra omne imperium, & potestatem, & dominationem superiorum virtutum, & obtulisse deo & patri. quoniā enim ille deificabat, hic deificabatur, hæc est assumptio, quam propter dignitatem offerentis, & puritatem oblati, admittebat ipse deus & pater, quasi hostiam & oblationem acceptabilem pro humano genere, ad quem ait Dauid, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: id est pater filio, qui sedit in dextra parte throni maiestatis eius in excelsis. Hic est Iesus Nazarenus, pontifex futurorum bonorum.

Post ter sanctum hymnū legitur liber apostolicus, & ait Diaconus, Attendamus Auscultemus, auribus percipiamus omnes cum tranquilla mente. Sapientia. Psalmus Dauid.) Sermo dei sanctus & dilectus annunciat quæ sunt patris, quæ sunt abscondita.

Quod proponitur rursum, indicat prophetarū sacrā manifestationē & prædictionē aduentus regni Christi, quasi satellites præcurrentes & clamantes, Qui sedes super Cherubim, appareto & veni ad seruandos nos. ac deus sedet super throno sancto suo. Et testis oculatus & minister sermonis Paulus, clamat prædicans dei regnum, & inquiens, Christus adsistens pontifex futurorum bonorum per amplius, &c. Cum quo clamat quoque Ioannes Baptista, Qui post me venit, est agnus dei tollens peccatum mundi: ipse nos sanctificabit in spiritu & igne, & medius inter vos stetit. Post id autem & apostolorum vocatio, & eorum designatio declaratur Actuum ipsorum & epistolarum lectione.

Alleluia clamat Dauid, & ait, Deus noster manifestò veniet, & ignis coram ipso præcedet. Apparuerunt fulgura euangelistarum eius orbi terrarum. Hebraica enim lingua est Al, venit, apparuit, El deus: Via laudate & celebrate viuentem deum. ALITER. Al, pater: El, filius: Via, spiritus sanctus. Alleluia, deus fortis, potens, laus dei, laudate deum qui est. Alleluia, laus deo qui est. ALITER. Alleluia, diuinam laudem significat trifariam, propter tribus personis distinctam patris, filij, & sancti spiritus singularē deitatem.
ALITER. Alleluia, præco euangelij vociferans, dominus venit. ALITER. Laudate, celebrate. Dicunt autem angelos hac voce celebrare deum, veluti Cherubim, dicendo, Sanctus: idque sancti patres tradiderunt, qui id audierunt, quemadmodū Esaias è Cherubim. Etenim statim thuribulum subindicat humanitatem Christi. ignis, deitatem: odoratus fumus indicat bonum odorem sancti spiritus præcedentem. incensum enim est fragrantissima lætitia.

Sapientia. Sermo dei) Recti audiamus sanctum euangelium, id est erigamus mentes nostras

stras cum operibus, à terrenis, & intelligamus bonorum declarationem. Euangelium est aduentus filij dei, quo apparuit nobis, non iam per nebulas & ænigmata loquens nobis, vt aliquando Mosi per voces & fulgura & tubas, sonitu & caligine & igne in monte: aut olim prophetis per somnia: sed manifestò vt homo verè apparuit, & visus est nobis, vt mitis & quietus rex, qui prius descendit vt pruina in vellus sine strepitu: & vidimus gloriam eius, gloriam tāquam vnigeniti à patre: plenus gratiæ & veritatis: per quem locutus est nobis deus & pater, ore ad os, & non per ænigmata: de quo pater cælitus testatur & ait, Hic est filius meus ille dilectus. Sapientia) Sermo & potestas, in prophetis dictus, & prædicatus nobis: in euangeliis manifestatus, vt quotquot receperint eū & crediderint in nomen eius, accipiant potestatem qua filij dei fiant, quem audiuimus & vidimus oculis nostris, sapientiam & sermonem dei hunc esse omnes credentes, clamamus, Gloria tibi domine. Deinde rursus spiritus, in lucida nube obumbrans nunc per hominem clamat, Attendamus. Attendite) hoc est ipsum audite. Matthæus si vis interpretari, mel est. Marcus, vinum. Lucas, lac. Ioannes, oleum.

Quatuor euangelia sunt ad exemplum quatuor ventorum vniuersalium, subsolani, fauonij, austri, aquilonis. hi enim existunt ad mūdi constitutionem: vniuersales verò dicuntur, propter alios octo ex aduerso spirantes. Et aliter. Quatuor euangelia sunt & quatuor vniuersales venti, iuxta quadriformia animalia, dico sanè Cherubim illa in quibus sedet vniuersorum deus: ex quibus constat, sedentem super Cherubim deum, & continentem hoc vniuersum, patefactum, dedisse nobis quadriforme euangelium, idque vno spiritu contentū. quatuor enim facies habent: ac facies eorum imaginem referunt administrationis filij dei. Primum enim animal, aiunt, leoni simile est, denotans efficaciam eius & principatum & regnum. Secundum, simile vitulo, sacrificum & sacerdotalem ordinem indicans. Tertiū, habens faciem hominis, aduentum eius secundum hominem manifestò perscribens. Quartum, simile aquilæ volanti, sancti spiritus aduolantem largitionem declarans. Igitur & euangelia his conformia sunt, in quibus insidet Christus. Nam aquila, quæ est secundum Ioannem euangelium, quem habet à patre principatum eius, & gloriosam generationem enarrat, inquiens: In principio erat verbum: & omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Taurus, quod est secundum Lucam euangeliū, cum sacerdotalem speciem præ se ferat, à Zacharia sacerdote incensum offerente incipit, inquiens, Postquàm multi conati sunt retexere narrationem, & cætera. Iam enim saginatus vitulus pro inuentione iunioris pueri mactandus erat.

Bos appetibile iecur significat. Varius verò equus, Lucas, vt qui magis eloquenter & variè gesta domini tractarit. Matthæus verò humanam eius generationē concionatur, inquiens, Liber generationis Iesu Christi, &c. Iesu Christi autem natiuitas sic habet. hominis ergo conformationem refert hoc euāgelium. Homo quod rationis est particeps. Homo, quod eius capite continetur, Latini dicunt rationabile, Græci phronesin & logioteta, prudentiam & orationis vsum: Arabes siue Saraceni Elaphacar, elacil, eltzinum. Fuluus igitur equus Matthæus, vt qui humanitatis assumptionē domini disertè exposuerit. Leonis specie Marcus, à prophetico spiritu, ex alto adueniente hominibus initium fecit, inquiens, Initium Euangelij Iesu Christi, vt scriptum est in prophetis, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, volatilem imaginem euangelij his verbis ostendens. Leo thymicum est, i. ad iram pronū: Latini dicunt irascibile. Et aliter, Thymicum fortitudinem & timiditatem significat, Latinis irascibile, Saracenis, Elgadab, enigde, velgiben. Et aliter. Variegatus equus, Marcus, vt qui floribus distinctius euangelium scripserit. Ioannes, aquila, vt qui spiritale. Et aliter. Aquila anima est. Et aliter, albidus equus, Ioannes, vt qui cādidius vniuersam laudationē peruulgarit. Cæterùm ipse sermo dei patriarchis ante Mosem, diuinè & gloriosè colloquebatur. Qui erant in lege, iis sacerdotalem ordinem tribuit. Postea autem homo factus, donum sancti spiritus in vniuersam emisit terram, tegens nos suis alis. Qualis igitur operatio filij dei, talis & animalium forma, talis & Euangeliorū stilus. quatuor enim formas animalia habent, habet totidem & euangelium, & operatio Domini: & ob id quatuor generalia testamenta humanæ naturæ data sunt: vnum quidem in diluuio de arcu: secundum Abraamo, de signo circuncisionis: tertium est, legislatio per Mosem: quartum est, euangelij Iesu Christi domini nostri. His vero sic habētibus, vani sunt omnes, & imperiti, insuper etiam temerarij qui abrogant ideam Euangelij, & siue plures, siue pauciores quàm quæ dictæ sunt, circunferunt euangeliorū facies: partim, vt qui plura quàm veritas habet extulisse videantur: partim, vt qui dispensationes dei faciant irritas.

Post diuinorum euangeliorum lectionem preces & petitiones habitæ, ad Cherubicum vsque hymnum, Christi & dei nostri doctrinam tribus annis, indicant, & eorum qui ad baptis-

mum se applicarunt, institutionem: ad quod hos sermonum potentia & miraculorum efficacia pertrahebat: quando etiam cathecumeni, & nondum admissi ad Christi mysteria, foras migrant. Quæ verò interea fiunt preces, pro ipsis fiunt cathecumenis, fidelibus, & ipso pontifice. Intelligentes enim sancti patres, qualem esse necesse sit animam & manum eius qui contrectaturus est immaculatissimum corpus Christi dei nostri, quodque puriorem solaribus radiis hanc esse oporteat, preces pro eorum venia per humanitatē futura, exposuerunt. Miserere nostri deus pro tua magna misericordia) magna misericordia, filius dei & sermo, quem in mundum misit propitiationem pater.

Quòd pontifex obsignet populum, id subindicat futurum aduentum Christi, anno sexies millesimo quingentesimo fore, ex supputatione digitorum significante sexies millesimum quingentesimum. Id & Hippolytus è Roma, & sanctus Cyrillus dicunt in libris suis de Antichristo, anno sexies millesimo quingentesimo futurum aduentum fore, itémque Chrysostomus.

Quia misericors & hominum amans deus existis. Quotquot estis cathecumeni, procedite.) Cathecumeni exeunt, vt diuino baptismate, & Christi mysteriis non initiati, de quibus ait dominus, Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & cætera. Orate cathecumeni dominum) Non initiati, non baptisati, quique confeßione vestra notati estis. Non initiati, imperiti, qui nondum participes estis diuinorum mysteriorum: non baptisati, qui nondum per baptismatis lauachrum illuminati estis: qui confeßi estis & adhuc obnoxij mulctæ estis. Acclamat, vt omnes orent remißionem consequi, & viuificam hostiam per baptismum. Fideles oremus pro cathecumenis.) Illuminati & malorum immemores, quique sustinetis & iniuriam condonare, & iniuriis benefacere, orate pro cathecumenis, id est pro nondum initiatis, vt ait Apostolus, Vos potentes impotentium onera portate. Instituat eos verbo veritatis) Doceat eos de seruatore qui propter nos humanitatem assumpsit. Reuelet eis euangelium iustitiæ) Patefaciat eis manifestationem bonarum rerum. Vniat eos cum sancta sua catholica & apostolica ecclesia) Impertiat eis viuificum sacrificium. Cathecumeni, capita vestra domino inclinate) Nondum initiati, sensus & corda pura domino tribuite. Vt & ipsi nobiscum glorificent venerabile, &c) Vt illuminati, & remißionem, & mysticum ac viuum sacrificium adepti, glorificent nobiscum, te patrem & filium, & spiritum sanctum, nunc & semper & in secula seculorum. Corporale significat sindonem, in qua inuolutum est corpus Christi de cruce descensum, & in monumento positum. Quotquot estis cathecumeni, accedite) Omnis non illuminatus & non initiatus, quique etiamnum est in reatu, festinate, venite, illuminemini, & ad animarū nutricem mensam propius accedite: & eū qui sacrificatur, puris cordibus & animis aspicite: vtque fideles sitis, & non amplius cathecumini, etiam atque etiam intentè, & cum tranquilla mente oremus,

Cherubicus hymnus demonstrat per diaconorum prægreßionem, & flabellorum, siue seraphicarum adumbrationum inspectionem, ingressum sanctorum & iustorum omnium vnà ingredientium coram cherubicis potestatibus, & angelicis exercitibus, & choris incorporeis & immaterialibus ordinibus inuisibiliter præcurrentibus, & hymnos dicentibus, & comitantibus quasi satellitibus ante magnum regem Christū, qui proficiscitur ad mysticum sacrificium, & manibus materialibus gestatur, cum quibus & spiritus sanctus vna procedit à fronte, ad incruentum sacrificium, & rationabile mysterium, quæ spiritaliter contemplamur in igne & incenso, & vapore fumi fragrantis: igne quidem, deitatem: vapore fumi fragrantis, significante aduentum eius, accedente inuisibiliter & odore bono nos exhilarante, per mysticam & animalis sacrificij ac incruenti latriam, & holocaustum. quinetiam intelligentes potestates, & cœtus angelorum videntes per crucem & mortē Christi, consummatam eius dispensationem, tandémque & de morte victoriam habitam, & ad inferos descensionem, & triduanam resurrectionem, & eius ascensionem, nobiscum clamant inuisibiliter, Alleluia. Intuitæ intelligentes potestates cherubicum veniens cum preciosis muneribus, id est corpus domini Iesu à caluaria ad sepulchrum vsque, nobiscum inuisibiliter adclamant hymnum, Alleluia. Iezeciel enim ait, Et Cherubim stabant à dextris domus dum ingrederetur vir indutus stola: & nubes repleuit aulam interiorem, & discessit gloria domini à cherubim in subdialem partem domus, & impleuit domum nubes, & aula repleta est splendore gloriæ domini.

Est autem sancta mensa ad imitationem sepulturæ Christi, qua Ioseph sublato corpore de cruce inuoluit sindone munda, & aromatibus ac vnguentis ipsum vnctum exportauit cum Nicodemo, & sepeliuit ipsum in monumento nouo exciso ex petra: quod est exemplum sancti monumenti illius, altare & catathesium, in quo positum est sanctum & omnino immaculatum

tum corpus, quæ est sancta mensa. ALITER. Sacrorũ translatio à prothesi, corporis inquam, dominici, & sanguinis, & eorum ingressus ad altare, & Cherubicũ, à Bethania in Hierusalem domini introitum significat. Tunc enim plurima turba, & Hebræorum pueri, tanquam regi & victori mortis, hymnum referebãt sensibiliter: spiritaliter autem angeli cum Cherubim, tersanctum reddiderunt hymnum, & sceptra ac rhomphæas, vt insignia regis proferunt diaconi. Flabella verò typum referunt Cherubim. Cherubicus verò hymnus qui canitur, admonet omnes hinc & ad finem vsque sacri officij attentiorem mentem habere, omissa inferius omni de rebus ad vitam tuendam pertinentibus solicitudine, quasi regem magnum per communionem excepturos.

Sacrorum ad sanctam mensam depositio, imitationem habet, tum temporis, cœnaculi crucifixi: paulo post autem eadem & crucis elationem: & ad finem, sepulturam designat & resurrectionem, & illinc assumptionem. vt enim ne singulatim rerum gestarum eo tempore, tempus, occasionem & locum distinguentes sancti patres, adhuc etiam translationum aliarum & altarium plurium indigerent, indéque culpabile ecclesiæ mysterium existeret: quidnam considerant aut faciunt? profectò quod valde magnificum & præclarum, ac in eis inhabitante spiritu dignum: opificij diuini modum imitati sunt, quatenus homini licet imitari conficeréque diuina: atque vt cælum, quod supra sacram mensam eminet, laquearium conficiunt: vt totam terram præfiniunt, quod à quatuor columnis eius quod ciborium appellatur, conclusum aut circumscriptum sacrum solum: in quo completur & propheticus sermo, inquiens, Operatus est salutem in medio terræ deus. nisi enim ita fuisset actum, quomodo qui in India perficiunt magnum hoc mysterium, & credunt id illud corpus Christi & dei esse nostri crucifixum & sepultum & resurgens, hanc salutem in medio terræ dicerent dominum operari? quomodo item fideles Veneticas insulas inhabitantes, idem sensu conseruato reciperent, omnibus confitentibus, in Hierosolymis circunscriptum esse ipsissimum medium terræ? Aut omnino, quia confinium cæli & terræ cum sancta mensa sit, & item in medio cælestis orbis subsistat, & medium columnarum, quæ sunt in circuitu flabella, statione teneat locum, vbi ea cunque fuerit, in medio terræ salutem fieri demonstrat: vbi sunt & omnia quæ passionis sunt Christus subit, proditionem, iudicationem, quæ ante crucem, quæque post crucem acta sunt. Merito igitur sancti patres ita perfici hæc & offerri censuerunt.

Discus est vice manuum Ioseph & Nicodemi, qui funus Christo celebrarunt.

Discus est autem, vbi Christus infertur, si velis interpretari, cæli orbis, indicans in parua circumscriptione, spiritalem solem, Christum in pane visum. Poculum est vice vasis illius quod excepit sanguinem emissum ab immaculato latere puncto, & preciosos à manibus & pedibus defluxus. Poculum rursum est ad exemplum crateræ illius, quã describit propriè sapientia, siue filius dei. Miscuit enim sanguinem suum, vice vini illius, & proposuit in sancta mensa, inquiens omnibus, Bibite sanguinem meum, pro vino mixto vobis, in remissionem peccatorum, & in vitam æternam. Christus dei sapientia & virtus, suam carnem ædificauit, ex virum non experta casta matre & virgine, præpurgata anima & corpore: & verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & subfulcit columnas septem, sancti spiritus septenarium donũ, quemadmodum ait Esaias, Requiescẽt enim super eum septem spiritus, id est septem operationes spiritus: in quibus sunt aduersa vitiis totidem. Mactauit suas victimas, prophetas suo tempore interfectos ab infidelibus pro veritate: & clamantes, Propter te morti addicimur tota die: reputati sumus quasi oues occisionis. & miscuit in cratera suum vinum, in super sancta virgine suam deitatem vniens carni, vt vinum merũ. Seruator enim genitus est ex ea inconfusè & absque coniuge, deus & homo, & parauit suam mensam, agnitionem sanctæ trinitatis quæ annunciatur: misitque suos seruos in vniuersum mundum, qui inuitarent omnes gentes ad agnitionem dei: & mentis indigis ait, nondum adeptis sancti spiritus gratiam, Venite, comedite meum panem, & bibite vinum quod miscui vobis, diuinam suam carnem, & sanctum suum sanguinem dedit nobis Christus edendum & bibendum in remissionem peccatorum. Disci velamentum est, pro sudario quod super eius facie erat, circuntegens ipsam in sepulchro. Velum, id est aer, est & dicitur vice lapidis quo munitum est à Ioseph monumentum, quẽ obsignauit Pilati custodia. Ecce crucifixus est Christus: sepulta est vita: munitum est sepulchrum: obsignatus est lapis.

Ablutio manuum est vice eius qui se lauit, & Innocens sum, vociferatus est. Nobis autem sacerdotibus innuit, vt puri conscientia mente & cogitatione, quæ sunt manus animarũ nostrarum, cum timore & mansuetudine & clementia omni accedamus ad sanctam mensam.

Lauabo inter innocentes, manus meas) Addam puris sacerdotibus duas naturas meas. animæ manus dico, lauabo in castitate. Et circundabo altare tuum domine) quia semper deo assidere debemus, nusquam ad libidinosum peccatum irruentes. Et aliter. Seruiam tibi, & communicabo cum fideli populo. Vt audiã ego vocem laudis tuæ) Acclamationem innuit horum verborum, Tua de tuis tibi offerentes. Et aliter. Lectionem inquit hanc, Audiã & docebo eum populũ) scilicet fidelem. Et audientes custodiemus simul mandata tua. Et narrabo omnia mirabilia tua) mysticas inquam orationes humanitatis. Domine dilexi decorem domus tuæ) Ecclesiam ait. decor autem ecclesiæ, fidelis populus est. Et locũ tabernaculi gloriæ tuæ) Castum vterũ virginis dicit, in qua habitauit. Et aliter. Locum vbi tu inhabitas.

Supplicatione expleta pro illatis preciosis donis, ait, Sanctissimæ, immaculatæ, superbenedictæ dominæ nostræ deiparæ, præcursorisque, & apostolorũ & omnium sanctorum vitam & facta recordati, ita & nos alter cum altero contendentes, vitã nostram vniuersam cum sanctis commendemus deo cũ operibus bonis. Per miserationes vnigeniti tui filij, cum quo benedictus es in secula seculorũ) per compassionem filij tui quam habet in nos, benedicimus te cũ sancto spiritu, nunc & semper & in secula.

Pax omnibus) concordiam, & dilectionem, & eundẽ sensum, inter nos inuicem coalescentes, domini imitationem ipsi arripiamus, pacem suam relinquentis, & dantis, et exclamantis, Quietam mentẽ omnes habeamus. Et spiritui tuo) id est tecum vnionem indiuiduã da nobis, vt spiritu pacem agitãtes, inseparabiles simus. Diligamus inuicẽ) Animos alij aliorum coniunctione copulantes, & ita poterimus audacter et liberè frui proposita mensa.

Hoc, Diligamus alij alios, significat et charitatem in omnes, et in seipsos inuicem, et dei futuram concordiam, et sensuum transitum, et spiritalium patefactionẽ, et sancti symboli fidei, et nouam diuini mysterij successionem.

Ianuas, Ianuas: in sapientia) cogitationes mentium nostrarum tollamus à terrenis operibus & cogitationibus. Attendamus in sapientia) id est in filio & verbo dei, & ad intelligentiã diuini symboli à sanctis & diuinis patribus expositi, in dei ecclesia attendamus, id est Credo in vnum deum, patrem omnipotentem: ac volentes & intelligentes cum quieta mente accedamus ad mysticum & viuificum sacrificium. Diuinũ orthodoxæ fidei symbolum dici constitutum est, vt ex hoc notum sit omnibus, vnum è sancta trinitate, vnigenitum filium & sermonem patris initio carentis, ipsum propter nostrã salutem hominẽ factum fuisse, carne sumpta ex sancta virgine, crucifixum, & sepultum, & resurgentẽ. non diuino iussu his ritibus vtimur? vt non verbis duntaxat, sed & operibus in perpetuum salutẽ nostram operantes, ita appareamus viuentes simul & conuersantes. Ac passiones quidem carne hunc sustinuisse confitemur: impatibilem verò huius conseruatam fuisse deitatem. Simúlque vt pronunciatione diuini huius symboli, & ignorantes & imperiti audientes hoc dum canitur, perpetuò recognoscant pronunciata mysterij fidei, & multorum auribus non abdita.

Ianuarum autẽ clausio, & supra has veli explicatio, vt in Monasteriis assolent, & per eum qui aer appellatur, diuinorum velatio, noctẽ vt arbitror indicat illam, in qua discipuli proditio processit, & ad Caipham abductio, & ad Annam præsentatio, & falsa testimonia, & proculdubio illusiones, & colaphorum incussiones, & alia quæ tum temporis contigerunt. quam ob rem enim aliã hoc velamen aer nominatum est, quàm omnino quia occultatus ab eo tenebrosus aer dictæ noctis designatur? quando & Petrus ille magnus pro foribus stans, intercessione agniti pontifici discipuli intro ductus est in aulam: vbi & ancilla ei occurrens, & qui ad pyram adstabant intuentes, carpebant, & reliqua consecuta sunt ei, quæ ad præcipitiũ abnegationis perpulerunt: quòd qui lapsum admiserit, minor euadat quàm vt aut efferatur, aut glorietur.

Sublato autem aere, & velo contracto, ianuísque apertis, tempus matutinum illud innuitur, quando abduxerunt ipsum, & tradiderũt Pontio Pilato præsidi. Accedit sacerdos, conuersatur cum angelicis potestatibus, non iam quasi in terreno loco stans, sed in cælesti altari, coram formidabili altari, throno dei, assistens, contemplatur magnum & inenarrabile & inuestigabile Christi mysterium. Gratias agit, concionatur de resurrectione, obsignat fidẽ sanctæ trinitatis: accedit albis vestitus angelus, lapidem è monumento manu reuoluens, specie sua præ se id ferens, clamans voce tremula, & per diaconum prædicans triduanam resuscitationẽ: & extollens velum, clamat diaconus, inquiens, Stemus honestè, stemus cum timore.) Ecce primus dies. Attendamus sanctæ oblationi) Ecce dies secũdus. In pace offerẽtes) Ecce tertius dies.

Et aliter. Stemus honestè) Mentes nostras firmas habentes, audiamus mysticum & viuificum

cum sacrificium. Populus conclamat resurrectionis Christi gratiam: Oleum pacis, sacrificium laudis. Sacerdos verò docet populum quam per gratiam Christi didicit trinam dei cognitionem: Gratia sanctæ & consubstantialis trinitatis, sit cum omnibus vobis. Alij sacerdotes proferunt ita, Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas dei patris, & communicatio sancti spiritus sit cum omnibus vobis. Populus vnà confitetur & orat inquiens: Et cum spiritu tuo, vt supertus diximus, ita agamus. Vel ita, Si egerimus vt superius diximus, gratia & charitas domini cum omnibus nobis. ipse enim propter charitatem suam quã in nobis demonstrauit, filium suum in mundũ misit, & corpus eius propitiationem in viuum sacrificiũ dedit, & sanguinem eius in salutare poculum lætitiæ. Deinde omnes sacerdos attollens in supernam illam Hierusalem supercælestẽ, in qua stantes erant pedes nostri ante lapsum, in atriis tuis Hierusalem, in montem sanctum eius, clamat, Aspicite. Sursum habeamus corda. Omnes testificantur, inquientes, Habemus ad dominum. Sacerdos. Gratias agamus domino. Videte, Sursum habeamus corda) à terrenis tollamus sensus ad supernum regẽ, & eius placita faciamus.

Gratias agamus domino) nimirum qui dedit semetipsum precium redẽptionis pro nobis, & mutuum. Gratiis agendis hymnum domino reddamus) Et vice salutis qua seruati sumus, gratiarum actionem & gloriam reddamus domino, Dignum & iustum est, ait populus.

Velum dicitur propter Apostolum inquientem, Habemus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Iesu Christi, quam renouauit nobis viam salutis nouam & viuentẽ per velamen, id est carnem suam, magnus sacerdos in domo dei.

Deinde progreditur sacerdos cum fiducia ad thronum gratiæ dei cum veraci corde, in plenitudine fidei, conferens sermones cum deo, & solus cum eo colloquens, non iam per nubem, vt aliquando Moses in tabernaculo testimonij, sed reuelata facie, gloriam domini oculis cernens: ac sanctæ trinitatis diuina cognitione & fide initiatur, & solus cum solo deo mysteria loquitur, mysteria annuncians in mysteriis, occulta ante secula, & à generationibus: nunc autem manifestata nobis per apparitionem filij dei, quæ nobis enarrauit vnigenitus filius qui erat in sinu patris. Vt enim locutus est deus Mosi inuisibiliter, & Moses deo: ita & sacerdos in medio duorum Cherubim stans in propitiatorio, & se concutiens propter intolerabilem & inspectabilem deitatis gloriam & splendorem, cælestem cultum mente cernit, & initiatur vitæ principis & singularis principatus supersubstantialis trinitatis, diuina illuminatione & doctrina de deo & patre, quòd principio carens & ingenitus sit: de filio & sermone, quòd vnà principio carens & consubstantialis & genitus sit: de spiritu sancto, quòd coæternus sit & connaturalis & procedens: quæ est trinitas sancta, secundum hypostaseon, id est personarum inconfusam æternitatem, secundum naturæ vnitatem: indiuiduam & inseparabilem vnam deitatem, & regnum, & gloriam. Atque mente cernit, & elata voce canit seraphicarũ potestatum ter sanctam gloriæ celebrationem, ipsorum Cherubim obumbrantium, & Seraphim vociferantiũ: cum quibus clamat: Victoriæ hymnum canentia. Deinde populus vice cherubicarum virtutum & quadriformium animalium clamant: Sanctus, sanctus, sanctus dominus sabaoth; id est ter sanctus & vnus deus virtutum. osanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine domini. Osanna est, Serua obsecro, vt ait, qui venit in nomine domini. Victoriæ hymnũ canentia) Canentia ad aquilã: vociferantia ad bouem: clamantia ad leonem: & dicentia ad hominem pertinet. Rationalis homo pro cherubicis virtutibus, & quadriformia animalia vociferantur, Sanctus, Sanctus, Sanctus, hoc est, ter sanctus & vnus deus virtutum, Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Sabaoth. Sanctus quidem pater, vt præcipuè sanctus & beatus: illa enim & sola beata natura dei. Sanctus filius, vt sermo dei & character hypostaseos eius, & effigies exemplaris, & sigillum immobile, & incõmutabilis natura: filius quidem, vt ex ipso, scilicet ex patre natus impatibiliter, vt verbũ ex mente: & quòd per ipsum facta sunt omnia visibiliáque & inuisibilia iuxta apostolum. Sermone enim domini cæli firmati sunt, vt ait Dauid. Sanctus verò & spiritus sanctus, qui à patre procedit, & in filio requiescit, & sanctificat omnia, & opera perficit, non perficitur: sanctificat, non sanctificatur. Quemadmodum enim sol fons & causa radij & illuminationis est, ac per radium nobis illuminatio communicatur, & ipsa est quæ nobis prælucet, et à nobis participatur, ita sane et deus et pater, fons est et causa filij et sancti spiritus: spiritus à patre procedens per filium communicatur et manifestatur. verbum autem Dominus vnit patrem, et filium, et spiritum sanctum, et vnum esse tria demonstrat. Ter Sanctus Seraphim dicunt, complentes gloriæ celebrationem his verbis, Dominus Sabaoth, singularem naturã ponentia sanctam trinitatem, vt et ab ipsis nobis testificatum sit sanctis Seraphim: nos verò fideles patrẽ et filium et sanctũ spiritum, in quo perfectionẽ

*accepimus, cum angelis sentientes tacitè theologamur. id enim est personis trinitas, vnus ver*
*deus, cui psallimus:* Benedictus qui venit in nomine domini, Osanna in excelsis. Hebraicum
*ita habet,* Osanna adonaï, asdina, baruch, pater, abbath, semna, denian, Sabaoth. Deus vir
*tutum qui voluit mactari vitulum saginatum, et vitulus qui semper mactatur volens, et sem-*
*per viuens: qui perficit opus mystici sacrificij, et semper aduentans per baptismum, sanctus es*
*rex seculorum, et omnis sanctimoniæ dator. Tu es omnium potens, qui sancta obsignas dona*
*sanctus verò et vnigenitus tuus filius, dominus noster Iesus Christus, ante secula ex te ineffa-*
*biliter genitus: sanctus autem et spiritus tuus, totus sanctus, scrutans omnia, etiam profunda*
*tua qui deus es, per quem vniuersa quæ in cælo et super terram sunt, sanctificantur.*

Flabella verò & diaconi indicant Seraphim sex alis prædita, & multioculorum Cheru-
*bim effigiem. Etenim supermundanorum & supercælestium supermundanam & spiritalem*
*ordinationem pariter & terrena imitantur. Etenim quadriformia animalia, mutuis cantibus*
*alia ab aliis vicißim excipientia clamant: primum quidem animal similitudine referens leo-*
*nem, clamat, Sanctus: secundum, similitudinem vituli referens, clamat, Sanctus: tertium simi-*
*le aquilæ, clamat, Sanctus: quartum ad similitudinem hominis, clamat, Dominus Sabaoth,*
*tribus sanctificationibus, in vnam deitatem coëuntibus, dominationem & potestatem: quem-*
*admodum propheta contemplatus est, Vidit dominum super throno sedentem excelso & elato,*
*& seraphicas potestates in circuitu adstantes: & de voce impleta est domus fumo. Illud au-*
*tem, Missum est vnum è seraphim, & habebat carbonem in manu, quem forcipe ab altari ex-*
*cepit, significat sacerdotem tenentem spiritalem carbonem, Christum, forcipe manus suæ in san-*
*cto altari, & sanctificantem & purgantem accipientes & participantes. Etenim in cælestia*
*& non manufacta & sancta ingressus est Christus, & apparuit in gloria, coram dei & pa-*
*tris facie, pro nobis factus pontifex magnus, penetrans cælos: & habemus ipsum aduocatum*
*apud patrem, & propitiationem pro peccatis nostris, vtpote cuius sanctũ & coæternum cor-*
*pus nobis coagmentatum sit, & preciosus sanguis, redemptionis precium pro nobis omnibus,*
*quemadmodum ipse ait, Pater sanctifica eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint & ipsi*
*sanctificati in veritate: ac volo vt vbi ego sum, & hi sint, & contemplentur gloriam meam,*
*quòd dilexerim eos, vt dilexisti me ante constitutionem mundi.*

*Ipse dixit, Hoc est corpus meum, hic sanguis meus. Ipse & apostolis iußit, & per illos vni-*
*uersæ ecclesiæ, hoc facere: Hoc enim, ait, facite in meam commemorationẽ. Non sanè id facere*
*iußisset, nisi vim inditurus fuisset, vt id facere liceret, & quæ est deprecatio? spiritus sanctus,*
*virtus ex alto quæ apostolos armauit, vt eis à domino dictum fuerat, Sedete in vrbe Hierusa-*
*lem donec induti sitis virtute ex alto. Hoc opus est eius ingressus. non enim semel egressus, in*
*posterum dereliquit nos, sed est nobiscum, & erit in perpetuum in æuum. hoc per manum sa-*
*cerdotum & linguam mysteria conficit: ac non sanctum spiritum duntaxat misit dominus no-*
*ster, vt maneat nobiscum, sed & ipse pollicitus est se mansurum nobiscum, vsque ad consum-*
*mationem seculi. At paracletus inconspicuus adest, quia ipse corpus non gestauit: dominus ve-*
*rò & conspicitur, & tangi se patitur per tremenda & sacra mysteria, vt qui nostram naturam*
*acceperit, eámque gestet in secula. Hæc sacerdotij virtus, hic sacerdos. non enim semel cum se*
*obtulerit & sacrificarit, sacerdotio defunctus est, sed hoc perpetuo, nostrum ministerij munus*
*obit, quo & aduocatus est pro nobis apud deum per æuum. Propterea nulla fidelibus de san-*
*ctificatione donorum dubitatio superest, neque de aliis sacramentis, an secundum propositum*
*& preces sacerdotum compleantur.*

*Quid verò, quispiam dicat, de diuinis flabellis quæ tenent manus diaconorum, & ab ipsis*
*versantur de repente, quasi in animi consternatione, vsque ad precationem dominicam? Ac te-*
*merarium quidem est adhuc de his pronunciare: verùm quia semel ad præceptum mãdati ob-*
*secundauimus, age de his quoque dicamus: quæ deus dederit, siquidem & aliis probentur, deo*
*gratia habeatur. non enim omnino vituperabilia, certò scio, neque extra dogmata fidei ortho-*
*doxæ Christianorum. Dicimus igitur, sem per & inseparabiliter adfuisse virtutes cælestes vnà*
*cum domino Christo: præcipuè verò in illa nocte qua traditus est. Eæ igitur cernentes abdu-*
*ctionem ad Caipham, præsentationem coram eo, falsa testimonia, alaparum incußiones, in*
*eum excreationes, colaphorum inflictiones, ludibrium illud Iudæorum, militum coccineum in-*
*dumentum, spineam coronam, cum risu coniunctas geniculationes, aliáque omnia, tum quæ di-*
*uinorum euangeliorum historia enarrat, tum quæ propter multitudinem fortasse prætermissa*
*sunt, in singulis quæ fiebant admirantes & stupentes longanimitatis & patientiæ magnitudi-*
*nem, velantes suas facies se auertebant, & iterum domini maiestatem reuerentes, ad se redi-*
*bant.*

bant. id autem faciebant vsque ad eius exaltationem in cruce. Extremũ enim corporis paßionũ, & dedecoris quod inde prouenit, crux fuit, quæ gloria potius est, ac non dedecus. hæc enim est initium operationum & virtutum diuinarum. hinc enim ille mundanus terremotus, trium horarum spacio tenebræ super vniuersam terram, atque veli & petrarum disruptio, & monumentorum patefactio: præterea etiam mortuorum resurrectio, & quæcunque in inferos descendens seruator egit. & propterea in ipso crucifixionis loco cùm esset Christus, stuporis & admirationis species diuinæ illæ potestates deposuerunt: hincque omnia conuicia quæ crucem antecesserunt, & illusorij honores quos exhibuerunt, & irrisiones, patientem magis tetigisse, vt etiam spiritales illas diuinas potestates, perspicuum fit.

Deinde rursus sacerdos recitat deo & patri, assumptionis humanitatis mysteria, ex sancta virgine & deipara ineffabilem generationem, conuersationem & habitationem in mundo, crucem, mortem, eius ad inferos descensionem, vinctorum illic liberationem, triduanam & sanctam à mortuis resurrectionem, assumptionem in cælos, à dextris dei & patris sessionem, secundum & futurum eius gloriosum reditum ad nos. Et rursum institutione sacrorum eruditus appellat deum ingenitum, hoc est deum & patrem, & vterum ante luciferum, & ante secula filium gignentem, vt ait, Ex vtero ante luciferum genui te. Et rursus obsecrat vt conficiatur mysterium filij eius, & fiat siue transmutetur ipse panis & vinum in corpus & sanguinem Christi & dei, & impleatur hoc, Ego hodie genui te. Vnde & sanctus spiritus, beneplacito patris, & voluntate filij inuisibiliter præsens, submonstrat diuinam confectionem, & manu sacerdotis obsignat, & transmutat, & conficit proposita sancta dona in corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi, qui dixit, Pro ipsis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati. Quo pacto? Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Vnde nos qui diuinorum mysteriorum sumus inspectores, & participes immortalis vitæ, & diuinæ naturæ communione donati, glorificabimus magnum & incomprehensibile & inuestigabile mysterium dispensationis filij dei: glorificantésque clamamus, Tua de tuis tibi offerentes.) De tuo corpore & sanguine, qui dixisti, Hoc facite in meam commemorationem: quod est, quæ nobis per sanctos tuos apostolos tradidisti, ea tibi offerimus propter nostram salutem. Populus: Te hymnis celebramus deum & patrem: tibi benedicimus filio & verbo: tibi gratias agimus sancto spiritui, domine deus noster, trinitas in vnitate, & vnitas in trinitate, consubstantiali & indiuiduæ admirabiliter habens & distinctionem personarum, & vnionem vnius naturæ deitatis. Etenim quòd pronus sacerdos diuinam mystagogiam faciat, id declarat eum inuisibiliter cum solo deo colloqui. Vnde & diuinam lucis apparitionem cernit, & splendore gloriæ conspectus filij dei, exhilarescit, & se subtrahit timore & verecundia, quemadmodum Moyses, cum deum vidit in monte ignis specie, perterrefactus recessit & occultauit faciem suam. reuerebatur enim percipere à gloria dei faciem.

Præcipuè sanctißimæ, immaculatæ) Oportet vt nos dominam huius vniuersi laudemus, et illam angeli salutationem enunciemus.

Tua ex tuis) Deus secundum imaginem suam formauit nos, quod est secundum sanctitatem, iustitiam, & potestatem. nos verò transgreßi, serui facti sumus Pharao, asperi heri. veniẽs itaque dominus noster Iesus Christus, redemit nos proprio sanguine, & induit nos nouo homine, ac preciosum suum corpus & sanguinem nobis dedit, inquiens, Hoc facite in mei recordationem. nos enim memores eius mandati, antitypa, id est configuralia offerimus, inquientes. Tua ex tuis tibi, &c.) spiritaliter, quæ est primigenia nostra dignitas, nimirum quod ex imagine dei habemus, iustitiam, sanctitatem, potestatem. Iustitiam, vt neque patiamur, neque faciamus iniuriam: sanctitatem, vt iniuriam inferentes perpetiamur, & iniuriis cedamus, vel potius iis bene faciamus. omnibus autem in rebus is hymnis celebrandus est, vt deus & dominus huius vniuersitatis.

Signare autem diuina dona, vt aduentu & gloriosa sancti spiritus præsentia, transmutet & faciat, ex pane quidẽ, ipsum preciosum corpus domini nostri Iesu Christi: ex eo autem quod est in calice, ipsum preciosum sanguinem magni dei & seruatoris nostri Iesu Christi, qui effusus est pro mundi vita & salute: & vt participantibus ex eo fiat in remißionem peccatorum & vitam æternam.

Hoc autem, Præcipuè) id est, O mater casta, lumine carentes typos & præteritas vmbras verbi contemplantes, quæque in eis sunt, occlusis foribus, lumen veritatis refulgens glorificamus: tuo verò vtero digne benedicimus. Et pro vniuersorum cogitationibus. Populus, Et omnium & vniuersorum. Fit autem & memoria apud deum pro defunctis, & spiri-

*tibus & omni carnĩ, vt qui mortuorum et viuentium potestatem habeat, et dominetur super.*
*cælestibus et terrenis et subterraneis, et vt rege Christo præsente, et vt sancto spiritu omnes ad.*
*hortante, viuentes atque vita functos, ad illic moram trahendam, et requiescendam in domi.*
*ni et dei nostri Iesu Christi occursum, vt congregentur et præoccupent faciem eius, et audiant*
*voces laudis eius: vt omnium qui erant in inferis animarum solutis vinculis per mortem et re.*
*surrectionem Christi. Ipse enim excitatus est à mortuis, primitiæ et primogenitus factus dor-*
*mientium, et omnibus viam omnibus aperiens resurrectionis à mortuis, et ad immortalem et*
*beatam vitam refocillans eos qui in spe resurrectionis eius dormierunt. Conuocantur autem*
*omnes eorum animæ cum prophetis et apostolis et martyribus, vt vnà ingrediantur et recum.*
*bant cum Abraam et Isaac et Iacob in mystica mensa regni Christi.*

*Et da nobis ore vno & corde vno glorificare & laudare honorificentissimum) Supplica.*
*mus tibi ore vno vnóque corde, vt te verbis glorificemus, ita sanè & vnũ spiritum, & vnum*
*animum da nobis, vt coniuncti charitatis vinculo, possimus cum fiducia frui proposita mensa,*
*& fiamus diuinis mysteriis digni, glorificantes & hymnis celebrantes preciosissimum & ma-*
*gnificum nomen tuum ô pater & fili & spiritus sancte.*

*Et sint misericordiæ magni dei & seruatoris nostri Iesu Christi cum omnibus nobis) Si sic*
*faciamus vt superius diximus, miserationes dei erunt cum omnibus nobis. Misericordia*
*dei, Christus est, qui propter nos, & quia nostri miserebatur, à magno deo missus est, qui &*
*tradidit semetipsum propter nos & misertus est. qui enim in vnitatem fidei, & communica-*
*tionẽ sancti spiritus coiuimus, per dispensationem eius qui pro nobis mortuus est & excitatus,*
*& sedet in dextera patris, non amplius super terram sumus, sed in throno dei regi adsistimus*
*in cælis, vbi Christus est, quemadmodum ait ipse, Pater iuste sanctifica eos in nomine tuo quos*
*dedisti mihi, vt vbi ego sum & illi sint mecum, & contemplentur gloriam quam dedisti mihi,*
*quòd dilexerim eos, quemadmodum me dilexisti. omnes verò qui adoptionem in filium acce-*
*pimus, & cohæredes Christi per gratiam eius, ac non ex operibus nostris facti sumus, habe-*
*mus spiritum filij dei in cordibus nostris: cuius gratiam & efficaciam contemplans sacerdos*
*clamat & ait, Abba pater cælestis, dignare nos cum fiducia indemnabiliter audere inuocare te*
*& dicere. Pater noster qui es in cælis) Verè pater omnium noster est, & omnes (vt vocis ety*
*mon indicat) seruat: atsi quidem voluntatem eius facimus, pater est noster: sin minus, cuius*
*opus facimus, is est pater. Et aliter. Patrem eum vocas, vt filius vitam tuam institue,*
*vt gratus sis & placeas ipsi tuo patri, qui in cælis est. quis enim sub mundi principe rerúm-*
*que inferiorum potente militans, & in filium ei adoptatus malis operibus, audeat aucto-*
*rem omnium bonorum ac dominum dicere patrem? certum est quòd hic non dominum sa-*
*baoth vocat patrem, sed aduersum, cuius etiam opera facit. ALITER. Patrem di-*
*cis, ô homo deum? præclare dicis. est enim pater & auctor omnium nostri: sed festina ea obire*
*munia quæ tuo placeant patri: si verò mala opera facis, perspicuum est te diabolum inuocare*
*patrem. ipse enim est præses malorum. quocirca festina hunc effugere, & bono patri tuo &*
*procreatori tuo placere. Sanctificetur nomen tuum) Nomen est filij dei, quod inuocatum est*
*super nos. Christus enim est, & nos Christiani, & nomen eius nobis inuocatur. Profectò verè*
*sanctus est deus: at nos supplicamus, vt nomen suum in nobis sanctificet, quod est opus no-*
*strum, rationi consentaneum, sanctum & omnino purum faciat corpus nostrum, vt irreprehen*
*sum inueniatur in die defensionis. ecquid enim? non est sanctus deus? profectò sanctus est: sed*
*hoc ais, In me sanctificetur nomen tuum, vt videant homines bona opera mea, & te glorificent*
*patrem & factorem meum. Adueniat regnum tuum) Regnum dei, spiritus est sanctus, quem-*
*admodum ait, Regnum cælorum intra vos est. Spiritui enim sancto cum patre & filio regnare*
*conuenit, qui sanctificat & illuminat spiritales & angelicas potestates, & cælestes exercitus,*
*& omnem hominem venientem in mundum, & credentem in nomine patris & filij & san-*
*cti spiritus. Verè rex terræ, visibilium & inuisibilium: sed quemadmodum cum ciuitas circun*
*data est ab hostibus, requirit à rege auxilium: ita & nos circundati ab aduersariis potestati-*
*bus & peccatis, quærimus ab eo auxilium, vt nos liberet. Regem appellas, fias vt spiritalis mi*
*les, vt placeas regi qui te in suum exercitum allegit. Ecquidnam? non est rex deus? quod ad-*
*uenturum est regnum eius? certe rex omnium est: at quemadmodum ciuitas circundata, vt su-*
*pra dictum. Et alio modo. Cùm propheta dicat, Regnauit deus super gentes, præterito tem*
*pore vt futuro vsus, huius rei gratia vociferamur, Adueniat regnum tuum super nos qui gen-*
*tes sumus, domine. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra) Voluntas dei & patris, di-*
*spensatio filij eius est. Angeli in cælo in concordia & consensu sunt: ita quærimus & nos in cha*

vitate non ficta viuere. quodcunque vis ac requiris, in cælo fit: in terra vt id fiat, facias oportet.

Sensus est eiusmodi, Domine quemadmodum fit in cælo voluntas tua, & sunt omnes angeli in pace, nec est in eis qui pellat & qui pellatur: neque qui affligat & qui affligatur, neque qui bellum aggrediatur & qui sustineat, sed omnes in profunda tranquillitate glorificant te: ita & in nobis hominibus qui sumus in terra, fiat voluntas tua, vt omnes gentes vno ore & vno corde glorificemus te factorem & nostrum patrem omnium.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie) Panis quotidianus est Christus, qui est, et ante fuit, et manet in secula, qui se voluntariò præbet edendũ, et sine consumptione permanet semper, et dat vitam mundo: quem per baptismum accepimus vt semper accipiamus, habeamus, et comedamus, petimus, naturæ nostræ conuenientẽ, vt nos eo simus contenti: vt ne pauperes facti et fame tabescentes ad blasphemias conuertamur: aut supra modũ abundantes efferamur, et à te proiiciamur. Panem si quæras, aurum ne cumules: sin tibi deest et priuaris, id admoneat te vt quæras. Quotidianum panem accipere postulamus: quia homines omnes ex duabus maturis coalescunt, animo, inquam, et corpore: et propterea vtrique congruum panem petimus. nam panis quidem corporis, hic panis est quo vescimur: panis verò animi, sermo dei est. Aperi, fili os tuum, et frequentius dei sis memor, quàm respires. Et dimitte nobis debita nostra) Condona nobis peccata nostra dicentium, quemadmodum nos delinquentibus in nos: ac si ità facimus, ipse quoque nobis sic faciet. Remiserísne cuipiã quære, an fratrem ab inimicitiis solueris, apud te considera. quòd si adhuc mali accepti recordaris, quam remissionem quæris? Eorum quæ dicimus hic sensus est, Domine dimitte nobis debita nostra, id est peccata nostra & lapsus, sicut & nos dimittimus omnibus peccantibus & delinquentibus in nos, fratribus nostris, tam liberis quàm seruis, & omnibus subditis nobis. Hæc dicens, ô homo, an ita facias tecum reputa: quia terribile est incidere in manus viuentis: ac te corrigens & emendans, conuerte ad deum & patrem & factorem tuum. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo) Nos domine omni supplicio sumus digni: & supplicamus tibi ne tradas nos in manus inimicissimorum hominum, & malorũ dæmonum, ad puniendos nos: sed tu domine nos erudiendo castiga: quia perinde est tua clementia, atque castigatio tua. Quid enim? inducítne hominem in tentationem? absit. non enim deus est auctor malorum sed obsecramus eum, vt per multas suas miserationes, ne sinat nos in tentationem incidisse. Domine si quærat nos Satanas, vt cribret, quemadmodum frumentum, vt etiam sanctos tuos apostolos quæsiuit, sed non obtinuit: aut vt veterem illum Iob: ne des ei potestatem in nos. quinetiam si malignus homo velit nos tentare, ne tradas nos eius voluntati, sed tege nos tegumento alarum tuarum,

Quoniam tuum est regnum & virtus & gloria, patris & filij & sancti spiritus) In tua est enim potestate & dominio miseratio & salus, mors & vita, ô pater & fili & spiritus sancte, nunc & semper & in secula. Domine quoniam tuum est regnum, ne finas nos formidare aliud regnum, neque potentiam, neque dominationem. Et tametsi supplicijs digni sumus propter peccata nostra, tu nos quo modo vis punito, & ne tradas nos in manus hominum. incidemus autem in manus tuas: quia talis est magnitudo tua, qualis & misericordia tua pater omnipotens. Pax omnibus) Quietam & sedatam mentem habeamus omnes. Capita nostra) Cogitationes nostras cũ operibus deo acceptas feramus, deprecantes vt proposita munera in bonum complanet, in vsum & commodum cuiusque.

Gratias autem agimus) De gratia & miserationibus & benignitate filij tui in homines. Deinde clamat sacerdos omnibus inquiens: Quia ego homo sum affectionibus vestri similis, non cognoscens cuiusque vestrum opera, videte igitur vt sancti fiatis, quia Christus cuius participes estis futuri, sanctus deus est, & in sanctis recumbit.

Sancta sanctis) Immemoribus malorũ & mundis corde dignatur Deus largiri sancta. Sanctos ait eos qui à praua conscientia mundati sunt, & in sancta fide syncere credunt. Populus fatetur & ait: Vnus sanctus, vnus dominus Iesus Christus in gloriam dei patris. Amen. Vnus sanctus & deus, immunis ab omni peccato, dominus noster Iesus Christus, cum deo patre & sancto spiritu, ipsi gloria in secula. Deum ait, qui in trinitate celebratur.

Contegi autem alis talem ac talem thesin, ad exemplum est illius visionis quæ dei speculatoribus apparuit. Aut potius quòd per ternariam illam sanctificationem obscurè numerus personarum innuitur, & item vnitas, potestatis & naturæ & deitatis, per vnitatẽ dominationis. glorificatur etiam his tribus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, trium personarum sanctitas: rursum cernitur, & dominatio vnius naturæ celebratur, nimirum deus in trinitate, tribus seraphicis sanctificationibus glorificatur, in vnam coeuntibus & conuenientibus dominationem naturæ

& deitatis. Sanctificationum autẽ ternio tres personas innuit, & dominatio unitas est unius potestatis & naturæ. Itaque contegi alarum compage, deitatis id quod ignotum est & occultũ subindicat. Cum enim ait, Sancta sanctis, hoc ait de mũdis ac sanctis. Sanctorum, non peccatorum, sed bonorum operum copia est & abundantia.

Elatio autẽ in altum venerandi corporis, repræsentat crucis elationem, & mortem in ea, & ipsam resurrectionem. Quòd autem subleuet sacerdos diuinum panem, & signum crucis ter faciat in aere cum venerabili & viuifico pane, id innuit: Vna quidem crux quæ sursum designatur, sanctificatum supernum ætherem monstrat: media, aerem: infima quæ fit supra & prope discum, terram, in qua viuificum illud Christi corpus sepultũ est. Quòd autem in calice faciat crucis signum, idque tertium, sanctificatum indicat quatuor finibus terminatum vniuersum mundum à diuina per carnem assumptam dispensatione, & ab ipsa viuifica passione Christi dei. Et Christus Iesus cruci affixus ad occidentẽ erat intuens. eius verò venerandarum manuum, altera in meridiem, altera in septentrionem erat extensa. Hoc autem, Ad orientem, prout ait quidam, Deus à Thaman veniet: quia ipse est spiritalis sol iustitiæ, & oriens nomen eius: & propterea quòd illinc expectamus æternam requiem & resurrectionem. Quòd autem tres fiant cruces, id sanctæ trinitatis mysterium significat. passus est filius & sermo dei, beneplacito coæterni dei & patris, cooperatione sancti spiritus: ob id & populus clamat, Vnus sanctus, vnus dominus Iesus Christus: sanctum & dominum inquiens eum qui in trinitate celebratur & glorificatur deus. Nam sanctificationum trina repetitio tres personas significat & innuit. Quòd autem subleuet diuinum panem solũ, id est, quia ipse est rex dominus, & ipse est caput, vt apostolus ait: alia autem veneranda dona, membra sunt Christi, & corpus Christi, id est venerandi corporis Christi dei. Ille enim est solus, in quo figuratur et monstratur diuina et viuifica passio eius qui est immolatus pro mundi vita: quandoquidem ipse solus diuinus panis mactatur, et vt agnus immolatur: alia verò diuina dona, lancea non dissecantur in modum crucis lancea adhibita, sed vt membra et partes corporis particulatim diuiduntur et mactantur. Igitur panis ille diuinus sanctificatione participans, communicat et aliis preciosis donis: similiter et calici communicat sanctificationem et gratiam.

Post eleuationem, statim partitio diuini corporis fit: verum enim verò tametsi in partes diuiditur, indiuiduus & insectus, in singulis partibus sectorum totus agnoscitur & inuenitur. Tametsi enim corruptionem subiit morte, at eius caro in inferis non sensit corruptionem.

Tunc & adfertur aqua calidißima in exiguo lebete, ac ex ea temperant quæ diuinæ mensæ proposita sunt, siue crateræ, siue pocula sint, vt veluti ex viuente procedat diuino latere vtraque calore referta: ita sane & aqua calidißima tempore communionis iniecta, absolutum typum mysterii explet percipientium, mamma poculi, quasi ipso vitam porrigente latere cõtrectato. hæc etiam ianua quædam est ad trinitatis fidem & cognitionem percipiendã: idque magnus ille Ioannes ac theologus repræsentat, tribus his testibus salutaris fidei & virtutis sermonem confirmans. Tres, inquit, sunt testificantes, spiritus, aqua, sanguis, & tres in vnum coeunt.

Communio autem significat etiam illam ante paßionem in mystica cœna communicationẽ panis & noui poculi, de quo ait saluator noster, Nõ amplius ex eo bibo, donec bibero illud nouum in regno patris mei: quod & bibit post resurrectionem, extraneo quodam simul & nouo modo. non enim quasi tum temporis corpus opus haberet alimenti: sed pertinet ad plene docendos apostolos de resurrectione.

Quòd autem sacerdos solum diuinum panem percipiat, absque sanguine, deinde postea diuinum sanguinem sumat, nihil aliud indicat quàm sanguinolentum adhuc esse diuinum agnũ à diuina & vitali mactatione, & spiritali sacrificio, quã sacerdos fecerat mystice in prothesi.

Oratio post communionem sacerdotis, Præparasti in conspectu meo mensam ex aduerso omnium tribulantium me) supercælestem mensam inquit, mysterium immortale Mensam, immaculatum corpus. Vnxisti oleo caput meum) Oleum dicit gratiæ sancti spiritus. Et calix tuus inebrians me quàm præclarus) immortalem potum dicit diuini sanguinis. ET ALITER. Calicem preciosum sanguinem. Et illud, Vt inhabitẽ ego in domo domini in longitudinem dierum, in supernam Hierusalem.) Domus, cælum & Ecclesia & Sion.

Cum timore dei & fide & charitate, accedite ad Christum deum & regem nostrum) Igitur habeamus oportet timorem & charitatem tempore mysteriorum, & cũ fide accedamus: quia etsi innumeras scilicet iustificationes habeamus, & iniuriarum memores simus, nihil ex eis salutis, inquit, percipere poterimus: propterea & timorem habeamus oportet & charitatẽ tempore sacrificiorum. nihil enim iustitiæ aliud memorauit quàm charitatem. ipse enim vni-

genitus

genitus filius & sermo dei, pacis conciliator omni credenti est, ac preciosum suum corpus & sanguinem cum timore & fide largitus est.

Recti qui accepimus partem intaminatorum, immortalium) Id est recta cogitatione cum operibus stemus qui percepimus, & ei meritas gratias agamus, quòd dignatus sit vt nos gustauerimus diuina mysteria, & in regeneratione cum eo habitemus. Amen. ALITER. Nos qui communione viuifici sacrificij, aut substantiæ lætamur, à terrenis ad cœlestia mentem dirigamus, & dignè ei placeamus, quia dignatus est nos participes facere preciosi corporis & sanguinis sui, quorum vtinam omnes nos compotes fiamus, & in regeneratione visione dei, per eius gratiam: quid verò est regeneratio? secundò generari & renouari. Sublatio autem relictarum sanctarum reliquiarum, assumptionem domini ac dei nostri subinnuit.

Suffitus autem postremus, gratiam etiam sancti spiritus per inspirationem datam apostolis post resurrectionem.

Quæ autem habetur à pulpiti tergo oratio, quasi sigillum est omnium petitionum, ac summa ordine repetita, congruens primis & preciosioribus epilogis. Cum enim vniuersa diuina res sacra primariò pro offerentibus, & propter quos accesserunt, perficiatur: deinde & pro omnibus percipientibus, idcirco sub finem, seriem adiungit cuiusque congruam orationis quæ pronunciata sit. quoniam enim nonnulli eorum qui foris astant, in dubitationem sæpe veniunt, ambigentes & inquientes, Quisnam est scopus & sensus ac vis orationum quas minutatim sacris præfectus sacerdos recitauit? & desiderant notitiam quandam etiam earum assequi, ideo diuini patres, quasi omnium summam per preces postulatorum indicem in hac incluserunt, docentes eos qui requirunt, quasi ex fimbria vestimentum.

Virginalis autem corporis typus, participatio benedictionis & oblationis frangitur quidem vt panis, distribuitur autem vt ineffabilis benedictionis communicatio communicantibus cum fide: vt oblatio autem offerentibus, plena sanctimoniæ ex sanctis vicissim offertur. & ita à communicatione immaculati corporis, qui ex ea natus est Christus deus noster, & preciosi sanguinis sanctificatio & adoptio filiorum fidelibus repræsentatur. Spiritalis autem benedictio, & alia bonorum suppeditatio, Christianorum ex distributione panis corporis deiparæ fit & creditur. Ac ille dei spectator Moses olim sanguinibus hircorum ac vitulorum aspergebat populum, inquiens, Hic sanguis testamenti domini est. Christus verò & deus proprium corpus & proprium sanguinem effudit, & miscuit noui testamenti calicem inquiens, Hoc est corpus meum, & sanguis meus, quod frangitur, & qui effunditur in remissionem peccatorum: itaque quotiescunque editis panem & calicem hunc bibitis, mortem & resurrectionem meam confitemini: & ita in posterum cum tali cogitatione, vescimur pane, & poculum bibimus, vt carnem & sanguinem filij dei, mortem & resurrectionem confitentes domini nostri Iesu Christi, cui gloria in secula. AMEN.

# GENTIAN. HERVETVS

## AD LECTOREM.



AD Græcorum sacrificandi ritum facilius intelligendū, sciendum est, studiose Lector, Græcorū ædē sacrā in tres partes esse diuisam: quarū prima, in quā licet solis Sacerdotibus ingredi, ab eis βῆμα & ἱερατεῖον dicitur. βῆμα autem, hoc est suggestus, meo quidem iudicio ideo appellatur, quòd gradibus ad eam ascendatur. ἱερατεῖον verò, id est sacrarium, quòd sit locus sacrificio deputatus. Ab ea autem ædis parte, populus partim tabulato, in quo duo sunt hostia, vnum ad dexteram, alterum ad sinistram: partim velis in vtroque hostio interiectis, interim dum Sacerdos sacrificat, arcetur. Porrò autem in ea duo sunt altaria, quorum maius in medio illius partis ædis situm est: alterum minus, ad sinistram maioris. Minus πρόθεσις, id est propositio dicitur, ideo fortaßè quòd panis qui est à Sacerdote consecrandus, in eo primò ponitur. In eo autem Sacerdos quæ sunt ad sacrificandum necessaria præparat. Maius verò, sacra mensa, sancta sanctorum, cathedra, locus Dei, requies, propitiatorium, magni sacrificij officina, Christi monumentum, & eius gloriæ tabernaculum dicitur. In eo autem corpus & sanguis Domini consecratur. Secunda pars vocatur ναὸς, id est templum, in quo est vniuersus congregatus populus. In ima eius parte sunt mulieres, ita à viris separatæ, vt à nullo videri poßint,

cum sint in tabulato superiori, ex quo sacra quæ fiunt per clatros prospiciunt. In superiori autem parte, quæ est sacrario proxima, est chorus Cantorum, quos ipsi Psaltas vocant, ab vtroque templi latere collocatus. Ii partim psalmos & hymnos memoriter canunt, partim Diacono ad orandum inuitanti respondent. partim Lectore, quem κανονάρχην, seu ἀναγνώστην vocant, preeunte, & singula verba alta voce dictante, antiphonas, & huiusmodi alia cantica altrinsecus concinunt, vt est τριθέκτη, & quod vocant Τροπάριον. τριθέκτη autem, id est tertius & sextus, ideo dicitur, quòd cum nouem cantica dicantur in officio diurno, in missa, seu sacrificio, duo ex illis nouem inseruntur, nempe tertium & sextum. Τροπάριον autem est versus quidam, in quo vt plurimum agitur memoria Sancti illius, cuius dies festus celebratur. Τροπάριον autem propterea dicitur, quòd cum ante ipsum canatur hymnus, qui εἱρμὸς id est series ab eis dicitur, quòd reliquorum quæ canuntur consequentia & series ab eo ducatur, versus tum demum numerosus & concinnus futurus est, si vox cantorum eò referatur ac conuertatur, vt ait Symeon Thessalonicensis Archiepiscopus, in suo libello de templo, sacerdotibus, & mystagogia.

Sunt præterea duo psalmi, quos chorus canit alternis, nempe 102, BENEDIC anima mea Dominũ, & omnia quæ intra me sunt. & psalmus 145, scilicet, LAVDA anima mea Dominum. Ii autem ab eis appellantur Typica. Canitur etiam hymnus qui Tersanctus dicitur. Is autem est, SANCTVS Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miserere nostri. Canitur etiam Contacium, qui est versus tropario non admodum dissimilis. Et hactenus de secunda parte ædis. Tertia autem pars πρόναος id est templi Vestibulum dicitur. In eo autem loco consistunt qui publicam agunt pœnitentiam. Hoc quoque sciendũ est, quòd antequam panis à Sacerdote consecratur, is à Sacerdote, à Diacono & frequentibus Clericis stipato capite sublatus, à sacrario per medium templum circunfertur, & eò rursus refertur. Est autem panis satis crassus, vtpote fermentatus, figura propemodum sphærica: in cuius medio est imago Christi crucifixi, quam vocant σφραγίδα τῆς προσφορᾶς, hoc est sigillum oblationis. Ea verò imago ex toto pane excisa à Sacerdote, postea cõsecratur. Quod reliquum est autem panis non consecrati, peracto sacro à Sacerdote frustatim populo diuiditur, iis scilicet qui corpori & sanguini Domini non communicauerint. Vocatur autem ἀντίδωρον, quasi dicas, quod est loco doni, seu Eucharistiæ. Id est autem quod ab aliquibus vocatur εὐλογία. in Gallia autem, Anglia & Hispania panis benedictus dicitur. Quoniam autem post consecrationem pane in calicem immisso, sæpe accidit vt eo fracto & madefacto post sumptionem aliquid fragmẽtorum & micarum in calice aut patina remaneat, quod ab eis apellatur μαργαρίτης, summa cura & diligentia adhibetur à Sacerdote, vt nihil omnino in eis relinquatur, sed vniuersum consumatur.

Sciendum est præterea vestes eorum Sacerdotales cum nostrorum Sacerdotum vestibus omnino conuenire, nisi quòd eorum Sacerdotes habent amplius quàm nostri id quod vocant ἐπιγονάτιον, quasi dicas subgeniale. Est autem figuræ rhomboidis, & à zona ad lumbos vsque propendet. Significat autem, vt vult is quem dixi Archiepiscopus Thessalonicensis, victoriam aduersus mortem, & nostræ naturæ incorruptionem, & magnam Seruatoris potentiam aduersus tyrannidem Dæmonis. Est itaque non dissimile rhomphææ: & dum eo se induit Sacerdos, dicit: ACCINGERE gladio tuo super femur tuum, ô valide. Diaconus autem amplius quàm apud nos, habet horarium, quod quidem est stola Diaconi. Id autẽ alas quodammodo significat. Cum enim Diaconus in sacrificio Angelicum sit ordinem sortitus, sicut in eo Sacerdos ipsius Christi vicem gerit, ea ratione exprimitur mentis Angelicæ velocitas. Vnde etiam in horario scriptum est, SANCTVS, Sanctus, Sanctus, quod ministratorium ordinem Angelorum significat. Hæc te Lector admonuisse operæprecium visum est, vt Chrysostomi & Basilij Missæ ritus à te facilius intelligatur.

# NICOLAI CABASILÆ DE DIVINO ALTARIS SACRIFICIO,

## GENTIANO HERVETO AVRELIO INTERP.

### CLAVDIO GVICEO VIGILANTISSIMO MIRApicensis Ecclesiæ Episcopo, Gentianus Heruetus S. D.



MArcellus Ceruinus sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Cōcilio legatus, quàm sit cùm literarum omnium, tum earum in primis ex quibus Christiana de rebus hodie controuersis veritas, vel erui, vel omnibus aperiè ostendi possit, non ignoras Præsul optime. Quod quidem eum impulit, vt cum de altaris sacrificio, cui plurimum detractum esse voluerunt, imo quod planè negarunt nostris temporibus exorti Lutherani, in Concilio tractandum esset, & omnes qui de eo scripserunt auctores diligentissimè conquireret, inter cæteros, Nicolai Cabasilæ viri in primis pij, & eruditi in sacrificium interpretationem Venetijs exscribendam curauit. Quam cum mihi legendam dedisset, eámque ego dignissimam iudicassem quæ in manus omniū Christianorum veniret, ne aliena lingua quempiam ab eius intelligentia arceret, eam ex Græca in linguam Latinam verti. Porrò autem quoniam is Græcum, hoc est, sancti Chrysostomi, sanctiq; Basilij, sacrificandi ritum interpretatur, operæprecium me facturum esse duxi, si, vt omnia facilius intelligerentur, Græcorum sacrificij ordinationem in linguam etiam Latinam traducerē. Ex quibus omnibus hoc vel maximum ad orthodoxos, & fideles Christianos emolumentum rediturum non dubito, nempe quòd ipsa luce clarius videbunt Græcos de vero Christi corpore & sanguine, de panis & vini in eorum substantiam conuersione, de expiatorio altaris sacrificio, & peccatorum in eo remissione, de sanctorū quæ in eo agitur memoria, & de ea quæ tam generaliter quàm priuatim fit pro viuis & defunctis oratione, cū orthodoxis sentire, & nihil esse causæ quòd Lutherani Græcos, tanquam suis partibus fauentes, in sua velint castra vel inuitos pertrahere. Cum ea autem in lucem edere statuissem, & cuinā ea potissimū dedicarem, quærerem, tu mihi vnus in primis occurristi, cui, cū propter insigne tuæ Christianæ pietatis studium, & hanc perniciosissimam de Christiana republica tolli discordiam, & disciplinam ecclesiasticam pristino suo nitori, & dignitati restitui magnopere desideres, quæcunque eo pertineant, ea sint omnino pergrata necesse est. Cum autem omnes ingenij sui neruos Lutherani contenderint, vt hanc præcipuam nostræ religionis partem funditus euerterent, eam confirmari, stabiliri ac sustentari, cùm omnium Christianorum, tum maximè Episcoporum, quibus pascendi gregis, & ne quid respublica Christiana detrimenti accipiat, cauendi cura demandata est, maximè interest. Accepit quidem Christi ecclesia hoc miserrimo & turbulentissimo tempore maximum detrimentum: quod ita demum vtcunque resarcietur, si propulsatis eiectisque, quod nunc in Concilio agitur, erroribus, Episcopi sui officij memores diligēter prospiciant, ne lupus ouina pelle tectus, id est, in speciem quidem probabilibus, sed falsissimis & perniciosissimis opinionibus instructus, ouili insidians, id circunueniat & opprimat. Ad id autem efficiendum nihil est accommodatius & efficacius, quàm si omnium Christianarum gentium, in decretis ad fidem & religionem pertinentibus, vnicus & perpetuus proferatur consensus. Ex quibus cū Græcam, siue linguæ amplitudo, siue regionum spectetur magnitudo, inter maximas esse constet, eam in ijs quæ sint Christianæ religionis præcipua nobiscum facere, cùm in nonnullis alioqui, sed paucis & leuibus dissideat, non poterit populo non magnopere prodesse. Quicquid autem est huius operis, quod mea opera Latinum effectum est, id ab eo profectum esse intelliges, qui summū suum in te officium & obseruantiam, omni qua potest ratione tibi cognitam & toti orbi testatam esse cupit, & vt id æqui boni consulas etiam atq; etiam petit.

Vale Præsul optime.

Venetijs. Cal. Aprilis. M. D. XLVIII.

## AD LECTOREM ADMONITIO.



X plurimis de religione nostra controuersiis, quæ à cacodæmone capitali humani generis hoste, nostris temporibus excitatæ sunt, nulla maior, nulla Christianæ reipub. perniciosior esse videtur ea quæ in ijs quæ ad sanctißimi Domini nostri corporis & sanguinis mysterium pertinet, à receptißima omnium fidelium persuasione aliena inuehit. Cum enim præcipua atque adeò tota salutis nostræ spes, quæ vt est certissima, ita neminem confundit, ex hoc pendeat, si & Christi corpori, tanquam membra capiti, vniamur: et vberrimum qui ex eius paßione percipitur, fructũ decerpamus, qui alterutri aliquid detrahit, aut de eo malè sentit, vt summo crimini est affinis, ita etiam exitio sit proximus, nisi resipiscat, neceße est. Atque eorũ quidem, qui hodiernis temporibus à perpetuo & vnico ecclesiæ consensu se seiunxerunt, de hac re sententia in duas se partes diuiserunt. OEcolampadiani enim seu Zuingliani, aut, vt vulgo per antiphrasin dicuntur, Sacramentarij, quòd sacramentorum dignitati quantum possunt detrahunt, idque sibi laudi esse ducunt: ij, inquam, OEcolampadiani veterem Berengarij errorem renouantes, in Eucharistiæ sacramento esse tantum corporis & sanguinis signum, non autẽ verũ corpus & sanguinem asserunt: quòd autem fiat vllum in altari sacrificium, nullo modo admittunt. Lutherani autem, cùm in hoc cum orthodoxis sentiant, quòd in hoc sacramento sit verum corpus & sanguis Christi, & quòd in altari peragatur sacrificium, in eo rursus toto, vt aiũt, cælo aberrant, quòd panem & vinum simul cum Christi corpore remanere existimant, cùm constet post consecrationem, quæ panem & vinum in corpus & sanguinem conuertit, symbolorum seu signorum solas remanere species, conuersa iam & mutata eorum substantia. Deinde quòd solum laudis & gratiarum actionis sacrificium esse putant, cùm præter laudem & gratiarum actionem, sit etiam verum & expiatorium pro peccatis sacrificium. Accedit ijs, quòd nec sanctorum in eo memoriã fieri, nec pro defunctis orari, nec pro vllo homine priuatim preces in eo fundi velint, & ideo sanctißimum Missæ canonem, tanquam rem impiã & execrandam detestantur, quòd offerendi vocabulo vtatur, sanctorũ in eo memoria agatur, pro defunctis & separatim pro viuis aliquibus, & ijs maximè pro quibus orari iubet Paulus, oretur. Ad eorum autem confutandos errores, alij alia, vt vnicuique eorum magis expedire visum est, via ingreßi sunt: alij enim productis sacræ scripturæ testimonijs: alijs efficacibus argumẽtis solidisque rationibus: alij antiquißimorum quoque & probatißimorum doctorum auctoritatibus aduersus eos decertarunt. Maxima certè laude omnes digni sunt, qui nostris aduersarijs (quidni enim aduersarios vocem, qui cuiusmodicunque sint eorum protestationes, sua certè relicta statione nobiscum amplius non stant?) qui nostris, inquam, aduersarijs ostenderunt, se non modo eis vlla ex parte cedere, sed veritate & ratione esse eis etiam longè superiores. Mihi ad eorum reprimendam & frangendam audaciam, summamque peruicaciam penitus infirmandam, & ad populum in fide & officio continendum, nihil melius & validius esse videtur, quàm si vnicum & perpetuum omnium gentium, quæ Christo nomen dederunt, hac in re consensum nobiscum facere ostendatur. Quanuis enim ad probandum quid in ijs quæ de fide & religione exoriuntur controuersijs sequendum sit, iure debeat sufficere sanctæ Romanæ ecclesiæ auctoritas, quæ quod à diuo Petro Apostolorum principe Christique vicario est traditum, perpetua tot pontificum serie vno & eodem tenore semper seruauit, & à qua, tanquam à sanctißimo totius orbis oraculo, de rebus ad fidem pertinentibus, si vlla exorta esset dubitatio, responsa in hodiernum vsque diem data sunt: tamen quoniam harum sectarum auctores, sua tum demum decreta firma ac stabilia fore existimantes, si petram suo loco mouissent, eam frustra quidẽ, sed magno tamen conatu labefactare conati sunt, externa etiam euocare auxilia non fuerit alienũ. non quòd nõ satis per se poßit petra super petram, hoc est supra Christũ fundata, omnium hæreticorum quantiscunque copijs, duce Christo, qui eam fundauit, resistere: sed vt cùm vniuerso mundo planum factum fuerit, omnes qui Christi fidem vbique terrarum susceperunt, rectè nobiscum sentire, & hæretici suæ vecordiæ morbum agnoscentes, donec adhuc est medicinæ locus, ad optimum medicum, nempe Christum, reuertantur, & qui primo quidem aspectu probabilibus, sed non minus venenatis quàm futilibus, si rectè ponderentur, eorum argumentis adducti, aliquam eis fidem habuerunt, eos deinceps, vt deploratos & immedicabili peste affectos fugiant & auersentur: reliqui verò, hoc accepto veluti antidoto, si eos omnino vitare non poßint, quod esset consultißimum, de sua certè salute & cautiores & securiores

securiores euadãt. Hoc itaq; primum statuendũ est, quòd id quod ab omnibus gentibus & nationibus quæ Christũ colunt, vbiq; citra vllũ discrimen seruatur, id nõ poßit non esse à Christo & apostolis traditũ: quod autẽ à Christo et apostolis traditũ est, id nõ esse cũ omni veneratione amplectendũ, suscipiendũ & retinendum, est planè impium & nefariũ dicere. Cũ itaq; apud omnes Christianas nationes, Sacerdotes diuinum sacrũ facientes, post consecrationẽ, per quam verum effici Christi corpus & sanguinem, exterioribus tantũ signis remanentibus, apud omnes in confesso est, statim dicant, Tui mandati memores (nempe eius quod dixit Christus, Hoc facite in mei recordationem) tibi offerimus, omnino necesse est hoc esse sacrificium à Christo institutum, & per manus ab Apostolis ad nostra vsque tempora traditum. Porrò autem cum id & in remißionem peccatorum vbique offeratur, & in eo de sanctis memoria agatur, & pro viuis ac defunctis tam generaliter quàm pro aliquibus nominatim oretur, non est dubium altaris sacrificium, quod Hebræo vocabulo ab Apostolis relicto Missam dicimus, & peccata expiare, & tam viuis quàm defunctis, & tam generaliter quàm priuatim aliquibus applicari ac prodesse, idque, velint nolint Lutherani, à tempore Apostolorum ad nos vsque peruenisse. Quo fit vt canon Missæ, quem ij tantopere execrantur, apud alios omnes fideles iure sacrosanctus, vt est, dicatur & habeatur. Rogentur omnes omnium nationum sacerdotes, & omnes vno ore respondebunt, hæc quæ dixi omnia ita habere. Rogentur Æthiopes, qui Chaldæa lingua vtuntur, & ij hæc ita esse non inficiabuntur. Rogentur Armenij, qui licet fortasse in nonnullis alijs aliquando à nobis dissenserint, in his quidem certè nobiscum semper optimè conuenere. Rogentur Græci; & ij ea ita esse affirmabunt, vt interim mirẽtur vllos esse omnino Christianos qui audeant aliter sentire. Quanquam quid eos rogare opus est, cum Venetijs haud ita pridem sit editum eorum ἱερατικόν seu sacerdotale Græcum, ex quo poterit eorum sacrificandi ritum quilibet studiosus cognoscere. Sed quoniam pulcherrimam eorum linguam non cuiuis scire datum est, hanc reip. Christianæ nauaui operam, vt diui Chrysostomi, & diui Basilij λειτουργίαν, hoc est sacrificij seu missæ ritum & ordinationem, ex eorum sacerdotali in linguam Latinam verterem. Quæ vt facilius intelligeretur, Nicolai quoque Cabasilæ, viri in primis pij, & docti compendiosam in eam interpretationem illi adiunxi: & vt qui sublimium rerum contemplatione delectantur, per hoc sanctum, & mysticum sacrificiũ, ad ea quæ sunt ab omni materia remota, mente versanda deducantur, & Deo, quoad eius fieri poterit, vniantur, Maximi monachi optimi Dionysij interpretis, de Mystagogia ecclesiastica, hoc est, de introductione ad sacra ecclesiæ mysteria, opusculum adieci. Ex quibus omnibus non dubito studiose lector, quin si ea diligenter perlegeris, non leuem sis ex eis vtilitatem accepturus: nẽpe, vt non omni vento doctrinæ circumactus, à Cynosura, hoc est à Christi ecclesia, optima fidelium duce, oculos minimè dimoueas. Hoc autem onus eo lubentius suscepi, quòd cùm Lutherani, vt suam causam vulgo probabiliorem & plausibiliorem efficiant, Græcos pro se facere iactitent, & eo nomine pulcherrimam linguam apud bonos quidem, sed plus satis simplices, in inuidiã vocent: ij his quidẽ certè perlectis facile intelligent, quàm longè latéque Græci ab eis dissentiant, & pro parte orthodoxorum vnà cũ cæteris Christianis nationibus faciant. Es tamen admonendus studiose lector, vt XXIX, & XXX, caput libri Cabasilæ cautè legas, ex quo imprudens fortasse quispiam posset facile colligere aliud sentire Græcos de verbis consecrationis quàm Latina ecclesia sentiat, cum res tamen aliter habeat. Vt autem ad ea legenda tutius accedas, operæprecium fortasse fuerit te paucis præmunire. Primum itaq; oportet intelligas Græcos Latinorum sententiam sæpenumero non satis intellexisse: vbi autem fuisset exposita, facile consensisse. Quod vsuuenit in concilio Florentino, cum de spiritus sancti proceßione ageretur. Cum enim existimarent Latinos duo principia statuere, & ideo ab eis dissentirent, vbi rẽ aliter habere intellexerunt, facile acquieuere. Similiter hic noster Cabasila videtur existimasse Latinos credere se per solam verborum Christi narrationem Christi corpus & sanguinẽ conficere, cum tamen nemo Latinorum dubitet non sufficere formam consecrationis, nisi adsit cõsecrantis sacerdotis institutum ac propositum. Quo accedente, forma verborũ in persona Christi prolata, dicitur esse efficax, & habere conuertendi potestatem, virtute ipsius Christi summi sacerdotis. Itidem etiam falso arbitratur Latinos contemnere orationes quæ fiunt à sacerdote super dona, post verba Christi recitata, & ex ritu consecrandi pronunciata. Id enim falsum esse liquet, ex canone ecclesiæ Latinæ, in quo ponuntur tres ad minus orationes post consecrationem super diuina munera. Prima est: SVPER quæ propitio &c. Secunda: Vnde & memores. Tertia: Hæc omnia semper bona creas, sanctificas, & benedicis. Quanquam secundam quoque orationem aliter interpretantur quàm Latini intelligant, vt statim dicetur.

Quod autem videtur esse in hac opinione, vt existimet post verba consecrationis adhuc rema-
nere panis & vini substantiã, nec nisi post sacerdotis orationes & benedictiones fieri conuer-
sionem, id esse falsum vel ex ipsius Basilij & Chrysostomi sacrificandi ritu facile potest perspi-
ci. Nam post verba consecrationis super panem & vinum prolata, sacerdos & diaconus et
vtique ostendunt vt adorentur. Quinimo ipsi etiam ad mensam ter adorant: quod non fieret,
nisi re ipsa facta esset conuersio. Deinde si per benedictiones & orationes, quæ consequuntur
& dicantur à sacerdote, fieret conuersio, non fieret conuersio panis ante conuersionem vini.
Nam post vtriusque benedictionem & orationem, tandem dicit sacerdos, Mutans spiritu tuo
sancto. & tamen si vera sunt quæ dicit, per orationem sacerdotis fieret mutatio tã panis quàm
vini in suo ordine. Eius itaque expositio nec secum satis constaret, neque Christi ritui & ordi-
ni consecratio Græcorum, si ea esset eiusmodi, responderet, qui prius suum corpus verè confecit,
deinde sanguinem, non vtraque simul. Dicendum est ergo Latinorum & Græcorũ esse mẽtem,
vt eodem veritatẽ consecrationis referant, alioqui sermo Christi non esset opifex, vt ait Chry-
sostomus. quem quidem adducit Cabasila tanquam suæ opinioni contrarium, nec eius tamen
auctoritati in diluendo satisfacit. Nam quod attinet ad vim verborum, Crescite & multi-
plicamini, quibus vt alia addantur, requiritur, nempe matrimonium, alimentum, & cætera:
id in causa est, quod ea ad futurum referrentur, & quæ requirebantur includerent. Hîc autẽ,
Christus veram & re ipsa subsistentem sui corporis præsentiam significauit, & ita vt ipse fecit
fieri iußit, vt sermo eius esset efficax & operans eo ipso momento quo dicitur, non quando
iam transiit, vt videtur sentire Cabasila. Nec obstat quod in missa Chrysostomi & Basilij,
post prolationem verborum Christi, dicit sacerdos: Fiat corpus, Fiat sanguis &c. Non est enim
intelligendum tunc primum fieri conuersionem, quæ iam pauloantè facta est: sed vt ostendatur
quòd licet sermo Christi in voce transierit, tamen remanet effectus potentiæ eius sub symbolis
seu speciebus panis & vini. Similis modus loquendi inuenitur Marci quinto, de muliere pro-
fluuio sanguinis laborante, quæ posteaquam à Christo sanata est fide, & eius fimbriæ vestimẽ-
ti contactu, à Christo nihilominus audiit, Esto sana à plaga tua, quæ tamen iam sanata fuerat.
Sed hoc dicere voluit Christus, vt licet tactus fimbriæ transiisset, effectus tamen inde consecu-
tus perseueraret. Cum itaque Cabasila interpretatur locum illum Canonis ecclesiæ Latinæ ita
vt suo sensui congruat, id dißidet ab intelligentia Latinorum qui id aliter accipiunt. Nam per-
ferri, siue sursum ferri, interpretatur mutari. Latini autem intelligunt offerri per manus sancti
angeli, Christi scilicet, qui est magni consilij angelus, Vel etiam angeli, seu angelorum, qui ora-
tiones & vota nostra Deo offerunt, vt legitur in libro Thobiæ, & Act. x. Postremo quòd dicit
post sermonem Christi, dona altaris, panem & vinum adhuc vocari, id quidem verum est. de
vino autem non itidem inuenio. calix enim vocatur in missa Chrysostomi, & Basilij. Quan-
uis autem id verum esset, nihil tamen obstaret, cum res in quas aliæ conuertuntur soleant reti-
nere nomina earum quæ conuersæ sunt: vt patet in virga Mosis, & aqua in vinum conuersa,
Ioan. 2. Imo verò etiam Latini interdum vocant vinum sanguinem Christi. Ait enim sanctus
Cyprianus lib. II. Ep. III. Quomodo autem creaturæ de creatura vitis nouum vinum cum
Christo in regno patris bibemus, si in sacrificio Dei patris vinũ nõ offerimus? Et Hieronymus.
q. II. ad Hedibiam: Panis qui de cælo descendit, corpus est Domini, & vinum quod discipu-
lis dedit, sanguis illius est noui testamenti. Hæc autem quæ à nobis dicta sunt, confirmat conci-
lium Florentinum, quod Armeniis dedit formam & ritum consecrandi ecclesiæ Latinæ, quem
quidem receperunt, ipsis Græcis nequaquam reclamantibus. Hæc visum est admonere, ne quis
existimaret Græcorum sensum, quod ad corporis & sanguinis domini confectionem attinet, à
Latinorum sententia, hoc est ab ecclesiæ veritate, dißidere. Quod posset fortasse quispiam ex
his duobus capitibus colligere. Cætera autem quæ sunt in hoc libello, sunt eiusmodi, vt nihil
magis pium nec magis Christianum dici aut fingi poßit. Ea itaque studiose lector fac legas, &
æqui boni consulas, & si quid spiritalis commodi ex eis percipias, Deo omnis boni auctori &
datori age gratias.

Vale, & fruere.

NICOLAI

# NICOLAI CABASILAE VIRI IN PRIMIS PII, ET LONGE DOCTISSIMI

Compendiosa interpretatio in diuinum Sacrificium.

## QVID SIBI VVLT IN SVMMA VNIVERSVM sacrificium. Caput primum.



Anctæ sacrorum mysteriorum celebrationis opus & effectus quidem est, donorum in diuinum corpus & sanguinem mutatio. Finis autem, vt fideles per ipsa sanctificentur, peccatorum remissione, & regni cælorum hæreditate simul accepta. Præparatio autem & quæ ad opus, & hunc finem conferunt, preces, psalmodiæ, & sacrarum literarum lectiones, & vt semel dicam, omnia quæ ante donorum sanctificationem, & post sanctificationem sacrosancte dicuntur, & fiunt. Etsi enim gratis dat nobis Deus sancta omnia, & ad ipsum nihil afferimus, sed sunt reuera gratiæ, vt tamen ad ea recipienda & conseruanda apti simus, à nobis necessario postulat. nec sanctificationem impertierit, nisi iis qui ita affecti & dispositi fuerint. Ita baptizat, ita vngit, ita conuiuio excipit, & sacra mensa impertit. Hoc autem significauit in parabola seminis. Exiit enim, inquit, qui seminat, non vt terram aret, sed vt seminet, nempe quod oratio & omnis præparatio à nobis afferri debet. Quoniam ergo ad asequenda sacramenta ita erat necessarium, vt qui recte haberent, & parati essent accederent, oportebat hoc inesse in sancti sacrificij constitutione, & inest. Hanc enim nobis habent potestatem preces, psalmi, & si quid sacrosancte in ea fit & dicitur. Nos enim sanctificant & disponunt, partim quidem vt recte suscipiamus, partim autem vt sanctificationem conseruemus & retinere pergamus. Dupliciter autem sanctificant. Vno quidem modo, quo ab ipsis precibus iuuamur, & psalmis, & lectionibus. Preces enim ad Deum conuertunt, & peccatorum remissionem conciliant, & psalmodiæ similiter eum nobis efficiunt propitium, & quod illinc dependet momentum attrahunt. SACRIFICA enim, inquit, Deo sacrificium laudis, & liberabo te, & glorificabis me. Sacrarum autem scripturarum lectiones, Dei benignitatem, & humanitatem annunciantes, & rursus iustitiam, & iudicium, & eius metum in animas nostras immittunt, & dilectionem in eum accendunt, & ita ad eius seruanda mandata multam promptitudinem, & animi alacritatem afferunt. Hæc autem omnia, & Sacerdoti, & populo pulchriorem & diuiniorem animam efficientia, vtrosque ad susceptionem & conseruationem aptos reddunt, qui est finis sacrificij: priuatim autem ac seorsum Sacerdotem, vt non indigne ad sacrificium peragendum accedat, præparant, quod quidem est mysterij celebrandi opus, vt dictum est. Hoc ipsum autem etiam in multis precum locis situm est, & precatur Sacerdos ne videatur indignus proposito, sed puris manibus, & anima, & lingua, mysterio seruiat, & sic ab ipsa verborum quæ dicuntur, & canuntur, potestate, ad sacrum celebrandum adiuuamur. Alio autem modo ab his, & præterea omnibus quæ in sacrificio peraguntur, sanctificamur, quatenus in eis videmus Christum figuratum, & ea quæ pro nobis fecit & passus est. Etenim in psalmis & lectionibus, & omnibus quæ à Sacerdote per totam sacri celebrationem fiunt, Seruatoris nostri humanæ naturæ susceptionis œconomia significatur, quæ eius quidem prima sunt, iis quæ in sacrificio sunt prima, significantibus: quæ vero secundo loco, secunda: quæ autem postremo loco, ea quæ consequuntur, & licet iis qui hæc vident, omnia habere ante oculos. Donorum enim sanctificatio, ipsum sacrificium, eius mortem annunciat, & resurrectionem, & assumptionem, quoniam preciosa hæc dona in ipsum corpus Dominicum mutantur, quod hæc omnia suscepit, quod crucifixum est, resurrexit, & in cælos ascendit. Quæ autem ante sacrificium dicuntur, & fiunt, ea quæ ante mortem fuerunt, aduentum, ostensionem, & perfectam manifestationem. Quæ autem post sacrificium, patris promissionem, vt ipse dicit, sancti spiritus ad Apostolos descensum, gentium ad Deum per illos conuersionem, & communionem, & est vniuersa mysterij celebratio, veluti vna quædam imago vnius corporis reipublicæ seruatoris, omnes eius partes ab initio ad finem, per ordinem, & inter se conuenientiam, sub aspectum deducens. Vnde psalmi quidem, vt qui canuntur in procemiis, & adhuc ante eos quæ in donorum propositione & fiunt & dicuntur, primum tempus Christi OEconomiæ significant. Quæ autem post psalmos, sacrarum literarum lectiones, & alia, id quod sequitur. Nam & si dicatur alius esse vsus lectionum, & Psalmodiarum, ea enim adsumpta esse, vt scilicet ad virtutem nos vn-

gant, & vt Deum propitium reddant, nihil tamen prohibet quominus & hoc & illud possint, & eadem, & fideles ad virtutem inducant, & christi œconomiam & dispensationem in carne significent. Quemadmodum enim vestes, indumenti quidem vsum implent, & corpus tegunt: eo autem quòd tales, vel tales sunt, nonnunquam & artificium, & vitam, & dignitatem eorum qui induti sunt significant, ita etiam se habet in his. Quia enim diuinæ scripturæ, & verba diuinitus inspirata, & hymnos Dei comprehendunt, & ad virtutem adhortantur, eos qui legunt & canunt sanctificant. Quia autem talia electa sunt, & ita sunt ordinata, & aliam habent potestatem, & sufficiunt ad significandam Christi peregrinationem, & eius institutionem. Neque enim ea solum quæ coluntur, & leguntur, sed ea etiam quæ in celebrando peraguntur, eodem modo se habent. Fit enim vnumquodque, præsentis vsus gratia, significat autem etiam aliquid ex operibus vel actionibus vel paßionibus Christi. Quemadmodum oblatio Euangelij ad altare, oblatio preciosorum donorum. Fit enim vtrunque vt vsus postulat, illa quidem vt legatur Euangelium, hæc verò vt sacrificium peragatur: significant autem vtraque, seruatoris ostensionem & manifestationem, illa quidem, incipientis manifestari, obscuram, & adhuc imperfectam: hæc verò, perfectißimam & vltimam. Sunt autem etiam eorum quæ fiunt, nonnulla quæ nullum vsum implent, sed alicuius tantum rei gratia significandæ fiunt, sicut panis punctio, & quæ in ipso fit crucis inscriptio, & quòd ferriculum, quod ipsum pungit, est ad formam lanceæ factum, & postremum, aquæ in sancta immißio. Porrò autem in aliis etiam sacramentis multa talia inueneris, quemadmodum in baptismo, eos qui sunt baptisandi, & calceos, & vestes oportet exuere, & ad occidentem respicientes, manus extendere, & insufflare. Sed hæc quidem illic docent, quantum maligni odium in nobis esse oportet, & quomodo necesse est eum se gerere, qui est verus Christianus futurus, & si quid aliud huiusmodi in sacramentis aliam habeat significationem. Quæ autem fiunt in mysterij donorum celebratione, ad Seruatoris susceptæ carnis œconomiam omnia referuntur, vt eius contemplatio nostris oculis subiecta, animas sanctificet, & sic apti efficiamur ad sacrorum donorum susceptionem. Sicut enim tunc cum fuit, orbem terræ erexit, ita semper considerata, pulchriorem iis qui ipsam contemplantur, & diuiniorem animam efficit, imo quod magis est, ne tunc quidem quidquam iuuisset, nisi considerata & credita fuisset, & ea de causa fuit prædicata, & vt crederetur, Deus innumerabilia machinatus est, nempe quòd non posset quod suum est facere, & homines seruare, si eos qui ab ipsa seruandi sunt, eam fuisse lateret. Sed tunc quidem prædicata, reuerentiam in Christum, fidémque & dilectionem ingrati animi hominibus, cum antea non essent, fabricabatur. Nunc autem ab iis qui iam crediderunt diligenter considerata, beatas has affectiones eis quidem non inserit, sed insitas conseruat, & renouat, & auget, & in fide quidem firmiores, in pietate autem & charitate ipsos feruentiores efficit. Quæ enim cum non essent vt fierent effecit, ea multo facilius seruare, & custodire, & renouare poterit. Hæc autem sunt, cum quibus ad sacra accedere necesse est, & sine quibus vel eo aspicere est omnino nefarium, religio, fides, dilectio in Deum valde vehemens. Propterea oportebat contemplationem, quæ in nobis hæc posset inserere, in sacrificij constitutione significari, vt non mente solum, sed etiam quodammodo oculis, videremus multam diuitis paupertatem, eius peregrinationem, qui omnem locum obtinet, probra eius qui est benedictus, paßiones eius qui est impatibilis, quantum odio habitus, quantum dilexit, quantus cum esset, quantum seipsum humiliauit, & quid passus, & quanam re à se facta, hanc coram nobis mensam parauit: & ita salutis nouitatem admirantes, & propter misericordiarum multitudinem stupore perculsi, reuereamur eum qui sic misertus est, eum qui sic seruauit, eique credamus animas, & vitã commendemus, & corda accendamus igne suæ dilectionis: & cum tales fuerimus, poterimus, & securè, & familiariter in mysteriorum igne versari. Non enim sufficit ad hoc vt tunc tales simus, ea quæ Christi sunt aliquando didicisse, & ea scire: sed necesse est etiam tunc mentis oculum illic figere, & ea actu contemplari, omni alia eiecta cogitatione, si quidem ad sanctificationem illam, aptam, & accomodatam, vt dixi, sumus animam reddituri. Si enim tenemus quidem rationem pietatis, adeò vt de ea rogati rectè respondeamus, quando autem oportet mysteriis imbui, non rectè omnia consideramus, nec mentem adhibemus, nulla est nobis illius cognitionis vtilitas: non enim potest nobis vllam earum quæ dictæ sunt affectionum immittere. ex iis enim quæ tunc nos detinẽt, cogitationibus afficimur, & tales habemus affectiones, quales illæ possunt efficere. Propterea talis excogitata est figura, partim quidem non verbis solum significans, sed omnia etiam sub aspectum deducens, partim autem quæ toto sacrificij tempore appareat. Vt per illam quidem, agat in animas facilius, & non sola contemplatio, sed etiam

affectio

affectio & passio in animis insideat, vt pote euidentius nobis per oculos impressa imaginatione: per illam autem non det locum obliuioni, neque sinat cogitationem ad aliquid aliud conuertere, donec ad ipsam mensam deduxerit, & ita illis cogitationibus referti, & vigentem memoriam habentes, simus sacrorum mysteriorum participes, sanctificationi sanctificationem inducentes, contemplationum sanctificationi, sanctificationem mysterij, & transformati à gloria in gloriam, in eam quæ est omnium maxima, ab ea quæ minor est. Et hoc quidem sibi vult totum, vt summatim dicam, sacrificium. deinceps autem vnumquodque ab initio, quoad eius fieri poterit, sigillatim considerandum est. Primum quidem preces quæ fiunt initiis, & sacræ benedictiones, & sacra cantica, & lectiones: postea ipsum sacrum opus, ipsum sacrificium: post hoc autem sanctificatio, qua per ipsum sanctificantur animæ Christianorum, & viuorum & mortuorum. Præterea autem & quæ ea consequuntur, populi & Sacerdotis ad Deum cantica & preces, si quid eorum consideratione & contemplatione indiget: ante omnia autem, & in omnibus, quæ per totam mysterij celebrationem apparet Seruatoris suscepta carnis œconomia, quid eorum quæ ad illam pertinent, per quodnam eorum quæ in sacri celebratione fiunt, significatur.

## CVR NON AB INITIO PONVNTVR IN altari dona preciosa. Cap. II.

INitium autem ducamus ab eorum, quæ in propositione fiunt, & dicuntur, contemplatione, & ipsa eorum allatione, donorúmque oblatione. Cur enim non statim ad altare ducuntur & sacrificantur, sed primum tanquam dona Deo dedicantur? Quia offerebantur quidem Deo sacrificia ab antiquis, ratione carentium animalium cædes, & sanguis: offerebantur autem etiam dona, quemadmodum vasa aurea vel argentea. Corpus autem Christi etiam vtraq; habere videtur. Etenim sacrificiũ quidẽ posterius extitit, quando pro gloria patris est interfectus, dedicatus autem erat & oblatus Deo ab initio, & donum erat ipsi preciosum, & tanquam adsumptum vt nostri generis primitiæ, & propter legem, quòd erat primogenitus. Ea de causa, ea quæ nunc offeruntur, per quæ corpus illud significatur, non statim ad altare ducuntur & sacrificantur, sed hoc quidem fit postea, prius autem Deo dedicantur, & dona preciosa Deo, & fiunt, & vocantur. Ita fecit Christus. Quando enim panem & vinum manibus acceptum ostendit Deo & patri, tanquam dona, ea Deo offerens & dedicans, ostendit. Et vndenam hoc constabit? Ex eo quòd Ecclesia hoc facit, & ea dona vocat. Non enim id faceret, nisi Christum hoc fecisse sciret. Audiuit enim ipsum iubentem, Hoc facite, & non dissimiliter eum esset imitata.

## QVOD HÆC DONA DEO OFFERVNTVR tanquam vitæ humanæ primitiæ. Cap. III.

SEd quænam est figura donorum? Fructuum primitias offerebant antiqui, vel pecorum, vel armentorum, vel aliarum possessionum. Nos autem, tanquam vitæ nostræ primitias, hæc dona Deo consecramus, vt quæ sunt humanum nutrimentum, per quod corporea vita constat: & non constat solum per nutrimentum vita, sed etiam per ipsum significatur. VNA enim cum eo comedimus & bibimus, post resurrectionem dicebāt de Christo Apostoli, vt ostenderent quòd viuentem ipsum viderent. & Christus, quem excitauit, mortuo iussit dari quod comederet, vt nutrimento vitam ostenderet. Quamobrem est satis probabile, eum qui nutrimento vesci incipit, videri ipsam vitam inchoare. Sed dixerit fortasse quispiam, quòd etiam omnia ferè quæ ab antiquis Deo offerebantur, poterant hominem alere: erant enim fructus, pro quibus agricolæ terram colunt, & animalia esculenta. Quid ergo? illáne omnia erant vitæ humanæ primitiæ? Nequaquam. nihil enim illorum est propriè nutrimentum humanum, commune est enim aliorum animalium: hæc quidem, volucrum & eorum quæ herba vescuntur: illa verò ferarum, quæ carnem deuorant. Humanum enim illud dicimus, quod ad solum hominem pertinet. confectione autem panis opus habere, vt comedat, & vinum conficere, vt bibat, est solius hominis proprium. Et hæc quidem est forma donorum oblationis.

## CVR CONSENTANEVM ERAT, VT VITÆ humanæ primitiæ essent hæc dona. Cap. IIII.

QVæ est autem causa, & quæ ratio, quamobrem oporteat nos primitias vitæ Deo hæc dona offerre? Quòd Deus vitam nobis pro his muneribus remuneratur: & par erat munus à remuneratione non omnino discrepare, sed aliquid cognatum habere, & illius existentis vitæ ipsum quoque esse quodammodo vitam, & maximè, quoniam ipse est & doni legislator, & remunerationis suppeditator, qui iustè iudicat, & omnia lance & statere ponderat. Ipse iußit panem & vinum offerre. Ipse pro eis retribuit panem viuentem, & calicem vitæ æternæ. Vnde quemadmodum Apostolis pro piscatione piscationem reddidit, pro piscatione piscium, piscationem hominum: & diuiti, qui de regno interrogauerat, pro terrenis diuitiis cælestes diuitias pollicitus est: ita contra hic, quibus vitam æternam erat daturus, dico autem viuificum suum corpus & sanguinem: eis offerre iußit ea quæ breuis & momentaneæ vitæ causæ sunt, vt pro vita, vitam reciperemus: pro temporali, æternam: & gratia, gloriæ sit retributio & nostri misericordia, habeat etiam aliquid iustitiæ, & impleatur illud eloquium, Ponam misericordiam meam in statere. Et hoc non solum fit in hoc sacramēto, sed etiam in baptismo, & vitam vita commutamus: & illam quidem prodigimus, hanc vero pro illa accipimus. Sed vitæ quidem profusio, mors est in quadam imagine & pictura, resurrectio autem est vera vita. Quia enim Seruator, qui & mortuus erat & resurrexerat, nouam suam vitam nobis quoque voluit impertiri: iußit nos etiam ex hoc magno dono ipsi aliquid offerre. Et quid hoc est? imitari eius mortem. Et quomodo? Cum corpus in aqua, tanquam in sepulchro, absconderimus, & hoc ter ostenderimus, tanquam iam mortis & sepulchri nos socios acceperit, noua sua vita dignatur. Et hæc quidem ita habent.

## CVR NON TOTVS PANIS OFFERTVR, sed pars quæ scissa est. Cap. V.

POrrò autem illud etiam notandum est, quamnam ob causam, non panes simpliciter, sed quem ipse Sacerdos ex eis abscindit, hoc & donum facit & Deo offert, & ad altare allatum consecrat. Et hoc est proprium oblationis. Alia enim dona, ij qui poßidebant, ea ab ijs quæ erant eiusdem generis separabant, & in templum afferebant, & in manibus Sacerdotum ponebant: Sacerdotes autem suscipiebant, & offerebant, vel sacrificabant, vel quidquid aliud fieri oportebat, ex iis quæ oblata erant. Corpus autem Domini ab eo ipso Sacerdote, & ab iis quæ erant eiusdem generis, separatum, & oblatum, & assumptum, & Deo dedicatum, & postremo sacrificatum est. Ipse enim seipsum à nostra massa separans, separauit Dei filius. Ipse autem donum Deo dedit, ponens id in sinu patris, vt pote ab illo sinu ipse nunquam separatus, sed illi etiam hoc acquirens & apponens, vt simul ac formatum esset, Deo quoque esset datum: postremo autem ipse quoque in crucem egit & sacrificauit, propterea panem mutandum in ipsum corpus, ipse Sacerdos & ab iis quæ sunt eiusdem generis & naturæ abscindit, & Deo offert, ponens in sacra tabula, & postea ad altare allatum sacrificat.

## CVR IN PANE EFFINGIT SACERDOS paßionem Christi. Caput VI.

ABscissus ergo panis, donec in propositione situs est, est panis purus & simplex, qui nihil aliud accepit, nisi quòd Deo est dedicatus, & donum effectus. quando etiam significat Christum in illa ætate ex qua donum factus est. Factus est autem ab ipsa natiuitate, quemadmodum prius dictum est, quod etiam propter natiuitatem donum erat secundum legem, quia erat primogenitus. Quia autem, quæ postea facta sunt in illo corpore paßiones propter salutem nostram, crux & mors, antiquis prius figurata sunt: ea de causa etiam Sacerdos hic priusquam panem ad altare afferat & sacrificet, illos typos & figuras prius in ipso conatur ostendere. Et quomodo? Interea dum ipsum à panibus integris auferens, facit donum, Domini paßionem & mortem in eo scribit, veluti in tabula & omnia quæcunque facit, partim quidem ad vsum pertinentia, partim verò de industria facta, ad hanc significationem deducuntur, & sunt ea quæ tunc fiunt, salutarium paßionum & mortis actiua narratio. Hic erat autem mos antiquus, & actiuè nonnunquam & narrabant, & suadebant & prædicebant.

bant. Etenim Propheta cum vellet ostendere Hebræorum captiuitatem, seipsum ligauit: & Agabus postea hoc ipsum fecit, significans Pauli vincula. Dicunt etiam quendam ex diuinis patribus, rogatum quid est Monachus, nihil quidem respondisse, sed qua indutus erat, vestem exutam conculcasse. Porrò autem ipsam Domini mortem, & à Christo susceptæ carnis œconomiam, veteres non solum verbis, sed etiam factis & ipsi significabant, & à Deo discebant. Cuiusmodi erat mare, quod virga scindebatur: & rubus, qui in flamma ardebat: & Isaac, qui à patre ad cædem ducebatur, & alia per quæ ab initio significabatur mysterium. Sacerdos etiam ea videtur facere quæ de illo nouit sacrificio, & verbis narrans, & factis ostendens, quoad eius fieri potest, vt in ea materia ostendatur: propemodum dicens, Ita venit ad passionem Dominus, ita mortuus est, ita in latere punctus est, ita à puncto latere sanguis & aqua tunc illa effusa est. Et hæc facit, primum quidem vt ostendat, sicut dixi, quòd huius veritatis & rerum typi, & scripturæ quædam antè præcesserunt, & præsignificarunt hominibus, quemadmodum ipse, priusquam panem ad altare afferat & sacrificet, ea quæ ad sacrificium pertinent in ipso describit. Deinde ostendens quòd hic panis festinat mutari in illum verum panem crucifixum, sacrificatum: præter hæc autem omnia, quoniam mortem Domini oportet annunciare: vt nullum modum annunciationis & narrationis prætermittat, ad quam innumerabilia ora non sufficerent, eam & verbis & factis recenset.

## QVID EST DOMINI RECORDATIO. Caput VII.

ET primum pane accepto, à quo oportet sacrum panem abscindere, dicit, IN recordationem Domini & Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi, ex illius præcepto. Hoc enim, inquit, facite in meam recordationem. Et non de pane illo hoc solum dicit, sed de vniuerso quod celebratur mysterio, vt qui hinc sacrum operari incipiat. Nam etiā Dominus postquam vniuersum mysterium peregit, hoc dictum subiunxit, HOC facite in meam recordationem. Sed quænam est hæc recordatio? & quomodo in rei sacræ celebratione Domini meminimus, quid agentis, quomodo se habentis? Dico autem, quid de ipso reputantes, quid narrantes? an quòd mortuos suscitauit, & cæcis visum dedit, & ventos increpauit, & ex paucis panibus ad satietatem millia aliquot nutriuit, quæ eum & Deum esse, & omnia posse ostenderunt? Nequaquam: sed ea potius quæ videntur significare imbecillitatem, crucem, passionem, mortem, in his nos iussit facere eius commemorationem. Et vndènam hoc scire possumus? Ita intellexit Paulus, qui quæ eius sunt, optimè nouit. Ad Corinthios enim scribens de mysterio, cum narrasset Dominum dixisse, Hoc facite in meam recordationem, subiunxit: Quoties enim panem hunc comederitis, & de calice biberitis, mortem Domini annunciatis. Hoc ipse etiam Dominus ostendit in traditione sacramenti. Cum enim dixisset, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, non adiecit eis miracula, dicens, quòd mortuos suscitauit, quòd leprosos mundauit. Sed quid? Passionem solum & mortem: Quod pro vobis frangitur, Qui pro vobis effunditur. Et quænam est ratio, quòd non miraculorum, sed passionum meminit? Quoniam hæ sunt illis tanto magis necessariæ, quòd hæ quidem sunt nostræ salutis efficientes, & sine his minimè possit homo resurgere, passiones, inquam, illa autem tantum demonstrant. Fiebant enim miracula, vt crederetur Dominus esse vere Seruator.

## DE IIS QVÆ IN PANE FIVNT. Cap. VIII.

QVoniam ergo oportet hoc modo facere domini commemorationem, propterea cùm dixit sacerdos, in recordationem domini, subiungit ea quæ significant crucem, & mortem. Panem enim abscindens, veterem de salutari passione refert prophetiam: SICVT ouis ad cædem ductus est, & cætera, & verba, & facta, quantum ipse potest, narrās. Nam cum panem ad hunc vsum secet, vt donum eximat, hoc ipsum etiam facit exemplū propositi: ad significandum recessum domini à mundo in viam quæ est ad patrem per mortem, eam captiuam abducentis, sicut ipse dixit: RELINQVO mundum, & vado ad patrē. & quia sæpe figens ferrum, deinde scindit panem, in tot partes diuidit sermonem propheticū, vnamquanque partem sermonis accomodans vnicuique parti sectionis, vt ostenderet sermonis munus esse narrationem, quia sicut hic panis, ad hoc vt Deo offeratur & consecretur, ab eo quod est eiusdem generis & naturæ, separatus est, ita etiam Christus ab hominibus secessit,

quorum naturæ per suam humanitatem fuit particeps, & tanquam ouis ad cædem ductus est, & eo modo sublata est de terra vita eius, & adiectis ijs quæ sequuntur in prophetia, cum panem in sacra tabula statuit, illa facit & dicit, per quæ ipsum sacrificium, & mors domini annunciatur. SACRIFICATVR, inquit, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hæc dicit & facit quæ declarant modū mortis. Crucem enim in pane imprimit, & ita indicat quomodo sacrificium factum est, nempe per crucem. Post hoc etiam ad dexteras partes panem pungit, illius lateris ictum narrans per percussionem panis. Propterea enim etiam ferriculum quod percussit, vocat lanceam, & ipse habet factum instar lanceæ, vt illam lanceam in memoriam reuocet. & ita facto ea narrans, etiam historiæ verba legit. ET vnus militum, inquit, lancea latus eius pupugit. Similiter etiam sanguinem & aquam quæ illinc fluxit, & verbo narrat, & facto ostendit. Infundens quidem in sacrum calicem vinum & aquam, subiungens autem illud: ET statim exijt sanguis & aqua. Et hæc quidem, recordatio domini, & mortis eius narratio.

## CVR DOMINVS HOC IVSSIT FACERE IN sui recordationem. Cap. IX.

SEd quanam de causa hæc iussit, & ad quid respiciens, hanc recordationem à nobis exegit? Ne ingrati & immemores essemus. Est enim benefactoribus ab ijs qui beneficio affecti sunt, quædam gratiæ relatio, eorum meminisse, & eorū per quæ beneficio affecti sunt. Huius autem conseruandæ memoriæ homines multas rationes excogitarunt, sepulchra, statuas, columnas, dies festos & celebres, certamina. quorum omnium vnum est institutum, non sinere vt viri præclari & præstanti virtute, obliuioni mandentur. Tale est etiam quod dicit seruator. Alij quidem alia obliuionis quærunt remedia, vt recordentur eorum qui ipsos beneficio affecerunt: vos autem in meam recordationem hoc facite, & quemadmodum ciuitates, fortium virorum per quos victoriam assecutæ sunt, vel qui eis salutem attulerunt, aut res earum rectè gesserunt, columnis inscribunt: ita etiam in his donis nos mortem domini adscribimus, in qua vniuersa sita fuit aduersus malignum victoria. Et per statuas quidem, ciuitates solum habent figuram corporis benefactorum: nos autem ab hac oblatione non habemus figuram corporis, sed ipsum corpus eius qui se gessit fortissimè. Hoc ipsum etiam antiquis constituit, vt in figura facerent id quod nunc est in rerum veritate. Id enim erat pascha, & agni occisio, in memoriā reuocatio cædis illius ouis & sanguinis, qui seruauit Hebræis in Ægypto primogenita. Et hæc quidem est ratio recordationis.

## QVÆNAM POST COMMEMORATIONEM IN OBLAtione dicuntur. & quod donorum oblatio, eadem & gratias agit, & supplex petit. Cap. X.

SAcerdos autem adhuc facit oblationē, & vniuscuiusq; panis ex iis qui offeruntur partem auferens, facit sacrū donū, non eadem dicens & faciens quæ ab initio, per quæ mors domini significabatur, quia quæ semel dicta sunt, de vniuerso mysterio dicta esse intelligūtur. Omnis enim donorum oblatio fit in recordationem domini, & per id vniuersum, mors eius annunciatur. Quænam autem sunt quæ recitantur? In gloriam sanctissimæ Dei matris, ad honorem huius vel illius sancti: in peccatorum animarum remissionē vel viuorum, vel mortuorum. Et quid hæc sibi volunt? Gratiarum apud Deum actionem, supplicationis materiam & occasionem, causas donorum oblationis. Ita enim habet: Nullum donum frustra datur, siue Deū colere, siue hominibus gratificari oportet, sed alicuius boni gratia, quod vel factū est, vel speratur. Vel enim pro ijs quæ accepimus, benefactori donis gratiam referimus: vel si nulla adhuc fuerint, eum qui dare potest, vt assequamur, colimus & obseruamus. Hæc autem dona, propter vtrunque Deo offerri videntur, & quia accepimus & vt accipiamus; & Deo gratias agentes, & ei supplicantes. Gratias agentes, pro beneficiis quæ accepimus: supplicantes, vt accipiamus. Dona itaque, & in gratiarum actione, & in supplicatione versantur. Sed quænā sunt quæ iam nobis data sunt? quæ verò quæ quæruntur? Eadem omnino, remissio peccatorum, regni hæreditas. hæc enim ipse iussit peti ante omnia. Ea sunt quæ iam accepit ecclesia, ea sunt & pro quibus supplicat. Et quis est modus, quo hæc bona iam assecuta est, & quis, quo nondū assecuta est, & vt assequatur orat? Verum quidem assecuta est, & ad ea potestatem accepit.

Etenim accepit potestatem vt filij Dei fierent, & hoc est solum commune donum, quod Chrystianis omnibus per mortem seruatoris datum est. Hoc est enim diuinum baptisma, & alia sacramenta, per quæ à Deo adoptamur, & regni cælorum hæredes efficimur. Deinde ipsius quoque regni actu fuit hæres, in innumerabilibus, qui sunt ex suo choro, quos in cæli misit coloniā, quos primogenitorum in cælis descriptorum ecclesiam vocauit beatus Paulus. Ita ergo ecclesia hæc magna bona est consecuta. Propter suos autem filios, qui adhuc currunt ad brauium, & vt semel dicam, eos qui in hac vita adhuc viuunt, quorum est finis incertus, & eos qui excesserūt non cum bona firmáque & stabili spe, regnum nondum est assecuta. ea de causa meminit quidem mortis Domini. Meminit autem sanctorum, quibus plena sua obtigit perfectio. meminit & eorum qui nondum perfecti sunt: pro illis quidem agens gratias, pro his verò supplicans. Quare primæ quidem oblationis partes, & etiam secundæ, versantur in agendis gratijs. quæ autem consequuntur, in supplicatione, in recordatione domini, in gloria beatæ suæ matris, in intercessione sanctorū. GRATIAS, inquit, agimus quòd morte tua vitæ portas nobis aperuisti, quòd matrem ex nobis accepisti, quòd tantam gloriam homo est assecutus, quòd habemus intercessores qui sunt eiusdem gentis, & ijs qui sunt eiusdem nobiscum generis tantam libertatem impertiisti. Illud enim, IN gloriam & intercessionem, idem est quod pro gloria & pro intercessione. quemadmodum & illud, IN remissionem peccatorum, idem est quod pro remissione peccatorum. Illud autem, Pro aliquo, habet duplicem significationem. Vel enim pro præsenti, vel pro eo quod speratur. Beatæ autem virginis gloriam, & sanctorum intercessionem & libertatem, quis nescit esse bona præsentia? Pro præsentibus autem bonis dona offerre, nihil aliud est quàm manifesta gratiarum actio. Præterea autem & illud, IN recordationem domini, per ea quæ prius dicta sunt, euasit manifestū significare quandam erga ipsum pro morte sua retributionem & gratiarum actionem. Propterea enim ante omnia in donorum oblatione hæc verba dicuntur, quòd mors illa nobis causa fuit omnium bonorum. Vltimo autem loco facit supplicationem, petens remissionem peccatorum, & requiem animarum, & alia huiusmodi. Hoc est enim grati animi, non quid opus sit statim dicere, nec quod deest postulare: sed potius ea quæ iam accepimus primum memoria repetētes, pro eis illi gratias agere, & illum gloria afficere, & sic iis quæ sunt nobis necessaria, Dei gloriam præferre.

## CVR DONA COOPERIVNTVR, ET DE IIS quæ dicuntur. Cap. XI.

Quia autem, quæ in pane dicta & facta sunt, per quæ mors domini significabatur, nihil aliud sunt quàm typus & figura: panis autem adhuc panis mansit, neq; quidquā aliud accepit quàm vt deo donum esset, & ideo fert typum Dominici corporis in prima ætate, quoniam illud quoque ab initio donū fuit vt antè dictum est: ea de causa miracula quæ in illo facta sunt, cum recenter esset natus, & adhuc in præsepi positus, sacerdos in pane recitat & ostendit. Super eum enim imponens Asteriscum qui dicitur, seu stellulam: ET ecce, inquit, stella veniens stetit supra vbi erat puer. Deinde & quæ multis antè seculis de ipso à prophetis dicta sunt Deo conuenientia, ne propter carnem, & id quod apparet, homines de ea parua & diuinitate indigna existimarent. VERBO domini cæli firmati sunt. Dominus regnauit, decorem indutus est. OPERVIT cælos virtus eius, & sapientia eius plena est terra. Et hæc dicit, & tegit panem, & calicem preciosis peplis, & vndique suffumigat. etenim tunc tegebatur quidem Dei incarnati potentia, vsque ad tempus miraculorum, & testimonium de cælo. Sed qui hæc de eo loqui sciebant, Dominus regnauit, decorem indutus est, & omnia quæ dicta sunt Deum decentia: & ipsum agnoscebant, & vt Deum colebant, & quod in eo erat integumētum quærebant. Et hæc tacitè significans Sacerdos, tectis donis, dicit. TEGE nos integumento alarum tuarum. & suffumigat vndique. Hæc cum sic dixit, & fecit & orauit vt omnia huius quod peragitur sacri, sibi ritè & ex instituto succedant, venit ad altare, & stans ante sacram mensam, incipit sacrificium.

## DE GLORIFICATIONE IN PRINCIPIO. Cap. XII.

Sacrificium autem incipit à glorificatione. Benedictum est regnum patris & filij & spiritus sancti. Quæ ad Deum fit allocutio, est gratiarum actio, glorificatio, confessio, petitio. Prima autem omnium est glorificatio, maximè quidem, quòd precatorum grati animi est,

ad dominum accedentes non sua statim in medium adducere, sed quæ solius domini purè sunt. Tale quid autem est glorificatio. Qui enim petit, sua volens pulchriora facere, seipsum prædicat: & qui gratias agit, clarum est quòd propriis bonis gaudens, ei qui illa suppeditat gratias agit. Qui autem glorificat, seipso dimisso & suis omnibus, ipsum propter ipsum, & ipsius domini potentiam & gloriam glorificat. Præterea, ipsa etiã natura & rei probabilitas, hic primam glorificationem exigit. Protinus enim ad Deum accedentes, inaccessibilem eius gloriam, & potentiam, & magnitudinem mente cogitamus: quod quidẽ, admiratio & obstupefactio, & quæ sunt eiusmodi, consequuntur, hoc autem glorificatio necessario sequitur. Procedentes autem, eius benignitatem & humanitatem discimus, quod consequitur gratiarum actio. Post hoc, insignem eius benignitatem & humanitatis diuitias consideramus, nostram improbitatẽ illius sufficiens esse signum ducentes, quòd cum tales simus, nos beneficijs afficere nunquam cesset. Hoc enim signum, etiam ante alia, nos docet, quàm est benignus & humanus Deus, quòd in nobis, quòd ante ipsos oculos. Nostrorum autem malorum apud Deum meminisse, hoc est quod nominatur confeßio. Quartum autem petitio. Consentaneum enim est considere, quòd illa quorum egemus petentes, ea consequemur, post eas considerationes, in quibus Dei in nos benignitatem & humanitatem ediscimus. Qui enim ijs qui mali adhuc erant bonus fuit, quidnam erit mutatis, & quòd primi peccata dixerint iustificatis, conuenienter ei quod à propheta dictum est: DIC primus peccata tua, vt iustificeris. In compellando ergo Deo, primum locum habet glorificatio. Quapropter ante omnes preces & omne sacrificium sacerdos glorificat Deum. Cur ergo ter Deum glorificans effatur, & non singulariter? Non enim benedictus Deus, vel benedictum Dei regnum, sed diuisim per personas: BENEDICTUM Dei regnum, patris & filij & spiritus sancti. Quia per primam Christi incarnationem didicerunt homines, quòd tres personæ Deus est. Huius autem domini incarnationis mysterium sunt sacra quæ celebrantur. Vnde in eorum exordiis oportebat trinitatem resplendere, & prædicari. Post glorificationem autem, introducit petitionem, dicens: In pace dominum oremus. Illud enim, Quid oremus vt oportet nescimus: &, ne multa & superuacanea loquamur, docent nos quæ in oratione facienda sunt. & primo docet modum, nempe quòd in pace orare oportet. Quid ergo post glorificationem statim iußit petere eos, qui neque prius confeßi sunt, neque Deo gratias egerunt? Quia dum pacem dixit, illa etiam comprehendit, si quis velit exactè considerare. Neque enim qui non est contentus ijs quæ sibi in vita eueniunt, potest in se pacem habere, sed qui est gratus, & in omnibus agit gratias, vt præscribit lex beati Pauli: nec qui non habet puram conscientiam. fieri autem non potest vt sit pura conscientia sine confeßione. Qui ergo orat cum pace, gratias agentem & confitentem prius habuit animam. Ad hæc autem, etiam petitio quam faciunt, eos & gratias agentes & confitentes ostendit. Quid enim petunt? misericordiam. Hæc autem est petitio eorum qui rei aguntur, qui quando omni sui defendendi ratione ablata, nihil poßunt dicere quo se iustificent, & causam suam tueantur: hanc vocem postremo ad iudicẽ emittunt, nõ iure, sed ex eius clementia ea quibus indigent assequi expectantes. hoc autem est eorum qui multam quidem iudicis esse benignitatem, & clementiam, magnã autem esse suam improbitatem vitiúmq; testantur. Quorum hoc quidem est confeßionis, illud verò gratiarum actionis. Hortatur autem sacerdos ab initio populum ad orationem, vt qui talis sit qui ad orandum est ordinatus, & ideo sit populi propositus intercessor & mediator, vt eius operans oratio multum valeat, sicut dixit Iacobus apostolus. Operatur enim oratio iusti, quando illi etiam omnino pro quibus preces fiunt, ex se omnia contulerint, morum bonitatem, preces, lenitatem, & æquitatem, & quocunque alio sciunt Deum delectari. Quæ est autẽ eorum prima protinus petitio? PRO superna pace, & salute animarum nostrarum. Cũ prius docuisset quomodo se habentes orare oportet, nunc etiam docet quid sit primum petendum, superna scilicet pax, & animarum salus. Ita enim iußit Christus petere primum regnum Dei, & iustitiam. Regnum enim salus animarum: superna autem pax, Dei iustitiam significat. De qua dixit Paulus: PAX Dei quæ supereminet omnem mentem, quam dominus reliquit discipulis, ascendens ad patrem, PACEM, dicens, relinquo vobis, pacem meam do vobis. Sicut enim illic nomen iustitiæ, non significat solum eius quod æquum est distributionem, sed absolutè omne genus virtutis: ita hic etiam nomen pacis est quid vniuersale. est enim omnium simul virtutum & vniuersæ philosophiæ fructus. Neque enim fieri potest vt pacem perfectè habeat, cui vel vna aliqua virtus deficit: sed necesse est, vt qui pacatus est futurus, per omnes veniat. oportet ergo seipsos primum exercere ad pacem quæ potest haberi ab hominibus: deinde à Deo petere suam pacem, sicut se habet etiam in vnaquaq; virtute. est enim temperantia, quæ pa-

paratur per exercitationem: & est temperantia, quæ à Deo datur animæ, & charitas, & oratio, & sapientia, & in alijs eodem modo. Propterea etiam sacerdos de pace illa primo loquitur quæ est in nostra potestate, & à nobis rectè geri & administrari potest. & cum ea iubet ad Deum facere orationes. deinde de ea quæ à deo datur, & pro ea hortatur deũ orare. Oremus, dicens, pro superna pace. Pacem autem dicit, non eam solam quæ est inter nos inuicem, quando nulli malè volumus, nec vllius sumus iniuriæ memores: sed eam etiam quæ est erga nos ipsos, quando cor nostrum non condemnat nos. Magna est autem pacis vtilitas, vel potius ea est omnino necessaria. Vt perturbata enim mens cum deo conueniat, minime fieri potest: primũ quidem, propter ipsam perturbationis naturam. Quemadmodum enim pax multos vnum reddit, ita etiam perturbatio vnum multa efficit. Quomodo ergo adaptari & conuenire poterit vni & simplici deo? Præterea quòd neque rectè orare, neque aliquid boni ex oratione consequi potest, qui orat sine pace. Siue enim ira hominem perturbat, & acceptæ iniuriæ memoria pacem ex anima eiecit, nec peccatorum quidem veniam inueniet ex oratione, tantum abest vt vllam aliam gratiam assequatur. Si quis peccatorum suorum causa à conscientia pungitur, & habet cor quod eum accusat, & ea perturbatione agitatur, omni apud deum libertate priuatus est, vt ait diuinum eloquium: & quando orat, sine libertate loquitur, hoc est sine fide. Qui autem sine fide orat, frustra orat, nec vllam ex eo sentit vtilitatẽ. Propterea iubemur etiam cum pace deum orare, & ante omnia supernam pacem petere: postea autem etiam pro alijs liberaliter preces fundere, non solum ecclesia, & imperio, & vtriusque præfectis, vel ijs qui sunt in periculis & rebus aduersis opprimuntur, sed pro omnibus omnino hominibus vniuersæ terræ. PRO pace enim, inquit, vniuersi mundi. maximè quidem quia sciunt suum dominum esse communem omnium dominum. & quòd omnia ei curæ sunt tanquam sua opera, & si quis eorum curam gerat, magis eum colit, quàm si ei sacrificet. Præterea autem, vt sentit beatus Paulus, vt nos sub eorum tranquillitate quietam vitam agamus, in omni pietate, & honestate. Et non solum pro ijs quæ ad animam conferunt, sed etiam pro bonis corporalibus necessarijs oramus, bona aëris temperie, & fructuum terræ fertilitate. Vt sciamus esse omnium auctorem & suppeditatorem deum, & ad illum solum respiciamus, quoniam etiam panem ab ipso petere quotidianum cum alijs iussit ipse Christus.

## QVID SIBI VVLT MISERICORDIÆ vbique petitio. Caput XIII.

ILLud quoque quærendum est, quam ob causam, Sacerdos quidem iubet orare pro multis, & diuersis, circunstantes autem fideles rogant solum misericordiam, & eam solam omnino vocem ad Deum emittunt. Primum quidem vox eiusmodi, vt dictum est, gratiarum actionem & confessionem cõtinet. Deinde à Deo petere misericordiam, est eius regnum petere, quod se petentibus daturum Christus est pollicitus, & alia etiam quibus opus habemus se adiecturum: & propterea eis hæc sufficit precatio, vt potè quæ omnia simul possit. Et vndénam sciri potest, quòd misericordia Dei eius regnum significat? Ex eo quòd Christus præmium misericordium narrans, & quam ab eo accipient benignitatis remunerationem, nunc quidem illos misericordiam assecuturos, nunc verò regnum dicit: perinde ac idem sit, & ab ipso misericordiam assequi, & regnum accipere. BEATI enim, inquit, misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Deinde alibi veluti seipsum interpretans, & quid sit misericordiam consequi, significans, Dicet, inquit, Rex iis qui sunt à dextris, dicens misericordes: VENITE benedicti patris mei, hæredes este parati vobis regni. & alioqui si quis ex iis quæ faciunt homines misericordes, voluerit diuinæ misericordiæ opus perspicere, ea nihil aliud inueniet valere, quàm ipsum regnum. Quid ergo misericordes? Esurij, inquit, & dedistis mihi comedere: sitiui & potũ dedistis mihi. Ergo & Christus quorum miseretur, eis suam mensam impertit. Quænam est autem illa? VT comedatis, inquit, & bibatis in mensa mea in regno meo. Et vt scias illius mensæ splendorem, & quòd non est seruorum, sed Regum, scias ministrum esse ipsum omnium Dominum. Accingetur, enim inquit, & eos faciet accumbere, & accedens ministrabit ipsis. Quinetiam vestiet eum cuius misertus fuerit, cum sit nudus. Dabit ergo vestem regalem. è domo enim & ex suis eum induet. nihil est autem apud eum seruile, cum sit Rex, sicut nihil est apud nos è domo regale, cum serui simus. hoc est autem indumentum nuptiale, quo qui induti sunt, necesse est eos regni esse. nihil enim habebit Rex, quod cum in eis reprehenderit, ex nuptialibus ædibus eijciat. Quid præterea? Domum eis suam aperiet, & intro-

ductos faciet quiescere. Hospes enim erā, & me collegistis. Sed qui hac gratia dignati sunt, non amplius serui, sed filij. SERVVS enim, inquit, non manet in domo in æternum. Filij autem etiam hæredes, non regni solum, sed etiam eius qui regnum complectitur. Hæredes enim inquit, Dei, cohæredes autem Christi. Ita à Deo petere misericordiam, est petere vt regnum sibi liceat assequi.

## DE COMMENDATIONE SEV DEposito. Caput XIIII.

Postquam autem orauerit pro omnibus, iubet eos Deo seipsos commendare, dicens: Sanctissimæ, intemeratæ, superbenedictæ, gloriosæ dominæ nostræ Deiparæ, & semper virginis Mariæ cum omnibus sanctis memoriam facientes, nos ipsos, & nos inuicem & omnem vitam nostram Christo Domino commendemus, & custodiendos deponamus. non est omnium deo seipsos commendare, & custodiendos tradere. Non sufficit enim dicere, sed oportet etiam Dei consensum habere. hoc autem omnino indiget libertate: libertatem autem facit pura conscientia, quando cor nostrum nos non condennat, quando quæ sunt eius curamus, quando vt eorum quæ sunt eius, curam geramus, nostra negligimus. Tunc enim & ipsi verè à cura nostri recedimus, & eo eam securè committimus, quando firmam & stabilem fidem habemus quòd depositum nostrum suscipiet & seruabit. Quia autem res tanta consideratione & studio indiget, propterea nunc quidem sanctissimæ Dei matris, & omnium sanctorum cœtus inuocato auxilio, ita commendationem seu depositionem facimus: hoc enim sibi vult illud, commemorare, vocare, orare. Nunc autem fidei vnitate, & sancti spiritus prius petita communione, deinde nos ipsos & omnem vitam nostram Deo commendamus, & custodiendam tradimus. Quid est autem vnitas fidei? HOMO, inquit, duplici corde, est instabilis in vijs suis, duplici corde hominem vocans eum qui est dubius & minimè firmus & stabilis. Qui enim talis est, is in vtramque partem declinans, in neutra parte firmiter ingreditur. Huius autem contrarium, per vnitatem significatur, id quod scilicet est firmum, constans & stabile. Qui enim constanter credit, vnum quidpiam de re credit, vel esse, vel non esse. Qui autem est dubius, eum ad vtrunque declinare vel ex ipso vocabulo manifestum est. Hoc ergo, fidei scilicet vnitas, est id quod est immobile, & ab omni dubitatione liberum. Sancti autem spiritus communio, illius gratiam significat. Dicitur autem communio, quia cum Dominus per crucem, interiectam sepis maceriam, quæ inter nos & Deum erat, diruisset, quoniam eos qui tunc disiuncti erant, nullo modo posse conuenire & communicare cognouerat: deinceps sancti spiritus ad Apostolos aduentus hoc efficit. Hinc enim sanctum baptisma, & omnis fons diuinarum gratiarum, hominibus apertus est: & vt dicit beatus Petrus, diuinæ naturæ socij facti sumus, & participes. Opus est ergo & fide firma & spiritus auxilio ei qui seipsum Deo est commendaturus, & se ei custodiendum daturus. Neque verò vnusquisque seipsum solum, sed etiam nos inuicem commendamus. Oportet enim non tantum quærere quod suum est, sed etiam aliorum, propter legem charitatis.

## DE ANTIPHONIS QVÆ DICVNTVR, ET precibus quæ in ipsis fiunt. Caput. XV.

Interea autem dum petitiones præit Diaconus, & sacer orat populus, Sacerdos intus orat per se submissa voce, pro astantibus & hac sancta domo, vt eis diuites effundantur misericordiæ & miserationes à deo: & adiicit causam, propter quam & ipse hæc petit, & Deus quæ petiuit iustè præbuerit, non quòd digni sint qui sunt accepturi, non quòd ea iure accipere mereamur, sed QVIA tibi conuenit omnis gloria, honor & adoratio. Propter tuam gloriam inquit, hæc te rogo. Benignum enim & munificū esse in nos qui sumus indigni, ad tuā gloriam pertinet: hoc autem, scilicet glorificari, tibi conuenit, vt est illud beati Dauid: NON nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Propterea cum perfecit orationem, hanc causæ allationē, quia & est in extrema parte, & est glorificatio, legit omnibus audiētibus, vt omnes hymni participes accipiat, & Deus ab omni ecclesia laudetur. Audientes ergo, sunt hymni cum illo participes. postquam enim ille dixit, & glorificauit, fideles omnes Amen dicunt, & cum hoc verbo acclamarunt, omnes illius voces vt proprias sibi assumunt. Deinde sacras Psalmodias, incipit quidem Sacerdos, implent autem vniuersum ij qui circunstant, diuinitus inspirata sacrorū Prophetarum verba canentes. BONVM est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime

altißime. Principio cōueniens statim verbum, quia de ipso dicit hymno, quòd est bonum: quod oportet omnino scire ante omnem hymnum, appellans Confiteri, gratias agere, hymnos canere. His autem & ijs quæ sequuntur cantatis, Diaconus fideles ad orationem adhortatur. Interea autem dum peragebatur psalmodia, & fideles orabant. Sacerdos, postquam intus ad Deum fecit orationem, & generaliter pro toto corpore ecclesiæ, & seorsum, pro ijs qui sanctam domum eius ornant, & eam vndiquaque splendidam reddere desiderant, vt & ipsi ab ipso glorificentur: causam adiicit in primis opportunam, & cōuenientem. QVIA tua est potentia, tuum est regnum. Apud reges, inquit, est gloria, & posse splendidos efficere quos voluerint. Tu autem rex æternus, & tua est potentia, & tuum est regnum. Et cum hanc causæ redditionem, vt pote quæ sit glorificatio, omnium fidelium auribus inclamauit, & nos hymni ad Deum participes effecit, sicut & prius: rursus incipit psalmodias, & fideles eas complent. Deinde petunt à Deo petitiones, quas præit Diaconus vt antè dictum est. Sacerdos autem rursus facta oratione pro ijs qui vnà cum eo precantur fidelibus, vt quæ vnusquisque priuatim petit à Deo consequatur, prout ei vtile fuerit: & præterea vitam æternam in futuro, adiicit causam, ipsius bonitatem & clementiam. Quam, vt pote vltimam, postquam omnibus audientibus dixit, incipit tertiam psalmodiam. Quæ dum canitur, Euangelium introducitur stipatum lampadibus, omnibus ijs deducentibus qui sunt ministri altaris, Diacono ipsum afferente, vel si non adsit, Sacerdote. Sacerdos autem quando est ad altare ingressurus, stans paruo interiecto spatio ante fores, donec completa fuerit psalmodia, orat Deū, vt sancti Angeli vnà cum eo ingrediantur intrante ad altare, & sacrificium contrectent, & sint cum ipso glorificationis participes, & adiicit causam. Quia & ab hominibus & ab angelis conuenit ipsum glorificari, & adorari. Hoc enim sibi vult illud, OMNIS gloria, honor & adoratio ab omnibus qui Deum glorificare, honorare, & adorare sciunt. Et hæc precatus, ingreditur ad altare, & ponit super sanctam mensam Euangelium.

## SIGNIFICATIO SACRIFICII IN summa. Caput XVI.

NEcesse est autem ab alto sigillatim persequi verba psalmodiarum, si prius illud dixerimus, quòd mysterium incarnationis Christi significatur quidem per ipsum sacrificium, significatur autem etiam per ea quæ præcedunt sacrificium, & per ea quæ post sacrificium & fiunt & dicuntur. Sacrificium enim mortem ipsius annunciat, & resurrectionem & assumptionem, quoniam preciosa dona in ipsum dominicum corpus mutantur, quòd resurrexit, quòd in cælos ascendit. Quæ autem ante sacrificium fiunt, ea quæ ante mortem fuerunt, aduentum, ostensionem, perfectam manifestationem. Quæ verò post sacrificium, patris promissionem, vt ipse dixit, spiritus ad Apostolos descensum, gentium per illos ad Deum conuersionem & communionem. Et est vniuersa mysterij celebratio, veluti vnum quoddam corpus historiæ, ab initio vsque ad finem cōuenientiam & integritatē conseruans, adeò vt vnumquodque eorum quæ fiunt vel dicuntur, separatim aliquid ad vniuersi confectionem conferat. Vnde psalmi, vt qui in diuini mysterij celebrationis exordio canuntur, primum tempus Christi incarnationis significant. Quæ autem ea consequuntur, nempe sacrarum scripturarum lectiones, & reliqua, id quod deinceps sequitur. Atqui alia esse causa dicta est scripturarum, & psalmodiarum, quòd sint scilicet prępurgationes & præparationes ad sacra mysteria. Sed nihil prohibet ea & hoc, & illud posse, & eadem & fideles sanctificare, & incarnationis mysterij œconomiam significare. Quemadmodum enim vestes implent quidem vsum amictus, & corpus tegunt: eo autem quòd tales sunt, vel tales, & studium vitæque exercitium significant, & dignitatem eorum qui induti sunt: ita etiam se habet in his. quòd enim sunt omnino diuinæ scripturæ, & verba diuinitus inspirata quæ canuntur & leguntur: eos qui legunt & canunt sanctificant. Quòd autem talia electa sunt, & sic ordinata, etiam aliam habent potestatem: & sufficiunt ad significandum Christi aduentum, & eius institutionem. Non solum enim ea quæ canuntur & dicuntur, sed etiam quæ fiunt, eodem modo se habent, & fit vnumquodque propter vsum præsentem: significat autem etiam aliquid ex operibus, vel actionibus, vel passionibus Christi. Sicut est Euangelij ad altare allatio, preciosorum donorum importatio. Fit enim vtrunque quidem ad vsum, illa quidem, vt Euangelium tegatur, hæc verò vt peragatur sacrificium. Significant autem vtraque Domini ostensionem & manifestationem, illa quidem eius incipientis manifestari, adhuc obscuram exilémque & imperfectam: illa autem perfectißi-

mam & vltimam. Sunt autem etiam eorum quæ in mystica celebratione fiunt, quæ nullum vsum implent, significandi autem gratia tantum fiunt, vt lancea & panis punctio, & in eo crucis inscriptio, & postremo aquæ calidæ in sancta iniectio, Quinetiam in aliis sacramentis multa eiusmodi inueneris: quemadmodum in baptismo, eos qui sint tingendi, se & calceis & vestibus exuere oportet, & ad occidentem aspicientes, manus tendere, & insufflare. Hæc enim & alia eiusmodi, nullum quidem vsum ad sacramentum inducunt: sed docent eum qui initiatur, odium, & inimicitias, quas aduersus malignum gerere necesse est, & quomodo oportet malignum auersari, eum qui verus Christianus futurus est. His ita se habentibus, contemplemur sigillatim vniuersum sacrificium, quatenus seruatoris incarnationis fert imaginem & primum psalmodias.

## INTERPRETATIO PRIMÆ ANTIPHONÆ. Cap. XVII.

PRima ergo est adhortatio ad glorificationem, incipientibus conueniens. BONVM, inquit, confiteri domino. Hymnus ad deum & patrem, & de vnigenito: BONVM est confiteri domino, & canere nomini tuo altissime, altissimum patrem dicens, dominum vnigenitum. Bonum laudare filium, & te patrē. Et quid hæc sibi volunt? Ad ea quæ sunt deinceps dicenda exordium ducit. est enim vtrisque communē hymnum dicturus. Quomodo? Clamabit ea quæ sunt filij: per quæ pater quoque glorificatus est. Quænā est enim laudationis occasio? Filij exinanitio & paupertas, in carne opera & passiones: ea enim vocat misericordiā & veritatem. Misericordiam quidem, quòd omnium miserrimè affectos, cùm eius essemus inimici & hostes, propter multam suam benignitatem & clementiam non despexit: & non solum nostræ calamitatis misertus est, sed ipsorum etiam malorum fuit socius & particeps, interitus & mortis: & non solum nos erexit à graui illo casu, sed regno etiam & maximis bonis dignatus est. Quocirca Paulus quoque, QVANDO, inquit, benignitas & humanitas apparuit seruatoris nostri Dei, vt quæ tunc primum ostensa, & manifestata est quanta sit. Et dominus, SIC Deus dilexit mundum, insignem dilectionem hoc verbo ostendens. Misericordiam ergo his de causis vocat susceptæ carnis œconomiam. Veritatem autē, quia velut vmbræ & figuræ vetera omnia ad eam respiciebant. Propterea de ea loquens propheta, IVRAVIT, inquit, dominus Dauid veritatem. Quæ sunt enim quæ iurata sunt? domini per carnē peregrinatio, & recta vitæ institutio. De fructu, inquit, ventris tui ponam super sedem tuam, ipsum seruatorem significans. Et vndénam hoc sciri potest? Gabriel docuit in ijs in quibus arcanum partum significans, & quantus sit qui nasciturus est docens: DABIT ei, inquit, dominus Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit super domum Iacob in secula, & regni eius nō erit finis. Sed ipsa veritas est & iudicium & iustitia. Quonam modo? Quia seruator in ea eiecto peccato, & diabolo interfecto, non insigni aliquo robore, nec quòd potentia vinceret hoc fecit, sed iudicia & iustitia, sicut dictum est: IVSTITIA & iudicium præparatio sedis tuæ: sicut, & nos in iudiciis aduersarios sententia iudicum vincimus. Propterea, NVNC est, inquit, iudicium mundi huius, nunc princeps mundi huius eiicitur foras. Hæc sciens beatus Dionysius, diuinæ bonitatis maxime infinitam dicit benignitatem, defectricis multitudinis, Dæmonum scilicet, potentiam aduersus nos dissoluere, non per potentiam, tanquam exuperantem, sed, vt mysticè dicit traditum eloquium, in iudicio, & iustitia. Quia ergo quod laudatur, non solum est misericordia & veritas, sed etiam iustitia & iudicium, propterea subiunxit Psalmographus: QVONIAM rectus dominus noster, & non est iniquitas in eo. Bonum annunciare, inquit, mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Diu & noctu, inquit, oportet Deum laudare. Hoc enim est illud, Mane & per noctem. Et hæc quidē prima psalmodia.

## QVID SIGNIFICANT IN PRINCIPIIS SACRIFICII quæ canuntur prophetica. Caput XVIII.

SEcunda autem psalmodia ipsum regnum laudat, & decorem, & potentiam filij Dei, quæ ex exinanitione & paupertate ei accessit. Sed quis est hic vsus horum verborum propheticorum, & quidnam significant seruatoris susceptæ carnis œconomiæ? Principia eius præsentiæ, quando aderat quidē, sed non cognoscebatur à multis, quando in mundo erat, & mundus ipsum non cognouit, tempus quod fuit ante Ioannem, prius quā accensa esset lampas. Tunc enim

enim ei adhuc opus erat dictis propheticis. Postea autem apparuit ipse qui prædicebatur, & non erat amplius ipsi prophetis opus, sed præsentem ipsum ostendit Ioannes, & ante Ioannem ipse pater. Propterea, OMNES, inquit, prophetæ prophetarunt vsque ad Ioannem. Hoc ergo tempus, quod fuit ante Ioannem, significant prophetica quæ canuntur, quando etiam preciosa dona, per quæ Christus significatur, nondum in medium adducuntur, sed seorsum coperta reposita sunt. Et hæc quidem sic. Ipsa autem psalmi verba consideremus. DOMINVS regnauit, decorem indutus est. Cognitionem qua ipsum cognorunt homines, & ei subiecti fuerunt, regnum appellauit, quando & decorum, & pulchrum, & potentem eum cognouerunt, vt nosse oportebat. Hoc est illud seruatoris, DATA est mihi omnis potestas in cælo, & in terra, quia cum ijs qui sunt in cælo, etiam ij qui sunt in terra, verum dominum agnouerunt. Nam & si quis ea quæ deinceps sequuntur percurrat, eadem omnia inueniet. Regni itaque & potestatis modum narrans propheta, dicit: ETENIM firmauit orbem terræ qui non commouebitur, firmamentum fidem dicens. Stare fecit eos qui errore commouebantur, & sibi colligauit. talis est enim: qui errat, minimè stare potest. Dominus autem, Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes ipsos in nomine patris & filij & spiritus sancti, quod est doctrina fidei. Sed non sufficit hoc regnum, fides: neque perfectè subiectæ fuerint gentes hoc modo. Propterea cum eo etiam mandatorum obseruationem oporteret adiicere: propheta quidem, TEstimonia, inquit, tua credibilia facta sunt valde. Dominus autem, ei quod de baptismo dixit, de mandatis quoque sermonem adiecit, dicens. DOCENTES eos seruare quæcunq; mandaui vobis. Quæ enim seruator mandata, propheta vocat testimonia. & hæc vbique in scriptura inuenies, testimonia Dei leges appellante. Post hæc, DOMVM decet sanctificatio domine. Sanctificationem vocans sacrificia, dona, omnem cultum qui Deo debetur, qui dicens decere domum Dei, ostendit non esse vacuam domum Dei, neque deo destitutam, sed ipsum in seipsa habere domus dominum. Si enim ea Deo esset vacua, non decerent eam illa quæ soli Deo conueniunt. Hoc autem etiam dominus ijs quæ dicta sunt adiecit, pollicitus se semper futurum cum ecclesia. Ecclesiam autem, domum Dei viuentis vocat Paulus. Dicit enim, VT scias quomodo oportet in domo Dei versari, quæ est ecclesia Dei viuentis. ECCE ego vobiscum sum: & quod ille, IN lõgitudinem dierum dixit, Dominus dicit, OMNIBVS diebus vsque ad consummationem seculi. Et hæc quidem psalmodia est adeò exacta prophetia eorum quæ per crucem & mortem à seruatore gesta sunt.

## INTERPRETATIO TERTIÆ ANTIPHONÆ. Cap. XIX.

QVæ autem sequitur, videtur esse quidam occursus, tanquam domino iam accedẽte & apparente: & ideo in ingressu euangelij & ostensione ponitur & canitur, per quam Christus significatur. Quòd autem Christi apparitionem ante oculos animæ habens propheta, hanc cecinit psalmodiam, maximè quidem ostenditur ex gaudio & lætitia, qua ea de causa ipse plenus videtur, & alios omnes vocat ad societatem: Venite exultemus domino. Non poterat enim homo gaudere, nisi dominus cum eis versaretur, quia solus Christus nobis gaudium attulit: & si quis antequam ille in terram veniret, gauisus est, in ijs quæ ad illum pertinent, initiatus, gauisus est. Sicut Abraam exultauit, inquit, vt videret diem meũ, & vidit, & gauisus est. Et ipse Dauid, REDDE mihi lætitiam salutaris tui. Quam enim habebat lætitiam in Christo antequàm peccaret, eam per peccatum amissam vt reciperet Deum orauit. Quemadmodum ergo si dixisset, Venite & illuminemus, lucis præsentiam significasset: ita cum dixit, VENITE exultemus domino, ostendimus eum apparuisse qui affert lætitiam. Deinde etiam seruatorem hunc dominum appellat. Seruatorem autem, & salutem, & salutare Christum vocat scriptura, & ex diuinis personis solus filius fuit nostræ salutis opifex, & per seipsum vniuersum effecit, queadmodum dixit Paulus: PER seipsum purgationem faciens peccatorum nostrorum. Quod etiam ipse ostendit exemplo boni pastoris, qui non misit qui ouem perditam quærerent, sed ipse quæsiuit, & inuenit, & sustulit, & in humeris gestauit. Propterea etiam cognomen sortitus est, quod rei conueniret, appellatus Iesus. PRÆoccupemus faciem eius in confessione, faciem apparitionem eius dicens: ne expectemus eum videre cùm domi fuerit, obuiam eamus in confessione, scilicet glorificatione. ET in psalmis iubilemus ei. Deo conuenientem ei reddamus honorem. Ipse quidem in serui forma esse elegit, nos autem dominũ ne ignoremus, & carne offendamus, ne eo adducamur, vt vilia & abiecta de excelso, animo concipiamus, propter id quod apparet. QVIA Deus magnus dominus, & rex magnus super omnem terram, qui in hac carne tegitur. & quæ deinceps se-

quuntur omnia Deo conuenientia adiicit. Et sunt eiusmodi quidem Prophetica, & opportunè canuntur.

## DE OSTENSIONE EVANGELII ET DE hymno Ter sancti. Caput XX.

HIs autem peractis, Sacerdos stans super altare, in altum tollit Euangelium, & ostendit, Domini ostensionem significans, quando cœpit multis apparere. Per Euangelium enim Christus significatur, quemadmodū & Prophetici libri dicuntur Prophetæ, quemad. modū diuiti ab Abraham dictū est: Habēt Mosen & Prophetas. dicebat autē libros. Quia au tem eo qui prædicitur ostēso, & per seipsum apparente, verbis Prophetarū nemo vult attēdere, propterea ostenso Euangelio cessant prophetica. Canimus autem si quid est noui testamenti. Vel enim sanctissimam Dei matrē, vel alios sanctos laudamus, vel ipsum Christū canticis celebra-mus, propterea quòd nobiscū versatus est, vel ob ea quæ dum nobiscū versaretur passus est vel fecit. Propter quæ ecclesia diem festum semper celebrat. Deinde etiam ipsum vt trinitatē Deum decantamus, qualem ipsum esse nos docuit Seruatoris apparitio. Hic autem hymnus, ab angelis quidem dictus est, acceptus est autem ex libro Psalmorum sanctorum prophetarum. Collectus est autem à Christi ecclesia, & trinitati dedicatus: Hoc enim, Sanctus, quod ter canitur, est an-gelorum: illud verò, Deus & fortis & immortalis, est beati Dauid, vbi dicit, Sitit anima mea ad Deum fortem viuum. Hæc autem suscepisse & illis coniunxisse, & supplicationem adiecis-se, dico autem illud Miserere nostri, est ecclesiæ eorum qui trinitatem vnum Deum & sciunt & prædicant: partim vt ostendatur veteris testamenti cum nouo conuenientia: partim autem, vt Angeli, & homines fiant vna ecclesia & chorus vnus, per Christi aduentum qui est superce-lestis & terrenus. Propterea, post quam est ostēsum & allatum Euangelium, hunc hymnum ca-nimus, propemodum clamantes, quòd is nobiscum versatus, nos statuit cum angelis, & in illo choro posuit. Et hæc quidem hoc modo.

## DE ORATIONE IN HYMNO, ET DE sacris acclamationibus. Caput XXI.

SAcerdos autem ante hanc laudationem, Deo supplicat vt hymnum suscipiat, & laudato-ribus gratiam retribuat. Et quamnam gratiam? hymno conuenientem, vt sanctificet ipso-rum animas & corpora, data peccatorum venia, vt eum in sanctitate colant omnibus diebus. Et causam adiicit: QVIA sanctus es, & in sanctis requiescis. Verè enim sancti est delectari sanctis & sanctificare. Et cum hoc exclamauit, & glorificationem adiecit, cantan-di hymni ter sancti sacro populo hoc veluti signum proponit: & cum ipsi, vt mos est, glorifica-tioni Amen subiecerint, hymnum incipiunt. Post hymnum autem, Sacerdos iubet omnes non socorditer & negligenter stare, sed ea quæ fiunt & canuntur attendere. πρόσχωμεν enim, quo vocabulo vtuntur, idem est quod, Mentem adhibeamus. Deinde precatur pacem omnibus, & sapientiam in memoriam reuocat, cum qua oportet ad mysteria accedere & mentem adhibe-re. Quænam est autem sapientia? Cogitationes mysterio conuenientes, cum quibus oportet au-dire & videre ea quæ fiunt & dicuntur eos qui fide pleni sunt, qui nihil habent humani. hoc est enim Christianorum sapientia, & hoc sibi vult Sapientia, quæ in multis locis sacrificij fide-libus acclamatur à Sacerdote, harum scilicet cogitationum recordatio. Ita enim nos inuicem admonemus & in memoriam reuocamus, integram cogitationem vno verbo in auditorum animis renouantes. Quid autem hac in mentem reuocatione opus est? Magna est obliuionis ty-rannis & nulla humana affectio tam frequenter & tam facile hominem subuertit, vt hæc af-fectio. Quia autem cum conuenientibus cogitationibus necesse est stare & mysterij esse parti-cipes, & sacrarum eius auditionum & contemplationum, nisi eis frustra sumus interfuturi & tempus consumpturi, hoc autem non est facile: propterea opus est quidem ipsos à nobis ip-sis excitari & esse sobrios: opus est autem externa admonitione, vt nostram mentem ab obli-uione assiduè surreptam, & ad vanas curas attractam, possimus recipere. Hoc etiam sibi vult canticum quod canitur, dum preciosa dona ad altare afferuntur. OMNEM, inquit, de victu solicitudinem deponamus. Et hæc quidem hoc verbum significat. Hæc quoque acclama-tio, Recti, habet adhortationem. Quæ est autem adhortatio? Vult nos esse certamini intentos, qui ad Deum & diuina mysteria accedimus: & non socorditer, sed cum studio & diligentia, omnique

omnique reuerentia in eis versari, siue videre, siue dicere, siue audire aliquid ex sacris oportebit: & hoc primum signum ostendere huius studij & reuerentiæ, corporis erectionem, vt non sedentes, sed recti hoc agamus. Talis est enim habitus & figura supplicum, talis habitus seruorum, qui ad nutum Dominorum omnem mentem erectam habent, vt statim ad ministerium, postquam iussum arripuerint, recta currant: nos autem sumus Deo de maximis supplices & omni seruitutis genere serui. Et horum quidem verborum hæc est ratio.

## DE LECTIONE SCRIPTVRARVM, ET ordine earum, & significatione. Cap. XXII.

Post ter sanctum hymnum, legitur liber Apostolicus. Deinde Euangelium, hymno prius Deo ab ecclesia cantato. Cur autem ante lectiones sacrarum scripturarum, Deum laudamus? Quòd in omnibus oportet hoc facere, quibus ille nos perpetuo donat, maximè autem propter assecutionem magni alicuius boni, quale est diuinorum eloquiorum auditio. Sed in Apostolo quidem, hymnus cum supplicatione. Additur enim illud, Miserere. In Euangelio autem puram à supplicatione facimus hymnodiam, vt sciamus quòd Christus per Euangelium significatur, quem qui inuenerint, ijs omne quod quæritur est in manibus. Etenim intus est sponsus, & non opus est eis de vlla re supplicare, cum omnia habeant. Sicut nec consentaneum ieiunare filios sponsi, quandiu est cum eis sponsus, sed eum tantum venerari & laudare, quandoquidem & Angelorum hymnus, qualem ipsum Prophetæ docent, propter eandem rationem, solum hymnus est ab omni supplicatione liber. Sed quid sibi vult hic sacrarum literarum lectio? Si vis quidem vsum scire, dictum est. Nos enim præparant & prępurgant ante magnam mysteriorum sanctificationem. Sin autem quæris significationem, Domini manifestationem significant, qua manifestatus est paulatim post ostensionem. Primum enim ostenditur complicatum Euangelium, quod Domini apparitionem significat, per quam ipsum tacentem Pater ostendit, quando ille nihil loquens prædicatoris voce opus habuit. Hæc autem perfectiorem manifestationem significant, per quam publicè cum omnibus conuersabatur, & seipsum docebat, non solū ex ijs quæ ipse dicebat, sed etiā ex iis quæ docuit Apostolos dicere, MITTENS eos ad oues quæ perierant domus Israel. Propterea leguntur quidem literæ Apostolicæ, legitur autem ipsum quoque Euangelium, CVR non ergo primum Euangelium? quia perfectioris manifestationis signa sunt, quæ per ipsum Dominum, quam quæ per Apostolos dicuntur. Quia autem non repente, & vno simul tempore apparuit hominibus Dominus quanto erat robore, & quanta bonitate: hoc enim est secundi eius aduentus: sed via procedens, ab eo quod est minus apertum, ad id quod est manifestius processit. ea de causa eos qui eius ostensionem paulatim fuisse factam volunt ostendere, Apostolica legere ante Euangelia est consentaneum. Propterea enim etiam quæ perfectam eius ostensionem significant, vltima seruantur, vt manifestum erit in ijs quæ consequuntur.

## DE PETITIONIBVS POST EVANgelium. Caput XXIII.

Postquam autem lectum est Euangelium, iubet Diaconus populum orare. Orat autem intus ipse Sacerdos per se, vt preces illorum à Deo suscipiantur. Deinde cum Deum magna voce glorificauit, ipsos quoque socios & participes glorificationis accipit. Quámnam autem orationem ab omnibus fieri maximè conuenit post Euangelium, nisi pro ijs qui seruant Euangelium, qui imitati sunt benignitatem & humanitatem Christi, qui per Euangelium significatur? Et qui sunt hi? Præsules ecclesiæ, Populorum pastores, qui remp. ordinant. Hi enim, si seruant quod professi sunt, quæ illic scripta sunt pulchrè seruant & docent, & quod deest Christo, vt censet Apostolus, adimplent: post illum, illius gregem illi conuenienter pascentes. Præterea autem etiam sacrarum domorum extructores & curatores & virtutis doctores, & si vlli quomodocunque communi ecclesiæ & sacris sunt vtiles, ad eum numerum referuntur, & communes preces assequi digni sunt. Ad sacrificium autem iam processurus, cui nefas est interesse eos qui non sunt mysterijs initiati, quos nos catechumenos adhuc vocamus, quòd ad auditionem vsque & quantum doctrina solum licuit, Christianismum susceperunt, eos eijcit ex choro fidelium, lecta prius pro eis oratione. Oratio autem est, vt ipsi perficiantur, tempus baptismi assecuti. Causa autem orationis, est Dei gloria. VT & ipsi, inquit, nobiscum glo-

rificent omni ex parte venerandum & magnificum nomen tuum. Quam postquàm etiam tanquam glorificationem inclamauit, & fidelium populum glorificationis participem accepit, aliam facit orationem, in qua primum quidem Deo agit gratias, quòd dignus omnino habitus sit coram eo stare & manus ad eum tollere pro se & alijs. praeterea orat vt dignus semper habeatur hoc facere cum pura conscientia. Causa autem huius quoque orationis est Dei gloria. QVONIAM te decet, inquit, omnis gloria: & ita postquàm pro more cum populo glorificauit, rursus apud se orat pro seipso & populo, vt seipsum quidem sanctae mensae non condemnandum exhibeat, purum ab inquinamento carnis & spiritus: eos autem qui vnà precantur, fideles, vt esse mysteriorum participes digni habeantur, absque reatu & condemnatione, & praeterea caelorum regno digni habeantur. Et orationis rursus causa est Dei gloria, in quam omnia facere iubet Paulus, dicens: OMNIA in gloriam Dei facite. Hic sit, inquit, nobis semper scopus, Deum glorificare. Agricolae laborum sibi finē proponunt, fructuum productionem, propter quos lubenter laborant: mercatores autem lucrum, & alij aliud. Vos autem in omnibus quae facitis, gloriam Dei quaerite. Serui enim sumus, hoc Domino debentes ministerium, vt qui pro ipso & ab initio conditi sumus, & postea empti: propterea inuenies ecclesiam, Dei gloriae vbique curam gerere, & hoc verbū susque deque clamare, & eam per omnia laudare, & eam omnia existimare, & ad eam omnia facere, orationes, preces, mysteriorum seu sacramentorum celebrationes, adhortationes, quicquid sacrum. Et haec quidem hoc modo.

## DE INTRODVCTIONE SACRORVM DONORVM ad altare. Cap. XXIIII.

SAcerdos autem, postquàm cum clamore Deum glorificauit, venit ad dona. & cum ea in caput valde honestè & reuerenter sustulit, egreditur: & sic ea ferens, ducit ad altare, de industria circunducens in templo propter populum, quietè & pedetentim. Ipsi autem cadunt, & genua cum omni reuerentia & religione inflectunt, rogantes vt eorum sit memor in donorum oblatione. Ipse autem procedit comitatus lampadibus & suffitibus, & ita se habēs, altare ingreditur. Haec autem fiunt quidem ad vsum. oportebat enim afferri & in altari reponi dona quae sunt sacrificanda, idque cum quàm maximo fieri potest honore & reuerentia. Ita enim introducebantur dona Dei, quandoquidem & reges, cùm oporteret ipsos dona offerre, rem non alijs committebant: sed ipsi per seipsos ferentes, ea coronati introducebant. Possunt autem haec etiam habere significationem vltimae Christi ostensionis, per quam maximè Hebraeorum inuidiam accendit, quando etiam profectus est via quae ducit à patria in Hierusalem, in qua oportebat eum sacrificari, quando & in asino vectus, vrbem ingressus est, à multis deductus, & canticis celebratus. Oportet autem etiam tunc ad sacerdotis genua procidere, & orare vt in illis orationibus nostri meminerit. Neque enim est alius modus supplicationis qui tantum posit, & qui magis firmam & stabilem nobis spem praebeat, quàm qui fit per hoc venerandum sacrificium, quod impietates & iniquitates mundi gratis purgauit. Si qui autem eorum qui sacerdote cum donis ingrediente humi procumbunt, tanquam corpus & sanguinem Christi, dona quae deferuntur adorant & alloquuntur, ab ingressu praesanctificatorum donorum decepti sunt, ignorantes differentiam huius & illius sacrificij. Hoc enim in ipso ingressu non sacrificata habet dona, & nondum perfecta: illud autem perfecta & sanctificata, & corpus & sanguinem Christi. Et haec quidem sic habent.

## DE PRECIBVS POST PRECIOSORVM DONORVM introductionem, & praeceptis sacerdotis ad populum. Cap. XXV.

SAcerdos autem dona quidem ponit super mensam. Ipse autem, vt qui iam versetur in mysterij celebratione, & venerandam sit hostiam contrectaturus, adhuc seipsum componit, & per preces purgat, & ad sacrificium praeparat, & non solum seipsum, sed circunsistentem etiam multitudinem praeparat, & disponit ad gratiam oratione, & inter se inuicem dilectione, & fidei confessione. In his autē consistit vniuersa praeparatio, quam dominus iussit dicens, ESTOTE parati. Hic enim fides, & opera: fides quidem, quae apparet per confessionem. opera autem per charitatem, quae est finis omnis boni operis, & summa omnis virtutis. Sed haec quidem paulopost. Ante haec autem fideles qui circunsistūt orare iubet pro ijs pro quibus tunc orare oportet. PRO propositis, inquit, donis orate dominum. Pro eo quod est propositum

situm Deo supplicemus,vt dona sanctificentur, & ad finē perducatur quæ fuit ab initio propositio. Deinde cum alia etiam adiecit pro quibus oportet Deum orare, & tandem cū seipsos, & inter se inuicem, & totam suam vitam Deo iussit commendare: deinde cùm ipse quoq; vltimam orationis partem, quam apud se ad Deum fecit, audientibus omnibus, vt mos est, alta voce clamauit, & glorificauit, & ipsos glorificationis participes accepit, postea pacem omnibus inter se inuicem precatur & suadet. Postquàm enim dixit, PAX omnibus, subiungit: DILigamus inuicem. Quoniam autem pro se inuicem precari, est præceptum Apostolicum, propterea populus quoque ei ipsam pacem precatur, dicens, ET cum spiritu tuo. Quia autem nostram inter nos inuicem dilectionem etiam amor Dei, Dei autem dilectionem, fides in eum perfecta & viua consequitur, propterea qui dixit dilectionem, & se inuicem diligere hortatus est, statim introducit confessionem fidei: VT in concordia, inquit, confiteamur. Et fideles clamant quem confiteri oportet, Deum, sanctam trinitatem.

## DE CONFESSIONE FIDEI, ET DE IIS QVÆ post ipsam sacerdos fidelibus suadet, & precatur, & de iis quæ illi ipsi respondent. Cap. XXVI.

DEinde sacerdos adhuc iubet omnes dicere quæ de Deo didicerunt, & credunt, verā sapientiam de qua dicit Apostolus: SApientiam autem loquimur inter perfectos. quā sapientiam mundus non cognouit, scilicet mundi sapientes, & qui sensilium cognitione nihil maius nec altius norunt, neque omnino esse credunt. In hac sapientia iubet omnes portas aperire, ora nostra, aures nostras. IN hac, inquit, aperite sapientia, eadem assidue, & dicentes, & audientes, & hoc non socorditer, sed diligenter facite, & attendentes vobis ipsis. Ipsi autem omnem exclamant confessionem, fidei symbolum. Deinde sacerdos, STEMVS rectè, stemus cum timore. In hac, inquit, confessione stemus, nec propter aptum ad persuadendū Hæreticorum sermonem moueamur. Stemus cum timore: quia magnum est periculum iis qui dubitationem aliquam de hac fide in anima susceperunt. Ita autem firmiter in fidem stātibus, inquit, etiam donorum nostrorum ad Deum oblatio secundum rationem fiat. Quid autem secundum rationem? IN pace attendamus, inquit, sanctam oblationem in pace offerre. Recordemini enim verborum domini: SI offeras munus tuum, & recordatus fueris quòd habet quispiam aliquid aduersus te, primum reconciliare, deinde accedens offer munus tuum. Fideles autem respondent, Offerimus non solum cum pace, sed etiam ipsam pacem loco muneris & alius sacrificij. Misericordiam offerimus ei qui dixit, Misericordiam volo, & non sacrificium. Misericordia autem est fœtus firmæ & puræ pacis. Quando enim animam nulla perturbat affectio, nihil vetat quominus ea sit plena misericordia, & sacrificio laudis. Hæc autem postquàm dixerunt, precatur sacerdos quæ sunt omnium diuinissima & maxima. GRATIA domini nostri Iesu Christi, & dilectio Dei, & patris & communicatio sancti spiritus, sit cum vobis omnibus. Et ipsi etiam eadem pro sacerdote orantes: ET cum spiritu tuo, ad eum respondent, conuenienter præcepto quod iubet pro se inuicem orare. Hæc autem oratio sumpta quidem est ex epistolis beati Pauli. Postulat autem nobis à sancta trinitate bona, omne donū perfectum: & hæc ab vnaquaque ex beatis personis proprio quodam nomine appellat. A filio quidem, gratiam: à patre verò, dilectionem: à sancto autem spiritu, communicationē. Quia enim filius iis qui nihil contulerant, sed etiam adhuc debendi rei erant, seipsum nobis seruatorem præbuit: etenim, CVM impij adhuc essemus, inquit, pro nobis mortuus est, eius nostri cura, gratia est. Quia autem pater per passiones filij humano generi reconciliatus est, & dilexit inimicos, propterea ea quæ ille in nos fecit, appellatur dilectio. Quia autem amicus ex inimicis effectus oportebat eum qui diues est in misericordia propria bona communicare, hoc facit spiritus sanctus qui venit ad Apostolos. propterea illius in homines benignitas communicatio dicitur. Sed dixerit quispiā, hæc omnia bona, cùm aduenit seruator, hominibus data esse: quid est ergo adhuc opus oratione pro bonis quæ iam data sunt? Clarum est, quòd ne ea accepta amittamus, sed ea perpetuo habeamus: & ideo non dixit, Dentur vobis omnibus, vt quæ iam data erant, sed sint cum vobis omnibus. Non recedat, inquit, à vobis gratia quæ data est. Postquàm autem eos eiusmodi oratione dignatus est, & sic animas erexit, cogitationes eorum à terra extollit, & dicit: SVRSVM corda habeamus. Quæ supra sunt cogitemus, non quæ in terra. Illi autem consentiunt, & dicunt se illic corda habere vbi est thesaurus noster, vbi est Christus in dextera Patris sedens. HABEMVS ad dominum.

## DE SANCTIFICATIONE DONORVM, ET QVÆ eam præcedit, gratiarum actione. Cap. XXVII.

Qui autem pulcherrimè & sanctißimè sic affectus est, quid restat nisi vt ad gratias agendas conuertatur Deo, qui bona omnia suppeditat? maximè primum sacerdotem imitans, Deo & patri gratias agentem, antequam daret sacramêtum communionis. Ipse etiam ante orationem mysterij, per quam sancta consecrat, hanc gratiarum actionem fundit ad Deum & patrem domini nostri Iesu Christi. GRATIAS agamus domino. & cũ omnes consenserint, &, Dignum & iustum est, dixerint, ipse Deo offert gratiarum actionem: & quam ipsum glorificauit, & cum Angelis laudauit, & gratias pro bonis omnibus egit, quæ ab æterno in nos contulit, & postremò arcanis eius, & quæ omnem sermonẽ, & rationem excedit, incarnationis meminit, deinde preciosa dona consecrat, & totum sacrificium peragitur. Et quomodo? Cum venerandam illam cœnam narrauit, & quomodo ipsam ante paßionem dedit sanctis suis discipulis, & quòd accepit calicẽ, & quòd accepit panem, & actis gratijs sanctificauit, & quòd dixit ea per quæ significauit mysterium, & cum ea ipsa verba dixit, deinde procidit, & orat, & supplicat, diuinas illas voces ipsius vnigeniti seruatoris nostri etiam in donis propositis applicans, vt suscepto eius sanctißimo & omnipotente spiritu, conuertatur quidem panis in ipsum preciosum & sanctum eius corpus, vinum autem in ipsum immaculatum & sanctum eius sanguinem. Hæc cùm orauit & dixit, vniuersum sacrificium peractũ & perfectum est, & dona sunt sanctificata, & hostia integra, & perfecta effecta est, & magna hostia & victima, quæ pro mundo mactata est, supra sacrã mensam sita cernitur. panis enim non amplius figura dominici corporis, neque donum ferens imaginem veri doni, neque ferens aliquem descriptionem ipsius seruatoris paßionum tanquam in tabula: sed ipsum verum donum, ipsum sanctißimum corpus domini, quod omnia illa verè suscepit, probra, contumelias, vibices: quod crucifixum, quod interfectum, quod sub Pontio Pilato pulchrum testimoniũ confessum est, quod colaphis appetitum, contumelijs affectum, sputa passum est, & fel gustauit. Similiter & vinum, ipse sanguis qui exilijt occiso corpore, hoc corpus, & sanguis qui ex spiritu sancto constitutus est, natus ex Maria virgine, qui sepultus est, qui resurrexit tertio die, qui ascendit in cælos, & sedet ad dexteram patris.

## VNDENAM SACRAMENTVM FIRMITER ET securè credimus. Cap. XXVIII.

Et quænam est fides? Ipse dixit, HOC est corpus meum, HIC est sanguis meus. Ipse etiã iußit Apostolis, & per illos vniuersæ ecclesiæ, hoc facere. HOC enim, inquit, facite in meam recordationem. Non iußisset autem facere, nisi esset potestatẽ daturus, vt possent hoc facere. Et quænam est potestas? Spiritus sanctus, quæ ex alto Apostolos armauit, sicut à domino ipsis dictum est: SEDETE in ciuitate Hierusalem, donec induamini virtute ex alto. HOC est opus illius descensus. Non enim semel descendit, deinde nos reliquit, sed est & erit semper nobiscum. Propterea enim eum misit seruator, vt nobiscum maneat in æternum. ET alium enim, inquit, aduocatum mittam vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt ipsum, nec cognoscit ipsum: vos autem cognoscitis ipsum, quia apud vos manet, & est in vobis. Is per manum & linguam sacerdotum mysterium peragit. Neque verò spiritum solum misit ad nos dominus, vt maneat nobiscum: sed ipse etiam pollicitus est se nobiscum mansurum vsque ad consummationem seculi: sed paracletus quidem adest inuisibiliter, quia ipse corpus non gestauit. Dominus autem & videtur, & contrectatur per veneranda & sacra mysteria, vt qui nostram naturã & susceperit & ferat in æternum. Hæc est sacerdotij potestas, hic est sacerdos. Etenim qui seipsum semel obtulit & sacrificauit, à sacerdotio non cessauit, sed perpetuum hoc sacrificij munus nobis obit, per quod etiam est aduocatus pro nobis ad Deum in æternum. Qua de causa ei dictum est. TV es sacerdos in æternum. Propterea nulla est fidelibus de donorum sanctificatione dubitatio, nec de alijs mysterijs, si secundum propositum & sacerdotum preces peragantur. Et hæc quidem hactenus.

DE IIS IN QVIBVS LATINI NOS REprehendunt, & ad reprehensionem responsio & solutio.
Caput XXIX.

Hic autem Latini quidam nostra reprehendunt. Dicunt enim post verbum Domini, Accipite, comedite, & quæ sequuntur, ad hoc vt sanctificentur dona, nulla amplius opus habere oratione, vt quæ à verbo Domini perfecta sint: propterea qui postquam hæc verba dixerint, panem & vinum nominant, & tanquam nondum sanctificatis precantur sanctificationem, præter id quòd infidelitate laborant, inquiunt, vanam quandam rem, & supervacaneam faciunt. Quòd autem hoc verbum quod dona perficit, beatus, inquiunt, Chrysostomus testatur, dicens, quòd quemadmodum opifex sermo, hic scilicet, CRESCITE, & multiplicamini, semel quidem à Deo dictus est, semper autem operatur: ita etiam hoc verbum semel à Seruatore dictum, perpetuo operatur. Qui ergo suæ orationi magis confidunt quàm verbo Domini, primum quidem eum accusant imbecillitatis. Deinde sibiipsis magis videntur confidere: & tertio, rem tantam, nempe sacramentum, à re dubia videlicet humana oratione, volunt pendere, & quod oportet firmißimè credere, efficiunt plenum dubitatione. Non enim necesse est eum qui orat, exaudire, etiam si sit virtute Paulus. Hæc autem omnia non est soluere difficile, & primum ab ipsis verbis diui Ioannis quibus nituntur. Si enim hoc verbum id potest quod sermo opifex, illud consideremus. Dixit Deus, Crescite, & multiplicamini. Quid ergo? Post illum sermonem nullo adhuc egemus, & nullo nobis alio opus est ad generis incrementum? an etiam matrimonio & coniunctione & alia cura opus est, & sine his fieri non potest, vt genus constet & propagetur? Ergo sicut illic ad liberorum procreationem matrimonium necessarium ducimus: & post matrimonium pro eo ipso rursus oramus, nec videmur opificem Sermonem habere despicatui, scientes ipsum quidem esse causam generationis, sed hoc modo, per matrimonium, per nutrimentum, per alia: ita etiam hic credimus ipsum esse quod operatur mysterium, Domini scilicet verbum, sed sic per Sacerdotem per eius interpellationem & orationem. Non enim per omnia simpliciter operatur, neque quomodocunque: sed multa sunt quæ requiruntur, sine quibus non faciet quæ sua sunt. De morte autem Christi, quis nescit eam esse solam, quæ peccatorum remißionem in mundum introduxerit? Sed illud etiam scimus, quòd post mortem illam etiam fide & pœnitentia & confeßione opus est, & Sacerdotum oratione, nec potest homo solui à peccatis nisi hæc præcesserint. Quid igitur? mortemne illam despicimus & eam impotentiæ condemnamus, quòd existimamus non sufficere quæ eius sunt, nisi etiam nostra ipsorum afferamus? Nequaquam. Neque ergo merito accusandi sunt qui orant vt dona perficiantur, quandoquidem nec orationi confidentes sibiipsis confidunt, sed Deo, qui se daturum est pollicitus. Contrarium enim postulat orationis ratio. Hoc est enim quod orationis causa est ijs qui orant, quòd sibiipsis non fidant de ijs quæ petuntur, sed credant se à Deo solo ea inuenturos. & hoc clamat is qui orat, dum seipso relicto ad Deum confugit, quòd suam condemnauit potentiam, & propterea vniuersum Deo permittit. Non est, inquit, hoc meum, neq; mearum virium, sed te indiget & tibi vniuersum committo: & maximè quando quæ sunt super naturam & omnem vincunt rationem, oramus, vt quæ sunt mysteriorum. tunc enim soli Deo confidere orantes omnino necesse est. Hæc enim neque potuisset homo cogitare, nisi Deus docuisset: nec desiderare, nisi ille suasisset: neque expectasset accipere, nisi qui à mendacio est alienus, eam spem dedisset. Quare nec pro ijs quidem orare ausus esset aliquis, nisi ipse certo ostendisset quòd ea vult peti & suppeditare iis qui ea prompte petunt. Propterea nec dubia est sic oratio, nec finem habet incertum, cum ipse Dominus per omnia ostenderit se velle dare. Propterea mysteriorum sanctificationem orationi Sacerdotis credimus, non tanquam alicui humanæ, sed tanquam Dei potentiæ fidentes. Non enim propter orantem hominem, sed propter Deum exaudientem: neque quòd ille rogauit, sed quòd veritas se esse daturam est pollicita. Quòd autem Christus ostendit se hanc semper velle nobis gratiam dare, ne dicere quidem opus est. Propterea enim in terram venit & sacrificatus est & mortuus, & propterea altaria & Sacerdotes & omnis purgatio, & omnia præcepta & doctrinæ & adhortationes, vt hanc nobis mensam apponat. Propterea illud etiam Pascha se desiderare dicebat, quòd hoc verum Pascha erat discipulis traditurus: propterea iußit, HOC facite in meam recordationem, quòd vult semper à nobis hoc sacrum fieri. Quæ ergo fuerit orantibus dubitatio de eo quod petitur, si accepturi sunt? quod hi quidem orant vt accipiant: qui autem dare potest, dare cupit. Ita qui sanctificationi donorum per orationem confidunt, nec Seruatoris voces despiciunt, nec à re dubia, huma-

na scilicet oratione, mysterium dependere oportere statuunt, vt Latini nos frustra criminantur. Nam etiam sanctißimum vnguentum, quod eiusdem esse ordinis cum diuina communione dicit Beatus, oratione peragitur, & sanctificatur. Quòd autem operando sacramento deseruiat & sanctificet, nulla est pijs dubitatio, & Sacerdotis & Pontificis ordinatio simili modo per orationem peragitur. Oremus enim, inquit, pro ipso, vt veniat in ipsum gratia sanctißimi spiritus: post impositionē manus, is qui ordinat ad clerum clamat, & in ea quæ fit in Latinorum ecclesia Pontificis ordinatione, postquam infudit vnguentum in caput eius qui ordinatur, qui ordinat, optat locupletem sancti spiritus gratiam in eum descendere. Peccatorum quoque remißio pœnitentibus datur per orationem Sacerdotum, & vltimum olei sacramentum similiter perficit Sacerdotum oratio, quod etiam corporalis morbi medelam & peccatorum remißionem dat ijs quibus peragitur, vt habet Apostolica traditio. Infirmatur enim aliquis in vobis, inquit, accersat Presbyteros ecclesiæ, & orent pro ipso, vngentes eum oleo, & oratio fidei seruabit laborantem, & suscitabit eum Dominus: & si peccata fecerit, remittētur ei. Qui ergo orationem in sacramentis reprobant, ad hæc quid dicent? Si enim est incertum quod fit à precibus, vt ipsi dicunt, incertum quidem est an id sit Sacerdos quod esse dicitur: incertum autem an vnguentum poßit sanctificare, & ita nec sacramentum quidem constare potest sacræ communionis, cum neque sit verè Sacerdos, nec altare. Neque enim verbum Domini ab idiota priuatáve persona dictum, efficiendi sacramenti vim ipsi habere dixerint, neque sine altari. Altare enim supra quod panis ponendus est, vnguento sanctificatur; quod quidem vnguentum precibus conficitur. Præterea autem peccatorum remißionem quis Sacerdos nobis certo dabit, si de eorum oratione dubitetur? Et nihil omnino aliud restat, quàm vt omnem Christianismum de medio tollant, qui eorum nouitates sequuntur. Videtur ergo quòd illis potius, si ita censent, in dubio virtus sita est, résque in magno periculo versatur ijs qui à paternis traditionibus & quæ in ijs est securitate, aliena excogitant. Quòd enim orationibus Deus annuit, & dat spiritum sanctum iis qui ipsum petunt, & nihil sit impoßibile iis qui cū fide ipsum rogant, ipse dixit Deus: nec vlla ratione fieri potest quin hæc vera sint. Quòd autē tale quid euenerit iis qui quidpiam ex eloquiis narrant, nusquam dicitur. Et oratione quidem sacramenta peragere, tradiderunt patres, qui ab Apostolis & qui eis successerunt acceperunt, & alia sicut dixi, & sacram Eucharistiam, post multos alios & magnus Basilius & Ioannes Chrysostomus magni ecclesiæ doctores, quibus qui contradicunt, eorum nullam rationem ducere oportet eos qui pij esse volunt. Quòd autem sermo Domini, qui de mysteriis in forma narrationis dicitur, sufficiat ad donorum sanctificationem, nullus neque Apostolus, nec doctor dixisse cernitur. Sed quòd semel à Domino dictus, eo ipso quòd ab illo dictus sit, sicut opifex sermo, semper operatur, & dicit etiam beatus Ioannes. Quòd autem nunc dictus à Sacerdote, eo quòd ab ipso dicatur, hoc possit, nullo ex loco sciri potest, quandoquidem nec ipse sermo opifex operatur, quòd in vnoquoque eorum quæ fiunt, ab aliquo homine dicatur, sed quòd semel à Deo dictus sit.

## QVOD ETIAM IN LATINORVM ECCLESIA, eodem quo apud nos modo, sacrum celebratur mysterium.

### Caput XXX.

Quod autem os eis omnino obstruit, est quòd etiam Latinorum ecclesia, ad quam se referre videntur, post verbum Domini, pro donis orare non recusat. Ii autem ideo falluntur, quòd Latini non statim post Domini prolatum sermonem orant, & quòd non apertè petunt sanctificationem & mutationem in corpus Dominicum, sed alijs vtuntur nominibus eo ferentibus, & quæ tantundē valent. Quæ est autē oratio? IVBE sursum ferri dona hæc in manu Angeli ad supercæleste tuū altare. Dicant enim quid hoc est, Sursum dona deferri. Vel enim, localem eis translationem precantur à terra & inferioribus locis in cælum, vel dignam aliquam & ab humilioribus ad altiora mutationem. Sed si primum quidem, quid hac nobis oratione opus est, vt à nobis tollantur sancta, quæ apud nos esse & in nobis manere & oramus & credimus? tanquam hoc sit esse Christum nobiscum vsque ad consummationem seculi. Quomodo autem non credunt, si hoc Christi corpus cognoscunt, quod & in nobis est & est supercæleste, & sedet ad dexteram patris? quo ipse nouit modo. Quomodo autē fuerit quod nondum est supercæleste, & sedet ad dexterā patris? quo ipse nouit modo. quomodo autē fuerit quod nondū est supercæleste ipsum corpus Christi, quod est supercæleste? Quomodo autē etiam sursum feretur in manu Angeli, quod super omnem principatum & potestatem & virtutem & omne

& omne nomẽ quod nominatur? Sin autẽ dignam aliquã & in melius mutationẽ orant, nõ video quomodo non sint insigni impietate futuri, si etiam ipsum esse Christi corpus cognoscunt, & ad melius quid & sanctius id venturum esse credunt. Vnde manifestum est eos omnino scire ea adhuc esse panem & vinum, quæ sanctificationem nondum susceperunt, & propterea pro ipsis quidem orant, vt quæ oratione adhuc indigent. Orant autem vt ea sursum ferantur, vt quæ adhuc inferius sita sint & ad altare, vt quæ nondum sint sacrificata, vt illic posita sacrificentur. Opus autem habent manu Angeli, nempe quòd secunda humanæ Hierarchiæ, vt vult diuinus Dionysius, à prima Angelorum Hierarchia auxilium feratur. Hæc oratio nihil aliud confert donis quàm mutationem in corpus & sanguinem Domini. Non enim locus super cælos Deo separatus, in quo oportet sacrificare, altare illud existimandum est. Ea enim ratione non multum differemus ab ijs qui in monte Samariæ dicunt esse locum vbi oportet adorare, vel Hierosolymis: sed quoniam, vt ait beatus Paulus, VNVS Deus, vnus etiam intercessor Dei & hominum Iesus Christus, omnia quæ intercedendi vim habent, & sanctificationem nobis præbent, solus est ipse Seruator. Quænam ergo sunt quæ intercedendi vim habent & sanctificant? Sacerdos, hostia, altare. Etenim & altare sanctificat, vt vult sermo Domini. ALTARE enim, inquit, quod donum sanctificat. Ergo quoniam solus ipse est qui sanctificat, solus fuerit Sacerdos & hostia & altare. Et quòd Sacerdos quidem & hostia, ipse dixit. PRO ipsis, enim inquit, ego sanctifico me ipsum. Quòd autem etiam altare, sanctissimus testatur Dionysius, dicens in libro de vnguento: Si enim est diuinissimum nostrum altare Iesus, diuina diuinarum mentium consecratio, in quo, vt vult eloquium, consecrati & mysticè tanquam holocaustum sacrificati oblationem habemus, supermundanis oculis aspiciamus ipsum diuinissimum altare. Ad hoc supercæleste altare orat Sacerdos dona sursum ferri; quod est sanctificari & in ipsum supercæleste Christi corpus mutari, nõ locum mutantia, & à terra translata in cælum, quoniam videmus ipsa adhuc apud nos esse, & post orationem nihilo secius. Quoniã enim altare sanctificat dona ei superimposita, idẽ est orare vt dona sanctificẽtur & in altari posita esse. Quæ est autem sanctificatio, qua altare sanctificat dona imposita, & quo ipse Sacerdos seipsum sanctificauit? Oblata esse Deo dona & sacrificata. Quoniam enim idem est & Sacerdos, & altare, & hostia, idem est ab illo Sacerdote sacrificatum esse, & in hostiam illam mutatum esse, & in illo supercælesti altari posita & dedicata esse. Propterea si cum aliquod horum trium receperis, ores, vniuersum oras, habes quod petis, perfecisti sacrificium. Vestri quidem Sacerdotes, tanquam hostiam Christum aspicientes, orant vt dona in illo ponantur; verbis diuersis & sermonibus vnam & eandem rem orantes. Et ideo nostri Sacerdotes, postquam orauerint vt dona in diuinum corpus & sanguinem mutentur, recordantes supercælestis altaris, non amplius orant vt dona ad ipsum sursum ferantur, sed tanquam ijs iam sursum latis & susceptis, orant vt nobis demittatur gratia & donum sancti spiritus. OREMVS, inquit, pro sanctificatis donis. Vt sanctificentur? Minimè. Sunt enim sanctificata, sed vt nos sanctificent, vt Deus qui ea sanctificauit, nos quoque per ea sanctificet. Clarum est ergo, quòd contemnere orationem pro donis post sermonem Domini, ne Latinorum quidem omnino est ecclesiæ, sed paucorum quorundam & recentiorum, qui ei quoque in alijs detrimentum afferunt, vt qui ad nihil aliud se tam opportunè gerunt, quàm ad aliquid nouum dicendum & audiendum. Et hæc quidem de oratione.

## QVANAM DE CAVSA SACERDOS AD DONORVM sanctificationem non filium, sed patrem inuocat. Cap. XXXI.

Sed quamnam de causa, non filium ad dona sanctificanda vocat sacerdos, cum is sit & sacerdos, & sanctificet, sicut dictum est, sed patrem? Vt scias quòd seruator habet illud, nẽpe sanctificare, non vt homo, sed vt Deus, per diuinam potentiam, quam habet communẽ cum patre. Hoc ipsum etiam volens dominus significare, quando peregit mysterium, in cælum aspexit, & patri panem ostendit. Ea de causa etiam nonnulla miracula ita videbatur facere sub specie orationis ad Deum, vt ostenderet non esse hæc humanæ naturæ, per quã habuit matrem in terra, sed suæ diuinitatis, per quam Deum habuit patrem. Porrò autem quãdo crucem erat ascensurus, volens significare duas voluntates, diuinam scilicet, & humanam, suæ quidẽ diuinitatis voluntatem patri attribuit, humanitatis autem voluntatem suam esse dixit. NON sicut ego volo, inquit, sed sicut vis, & nõ mea voluntas, sed tua fiat. Quòd enim ipse etiã hanc habuit voluntatem, quam patri impleuit, ex his ipsis etiam verbis manifestum est, in quibus

*videtur separare voluntatem suam à voluntate patris.* Hoc enim, NON *voluntas mea, sed tua fiat, est eius qui assentitur & vult eadem.* Id etiam ostendit, *quando* Petrum *increpauit, qui crucem eius & mortem deprecabatur: & præterea quando dixit,* DESIDERIO *desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam ego patiar.* Pascha, *inquit, ante passionem desideraui: propemodum dicens, Desiderio desideraui ipsa passionis videre vestibula. Et hæc quidem hactenus.*

## DE SACRIFICIO IPSO, ET QVID EST QVOD *sacrificium suscipit.* Cap. XXXII.

DE *ipso autem sacrificio operæprecium est illud quærere.* Quia *enim non figura sacrificij, neque sanguinis imago, sed verè est mactatio & sacrificium: quæramus quid est quod sacrificatur, panis an corpus domini, videlicet quando dona sacrificantur, prius quàm sunt sanctificata, an postea.* Et *si panis quidem est quod sacrificatur, primum quidem quodnam fuerit panis sacrificium.* Deinde *non est hoc nobis mysteriũ, videre panem mactatum, sed agni* Dei *qui sua morte tollit peccata mundi.* Sin *autem ipsum dominicum corpus sacrificatur, hoc certè ne fieri quidem potest.* Non *enim amplius occidi vel percuti potest, cùm iam ab interitu & corruptione alienum & immortale effectum sit.* Quòd *si fieri posset vt adhuc aliquid tale pateretur, oporteret esse & qui crucifigerent, & omnia alia conuenire quæ illud sacrificium effecerunt, siquidem non figura mactationis, sed vera mactatio esse ponitur.* Deinde *quomodo* Christus *semel est mortuus, & suscitatus, non amplius moritur: & semel passus est in consummatione seculi: & semel dicitur oblatus, vt multorum peccata offerret?* Si *enim in vnaquaque mysterij celebratione ipse sacrificatur, quotidie moritur.* Quid *ad hæc ergo dicendum est?* Sacrificium *neque antequàm panis sanctificetur, neque postquàm est sanctificatus peragitur, sed eo ipso tempore quo sanctificatur.* Sic *enim necesse est omnia quæ de eo creduntur conseruari, & nihil omnino excidere.* Quænam *autem ea sunt?* Sacrificium *hoc non esse imaginem & figuram sacrificij, sed verum sacrificium: non esse panem id quod sacrificatur, sed ipsum* Christi *corpus & præterea vnum esse agni sacrificium, & quod semel factum est.* Et *primum videamus an non figura, sed re ipsa sacrificium sit mysterij celebratio.* Quod *enim est ouis sacrificiũ, quæ ab eo quod non est omnino occisum, in occisum fit mutatio, hoc etiam hîc fit,* Panis *enim qui est insacrificatus, mutatur tunc in id quod est sacrificatum.* Mutatur *enim à pane non mactato, in ipsum corpus* Christi *quòd verè mactatum est.* Vnde *quemadmodum in oue mutatio, verè sacrificium operatur: ita etiam hîc propter hanc mutationem id quod peragitur, verum est sacrificium. mutatur enim non in figuram, sed in rem mactationis, in ipsum corpus* Christi *quod sacrificatum est.* Sed *si panis quidem manens fuisset sacrificatus, panis esset qui mactationem suscepit, & fuisset mactatio tunc panis sacrificium.* Quoniam *autem vtraq; mutata sunt, & insacrificatum, & panis: & factus est pro insacrificato quidem sacrificatus, pro pane autẽ corpus* Christi*: propterea mactatio illa non in pane, sed tanquam in subiecto considerata, corpore* Christi, *non panis, sed agni* Dei *sacrificium, & est, & dicitur.* Clarum *est autem quòd his positis, nihil necesse est multas fieri oblationes corporis domini.* Quia *enim fit hoc sacrificium agno non tunc occiso, sed pane mutato in agnum occisum, clarum est quòd fit quidem mutatio, sed non tunc fit occisio, & sic id quod mutatur quidem, multa, & mutatio sæpe: id autem in quod mutatur, nihil prohibet vnum & idem esse, sicut vnum corpus, ita etiam occisionẽ corporis vnam.* Et *hæc quidem de his.*

## DE ORATIONIBVS POST SACRIFICIVM, ET QVÆ*nam est oratio, propter quam hic meminit sanctorum, & precipuè sanctissimæ.* Cap. XXXIII.

SAcerdos *autem, peracto sacrificio, & pignus* Dei *benignitatis videns, agnum eius propositum, tanquam iam intercessore accepto, & secum habens aduocatum, notas facit suas ad* Deum *petitiones: effundit preces cum bona iam & firma spe: & quorum panes proponens meminit, & pro quibus preces in celebrandi mysterij præparatione fecit, & dona obtulit, & vt ea susciperentur, supplicauit, ea his iam susceptis, vt in opus exeant orat.* Quænam *autem sunt hæc?* Communia, *& viuis, & ijs qui excesserunt.* Vt *pro donis gratia demittatur à* Deo *qui illa suscepit: separatim autem defunctis quidem, animarum requiem, & regni hæredi-*

hæreditatem cum sanctis consummatis: Viuis autem, vt sint sanctæ mensæ participes, & sanctificentur, & nemo sit eius in iudicium vel condemnationem particeps: remissionem peccatorum, pacem, fertilitatem, rerum necessariarum suppeditationem, & postremo vt regno digni apud Deum appareant. Quia autem oblatio sacrificij, non solum versatur in supplicatione, sed etiam gratiarum actione, quemadmodum in procemio celebrationis mysterij, quando sacerdos tanquam dona Deo dedicat quæ offeruntur, & gratiarum actionem ostendit, & supplicationem: ita etiam nunc sacrificatis & perfectis donis, & per ea Deo gratias agit & offert supplicationem. & ponit quidem gratiarum agendarum causas, adiicit autē etiam supplicationis materiam. Et quænam sunt causæ agendi gratias? Sancti, sicut prius dictum est. In ijs enim ecclesia inuenit quod petebat, & quod orabat assecuta est, nempe regnum cœlorum. Quæ est autem materia supplicationis? Qui nondum sunt consummati, qui opus habent oratione. Et de sanctis quidem, PRÆTEREA offerimus tibi, inquit, rationabilē hunc cultum, pro ijs qui in fide prius requieuerunt, auis, patribus, patriarchis, apostolis, prophetis, euāgelistis, martyribus, confessoribus, continentibus, & quolibet spiritu in pace cōsummato, præcipuè autem sanctissima intemerata domina nostra Deipara, & semper virgine Maria. & deinceps enumerat omnem sanctorum cœtum. Hi sunt ecclesiæ agendarum Deo gratiarū causæ. Pro iis offert rationabilem hunc cultum, tanquam Deo gratiarum actionē, & præ cæteris omnibus pro beata dei matre, vt quæ omnem sanctitatem excedat. Propterea nihil pro eis orat sacerdos, sed potius eos orat, vt ab eis in orationibus adiuuetur. Quia non ad supplicationem, sed ad gratiarum actionem, vt dictum est, facit pro ipsis donorum oblationem. Post hæc affert etiam supplicationem, & enumerat ea pro quibus supplicat & precatur omnibus salutem, & si quod bonum est vnicuique congruens & conueniens. In quibus hæc etiam dicit, PRÆTEREA offerimus tibi rationabilem hunc cultum, pro orbe terrarum, pro sancta catholica & apostolica ecclesia, pro ijs qui in veneranda reipublicæ administratione versantur, pro fidelissimis & Christi amantissimis imperatoribus nostris. Et hæc orat. Et ita quidem beatus Ioannes duplicem sacri huius cultus habitum esse significans, gratiarum actionis & supplicationis, seorsum quidem ponit eos pro quibus agit gratias, seorsum autem pro quibus supplicat. Diuinus autem Basilius admiscet supplicationi gratiarum actionem. Et ita facit vbique in sacri mysterij celebratione. & omnes ferè eius orationes inueneris, quæ vtranque vim habent. Meminit autem etiam sanctorum, quorum & diuus Ioannes etiam in eodem loco sacrificij, sed non eodem modo. Postquàm enim orauit vt omnes digni habeantur cōmunione sacramentorum, non in iudicium, vel in condemnationem, subiungit: SED vt inueniamus gratiam cum omnibus sanctis qui tibi à seculo placuerunt, maioribus nostris, auis, patribus, patriarchis, & quæ sequuntur: deinde præcipuè sanctissima. Sed hæc quidem verba habent supplicationem: ostendūt autem etiam gratiarum actionem, & Deum generis benefactorem prædicat. Vbi meminit eorum hominum qui ab ipso sanctificati sunt, & consummati, propemodum dicens, Vt des nobis gratiam, quam sanctis prius dedisti: Vt nos sanctifices sicut & alios prius sanctificasti, qui sunt eiusdem generis nobiscum. Et de ijs quidem hæc sufficiant.

## DE IIS QVÆ SACERDOS PRO SE ORAT PRO sacris donis, & de ijs quæ iubet fideles orare. Cap. XXXIIII.

Sacerdos autem, postquàm omnibus ea quæ par est orauerit, etiā pro se orat vt à donis sanctificetur. Quanam sanctificatione? Vt accipiat remissionem peccatorum. Hoc enim est donorum principale officium. Et vndenam potest hoc sciri? Ex ijs quæ dominus dixit, apostolis panem ostendens: HOC est corpus meum quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Et in calice similiter, MEMENTO, inquit, domine etiam meæ indignitatis, & condona mihi omne delictum voluntarium & inuoluntarium. Et ne propter mea peccata prohibueris gratiam sancti spiritus à donis propositis. Remissionē peccatorum dat sanctus spiritus iis qui sunt donorum participes. Hæc, inquit, gratia in me ne prohibeatur ex donis propter mea peccata. Dupliciter enim dicitur gratia operari in preciosis donis. Vno quidē modo, per quem ipsa sanctificantur. Alio, per quem gratia nos per ipsa sanctificat. Primo ergo modo, in donis gratiam operari nullum potest humanum malum vetare. Sed quemadmodum eorum sanctificatio, non est humanæ virtutis opus: ita nec fieri potest vt eam hominum vitium prohibeat. Secundus autem nostro etiam studio & diligentia indiget. Nos enim gratia per dona sanctificat, si nos ad sanctificationem aptos & accommodatos ceperit. Sin autem in nos impa-

ratos inciderit, nec vllam vtilitatem attulerit, & plurimum etiam detrimentum damnúmq; dederit. Hanc gratiam, siue est solum remißio peccatorum, siue cum illa etiam aliud donũ datur, iis qui cum pura conscientia sacram hanc cœnam sumunt, orat sacerdos ne à donis prohibeatur, vt quæ poßit prohiberi per humanum vitium. Hanc facit orationem etiam paulopost cum vniuersa communiter multitudine. Postquàm enim omnibus concordiam precatus est, vt vno ore & corde Deum glorificent, sic quoque disponit annuncians misericordiam magni Dei & seruatoris nostri Iesu Christi. Deinde iubet eos rogare Deum, & ad eum facere illam orationem quam dixit, omnium sanctorum implorato auxilio: hoc enim, scilicet memoriam facere omnium sanctorũ, est inuocare, orare. Et quid dicit? OREMVS dominum pro donis sanctificatis: non vt ea sanctificationem suscipiant (propterea enim dixi ea sanctificata, ne tu hoc putares) sed vt ipsum nobis impertiant. hoc enim est, benignum & clementem Deum, qui ea suscepit, gratiam nobis vicißim remittere. OREMVS, inquit, pro donis, vt in nos operentur, ne ad hanc gratiam non sit potens, sicut quando cum hominibus versabatur hoc omnipotens corpus, in nonnullis ciuitatibus non poterat signa facere, propter eorum incredulitatem. Cùm autem hæc ad populum sic clamauit, deinde ipse quoque per se submisse orat de iisdem Deum precans, vt sint venerabilium mysteriorum participes cum bona conscientia, fruantur autem sacra mensa, peccatorum remißione, spiritus sancti participatione, regni hæreditate, & non in iudicium vel in condemnationẽ. Deinde postquàm precatus est omnibus Dei auxiliũ & custodiam, iubet etiam eos orare, vt totum diem, perfectum, sanctũ, pacificum, & sine vllo peccato transigant, habentes custodem angelum pacis, fidelem, propter angelum mendacij, cui nõ est tutum sua credere. Oramus autem pro bono angelo, non vt tunc nobis detur: datus est enim ab initio vnicuique fidelium angelus: sed vt operetur, & suo officio fungatur & custodiat, & nos ad viam diuinam deducat, & non abscedat succensens propter nostra peccata. ad hæc remißionem peccatorum, & omnia quæ sunt bona & vtilia nostris animabus, & mundo pacẽ, & præterea in futurum securitatem, in pace & pœnitentia transacto reliquo vitæ tempore, vt sit Christianus finis qui eis conuenit. deinde vt seipsos & inter se inuicem Deo commẽdent, & per totam eorum vitam vnitatem fidei, & sancti spiritus communicationem petentes. Quid autem sibi vult fidei vnitas, & sancti spiritus communicatio, & quam ob causam iis hîc indigemus, prolixè antè dictum est.

## DE ORATIONE A DEO TRADITA, ET INCLINAtione capitum, & gratiarum postea actione, & oratione ad Deum & glorificatione. Caput XXXV.

Sed cùm sic ipsos ædificauit, & ad bonum omni ex parte instituit & comparauit, tanquã iam perfectos & diuina adoptione dignos, Deum orat vt digni habeantur orationẽ illã cum ipso liberè facere, in qua audemus ipsum patrem vocare. Postquàm autem omnes illam cum eo dixerint, ipse cùm vltimam eius partem ad Dei glorificationem exclamauit, orationem concludit. Post hoc pacem precatur omnibus. Cùm autem eorum nobilitatẽ sic in mentem reuocauit, & patrem Deum vocauit, deinde etiam tanquam dominum iubet agnoscere, & quæ sunt seruorum in ipsum ostendere, & ei capita inclinare, & eo habitu seruitutem confiteri: & inclinant non solum tanquam natura domino & opifici & Deo, sed etiam serui empti ei qui emit precioso sanguine vnigeniti, pro quo etiam duplices seruos nos acquisijt, & filios suos fecit: etenim & seruitutem auxit, & maiorẽ reddidit, & adoptionem effecit vnus & idem sanguis. Omnibus autem capita inclinantibus, sacerdos apud se Deo gratias agens pro eorum quæ sunt creatione, precatur ea quæ sunt vtilia omnibus, mentionem faciens apud eum, & nominis vnigeniti & gratiæ eius & benignitatis, tanquam sic petita accepturus, vt ipse seruator professus est. OMNIA enim, inquit, quæcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Deinde adiecta glorificatione, audiente circunstãte multitudine, laudat sanctißimam trinitatem, & cùm eos glorificationis participes accepit, deinde rursus ad seipsum conuertitur, & submissa voce per se precatur. Orans autem vocat ipsum Christum victimam, sacerdotem, panem, vt ipse per se eum seruis communicet.

## DE IIS QVÆ SACERDOS CLAMAT AD POPVLVM sancta eleuans, & de ijs quæ illi vicissim ad eum clamant. Caput XXXVI.

Etiam ad mensam & ipse accessurus, & alios vocaturus, quoniam non absolutè omnibus sacramentorum communio est licita, ipse quoque non omnes vocat: sed viuifico pane accepto, & ostenso, eos qui dignè sunt ipsius participes futuri, vocat. SANCTA, inquit, sanctis, propemodum dicens, Ecce panis vitæ quem videtis. Accurrite ergo participes futuri, sed non omnes, sed si quis sanctus. Sancta enim sanctis solis permittuntur. Sanctos autem hic non dicit virtute perfectos, sed quicunque ad illam quidem tendunt perfectionem, sed nondum sunt assecuti. etenim eos nihil prohibet sanctorum effectos mysteriorum participes, sanctificari, & hanc partem esse sanctam, sicut & vniuersa ecclesia sancta esse dicitur. & beatus apostolus scribens ad vniuersum populum, FRATRES sancti, inquit, vocationis supercælestis participes. Sancti enim vocantur propter sanctum cuius sunt participes, & quo corpori & sanguini communicant. Membra enim illius corporis existentes, carnes ex carnibus eius, & ossa ex ossibus eius, donec ei coniuncti sumus, aptámque compagem & connexionem seruamus, viuimus, vitam & sanctificationem per sacramenta ab illo capite & corde trahentes. Postquàm autem abscissi fuerimus, & à sanctissimi corporis integritate exciderimus, frustra sacra mysteria gustamus: nec enim transmittetur vita ad membra mortua & abscissa. Quid est autem quod membra abscindit ab illo sancto corpore? PECCATA vestra, inquit, diuidunt inter me & vos. Quid igitur? Omne peccatum facit hominem mortuum? Nequaquam, sed id solum quod est ad mortem: & ideo etiam ad mortem dicitur. EST enim peccatum non ad mortem, vt vult beatus Ioannes, & ideo eos qui sunt mysterijs initiati, si non eiusmodi peccata peccent, quæ à Christo separant, & mortem afferunt, nihil prohibet mysterijs communicantes, sanctificationis esse participes, & propter rem & nomen, vt quæ sint adhuc viua membra, & capiti coniuncti sint. Et ideo cùm clamauit sacerdos, SANCTA sanctis, fideles contra exclamant: VNVS sanctus, vnus dominus Iesus Christus, in gloriam Dei patris. Nemo enim ex se habet sanctificationem, nec est humanæ virtutis opus, sed ex illo omnes, & per illum. & quemadmodum si multa specula sub sole posueris, omnia quidem resplendent, & radios emittunt, & videberis multos soles videre, verè autem est vnus sol qui fulget in omnibus: ita etiam vnus sanctus nihilo secius. IN gloriam patris. Deum nemo glorificauit ea quæ ipsi conuenit gloria. Vnde Iudæis exprobrans dicebat, SI Deus ego sum, vbi est gloria mea? Sed solus vnigenitus dedit ei gloriam quæ debetur. Quamobrem etiam cùm esset in passione, dixit patri: EGO te glorificaui in terra. Quomodo enim glorificauit? Non alia ratione quàm illius sanctificatione hominibus ostensa, sanctus apparens, sicut ipse est sanctus pater. Siue enim, tanquam huius sancti patrem, Deum intellexerimus, filij splendor est gloria patris: siue tanquam Deum propter humanitatem, est omnino gloria opificis, opificij dignitas vel virtus.

## QVID SIGNIFICAT AQVA CALIDA IN mysteria iniecta. Caput XXXVII.

Ita autem conuocatis ad sacram cœnam fidelibus, ipse primum est eius particeps, & quotquot sunt eiusdem ordinis, & quicunque sunt ministri altaris, aqua calida prius in calicem iniecta, ad significandum sancti spiritus ad ecclesiam descensum. Descendit enim tunc, vniuersa incarnationis Dominicæ peracta œconomia: nunc autem oblato sacrificio & consummatis donis, versatur cum ijs qui dignè fuerunt eorum participes. Vniuersa enim humanæ à Christo susceptæ naturæ œconomia, in sacro Eucharistiæ mysterio, in pane tãquam in tabula inscripto (nam & infantem ipsum, tanquam in figura contemplamur: & ad mortem ductum, & crucifixum, & in latere punctum: deinde etiam ipsum panem, in illud sanctissimum corpus, quod hæc verè sustinuit & resurrexit & assumptum est, & sedet ad dexteram patris, mutatum) oportebat etiam horum omnium finem posthæc significari, vt esset integra mysterij celebratio, vniuerso negotio, & incarnationis dispensationi fine effectúque adiecto. Quod est enim opus & quis effectus Christi passionum & operum & dictorum? Si quis ea, quod ad nos attinet, considerat, nihil aliud sunt quàm sancti spiritus in ecclesiã aduentus. Oportebat ergo eum post illa significari. Atque is quidem significatur aqua calida in mysteria infusa. Hæc enim

aqua, cùm & aqua fit, & ignis fit particeps, significat sanctum spiritũ, qui etiam aqua dicitur, & tanquam ignis apparuit, in Christi discipulos dilapsus. hoc autem tempus illud tempus significat: tunc enim descendit, postquam omnia quæ ad Christum spectabãt peracta erant. Nunc autem perfectus & consummatis donis hæc aqua immittitur. Per mysteria autem significatur ecclesia, quæ est corpus Christi & membra ex parte, quæ & tunc accepit spiritum sanctum, & postquam Christus in cælos assumptus est, etiam nunc accipit donum spiritus, susceptis donis in altari supercælesti, id nobis contra remittente Deo qui illa accepit, vt antea dictum est, quòd idem est intercessor & tunc, & nunc, & idem spiritus.

QVANAM RATIONE MYSTERIA SIgnificant ecclesiam. Caput XXXVIII.

Significatur autem ecclesia in mysteriis, non tanquam in signis, sed tanquam in corde membra, & in arboris radice ramus & sicut dixit Dominus, tanquam in vite palmites. Non enim est hic solum nominis communio, vel analogia similitudo, sed res eadem. Etenim corpus Christi & sanguis, mysteria: sed ecclesiæ hæc sunt cibus & verus potus: & eorum particeps effecta, non ea mutat in corpus humanum veluti aliquem alium cibum: sed ipsa in illa mutatur, vincentibus iis quæ sunt præstantiora. Nam etiam ferrum cum igne habens consuetudinem, fit ignis: non autem dat igni vt sit ferrum: & quemadmodum ferrum inflammatum, non ferrum, sed ignem apertè videmus, ferri proprietatibus omnino ab igne deletis: ita etiam Christi ecclesiam si quis videre potuerit, eo ipso quòd ei vnita est: & est eius carnis particeps, nihil aliud videbit quàm ipsum corpus Domini. Propter hanc rationem, VOS ESTIS CORPVS Christi, inquit Paulus, & membra ex parte. Non enim Christi in nos curam & prouidentiam, instructionémque & admonitionem, & nostram in eum subiectionem significare volens, illum quidem caput, nos autem membra appellauit, sicut & nos cognatorum vel amicorum membra vocamus, hyperbole vtentes: sed illud ipsum significans quod dicebat, fideles scilicet iã per hunc sanguinẽ viuentes in Christo vitã & verè ab illo capite dependentes, & hoc corpore indutos. Propterea non est à ratione alienũ hic ecclesiã per mysteria significari.

DE VOCATIONE FIDELIVM AD COMmunionem, & quæ ostensis donis dicunt fideles. Cap. XXXIX.

Sacerdos autem, postquam particeps fuit sanctificatorum, ad populum cõuertitur: & ostensis sanctis, vocat eos qui participare voluerint, & iubet accedere cum timore Dei & fide, neque contemnentes propter id quod apparet, neque dubitantes, quòd sit supra rationem id quod creditur: sed eorum dignitatem agnoscentes, & quòd sunt vitæ æternæ causæ iis qui illorum sunt participes, credentes accedere. Ipsi autem pietatem ostendentes & fidem, adorant & benedicunt, & Iesum qui in eis intelligitur vt Deum celebrant: & vt sit splendida glorificatio, ex verbis propheticis eam faciunt: BENEDICTVS qui venit in nomine Domini. DEVS Dominus & apparuit nobis. EGO VENI, inquit, in nomine patris, & non accipitis me. Siquis venerit in nomine proprio, illum accipietis. Hoc germani Domini, hoc vnigeniti, patrem laudibus afficere. Illud autem, est serui fugitiui arrogantia & defectio. Hæc cum sciuisset Propheta, & intellexisset, quidnam distinguit bonum pastorem à lupo, eminus benedicit venientem in nomine domini, Dominũ patrem dicens & eum qui apparuit eundem Deum esse dicit. Iisdem ipsi quoque verbis vtentes, tanquam nunc ad eos venientem & apparentem Christum benedicunt.

DE SACERDOTIS PRO EIS ORATIONE, quam effatur ipsis post communionem. Cap. XL.

Deinde iis qui fuerunt participes mysteriorum precatur Sacerdos à Deo salutem & benedictionem. Et quæ est oratio? SERVA Deus populum tuum & benedic hæreditati tuæ. Et hoc est verbum Propheticum, quemadmodum ipse etiã Propheta alibi dicit, DABO tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam fines terræ, tanquam à patre dictum filio. Quod enim tanquam Deus habuit ab initio, eius postea tanquam homo hæres factus est. Cur ergo, cum idem etiam nobis est opifex, nõ dicit, BENEDIC opera tua, quorum

rum tu es effector, sed hæreditatem tuam? Vt maiorem eis reuerentiam exhiberet, paupertatem quam pro nobis sustinuit, ei in mentem reuocans. Pro eo, inquit, te oro, quòd ipse sustinuisti esse cum seruus, & mandatum accipere & stare cum ijs qui accipiunt, cum omnia habeas: & appellari hæres, cui nihil est acquisitum, maximè cum perfectioris meminisse nostræ cum Christo necessitudinis, magis ipsum mouet ad misericordiam. Est autem hæreditas, multo creatione perfectior necessitudo. Multo enim amplius & melius nos possedit hæres effectus, quàm prius habuit cùm est fabricatus. Ex creatione enim, humanæ solummodo naturæ dominium obtinuit. Ex hæreditate autem, rationis & voluntatis Dominus constitutus est, quod est verè hominibus imperare. Illud enim est commune & iis quæ carent ratione & ijs quæ sunt inanimata. Omnia enim natura Deo subiiciuntur, vt quæ sint eius opera. Sed quomodo per hæreditatem, rationis & voluntatis constitutus est Dominus? Quia cùm in terram descendit, & crucifixus est, & resurrexit, ei nostram rationem subiecimus & voluntatem. Rationem quidem, quòd eum Deum verum cognouimus & vniuersæ creaturæ Dominum: Voluntatem autem, quia cum dileximus & eius dominium, & iugum eius cum gaudio humeris sustulimus. Ita Deus homines perfectè accepit, ita verè possedit. Hanc possessionem Esaias Propheta longè antè desiderans, dicebat, DOMINE Deus noster posside nos. Hæc est possessio & hæreditas, quam dicitur vnigenitus à patre accipere. Et talis quidē est oratio.

## DE GRATIARVM ACTIONE ET GLORIficatione quæ fit postea. Cap. XLI.

HIc autem vniuersum completur sacrificium, & diuinæ Eucharistiæ mysterium finem accipit. Nam & dona sunt sanctificata & Sacerdotem sanctificarunt, & omnem qui eum circunsistit chorum, & per ipsos reliquum ecclesiæ cœtum perfecit & sanctificauit. Propterea in Dei gratiarum actionem & glorificationem & ipse Sacerdos desinit, & qui eum circunsistunt fideles. Et ille quidem, BENEDICTVS Deus, inquit, nunc & semper & in secula seculorum. Populus autem canit procemium cantici acceptum ex dictis propheticis: IMPLEATVR os nostrum laude Domine, vt celebremus gloriam tuam. Non sumus, inquit, sufficientes, Domine, ne hymnum quidem & laudem tibi offerre, pro bonis quibus nos dignatus es. Sed tu hoc quoque nobis dona. Quónam modo? Implens os nostrum laude: & quemadmodum das orationem orantibus, vt sciamus quænam oportet & quomodo petere: ita etiam ad laudem tuam da ori facultatem. Deinde orant, vt quam acceperunt sanctificationem habentes permaneant & gratiam non perdant, nec donum amittant, ab eius manu adiuti. CONSERVA nos in sanctificatione. Quid agentes? Etenim ijs quoque quæ à nobis proficiscuntur opus est. TOTO die meditantes iustitiam tuam. Iustitiam dicentes, quæ in mysteriis consideratur, Dei sapientiam & benignitatem, quemadmodum Paulus accepit. NON enim erubesco, inquit, Euangelium Christi. Iustitia enim Dei in ipso reuelatur in omnes & super omnes credentes. Huius iustitiæ meditatio potest in nobis sanctificationem conseruare. Nam & fidem in Deum auget & charitatem accēdit, & nihil mali animam subire permittit. Non ergo frustra antè diximus, quòd sine cogitationibus quæ conueniunt mysterijs, fieri non potest vt in nobis constet & permaneat sanctificatio.

## DE IIS QVI DORMIERVNT, AN SANCTIFICENtur à mensa, sicut & ij qui viuunt. Cap. XLII.

HOc quoque præter ea quæ dicta sunt, necesse est examinare. Duobus enim modis sanctificare cernitur diuinum hoc & sacrum mysterium. Vno quidem modo, intercessione. oblata enim dona, eo ipso quòd offeruntur, eos qui offerunt sanctificant, & eos pro quibus offerunt, & Deum eis propitium efficiunt. Alio autem modo, participatione, quia fit nobis verus cibus & potus, vt dicit dominus. Horum modorum, primus quidem est communis viuis & mortuis. etenim pro vtrisque offertur sacrificium. Secundus autem modus solis viuētibus permittitur. mortui enim non possunt amplius comedere nec bibere. Quid igitur? Propterea nec sanctificantur hac sanctificatione quæ prouenit ex participatione, & deteriori sunt hac in parte conditione mortui quàm viuentes? Minimè. Nam & Christus ipsis seipsum communicat, eo modo quo ipse nouit. Et vt id fiat apertum, consideremus causas sanctificationis, an non etiam animæ mortuorū se habent, sicut & viuentium. Quænā sunt autē causæ sanctificationis? nunquid corpus habere, pedibus ad mensam currere, manibus sancta accipere, ore

sumere, comedere, bibere? Nequaquam. Ad multos enim qui hæc fecerunt, & ita ad mysteria
accesserunt, nulla rediit utilitas, & pluribus malis obnoxii recesserunt. Sed quænam sunt cau-
sæ sanctificationis iis qui sanctificantur, & quæ sunt quæ Christus à nobis exigit? Animæ pur-
gatio, in Deum dilectio, fides, desiderium mysterii, alacritas ad participationem, feruens appe-
titio, sitientes currere. Hæc sunt quæ hanc sanctificationem attrahunt, & cum quibus necesse
est eos qui accedunt esse Christi participes, & sine quibus fieri non potest. Sed hæc omnia non
sunt corporalia, sed dependent à sola anima. Nihil ergo prohibet etiam animas hoc posse mor-
tuorum, sicut & viuorum. Si ergo animæ quidem ad suscipiendum mysterium sunt paratæ &
promptæ: is autem in cuius est potestate sanctificare & perficere, vult semper sanctificare, &
seipsum semper impertiri desiderat: quid est prohibiturum hanc participationem? Nihil omni-
no. Ergo dixerit quispiam, Si quis etiam viuorum, bona quidem quæ dicta sunt in anima ha-
beat, ad mysteria autem non accedat, habebit illinc nihilo secius sanctificationem? Non quili-
bet, sed si quis non potest corporaliter accedere, sicut defunctorum animæ, quales fuerunt ii qui
in desertis errabant montibus & speluncis & foraminibus terræ, qui altare & sacerdotem
nullo modo videre poterant. Eos enim Christus ipse hac sanctificatione inuisibiliter sanctifica-
bat. Vndenam potest hoc sciri? Quòd vitam in se habebant, non habituri nisi huius essent sa-
cramenti participes. Ipse enim Christus dixit, NISI comederitis carnem filii hominis, & bi-
beritis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et vt hoc significaret, multis horum san-
ctorum misit angelos dona ferentes. Si quis autem cùm posset, ad mensam non accesserit, fieri
non potest vt quæ ex eis prouenit, sanctificationem assequatur: non quòd non accessit, solum-
modo: sed quòd cùm posset, non accessit. & propterea clarùm est, quòd bonis quæ debentur sa-
cramentis, vacuam habet animam. Quæ est enim ad mensam adeundam alacritas, & quod
desiderium in eo qui cùm facile potest ad eam accedere, non vult? Quænam est autem fides in
Deum apud eum qui non timet minas quæ in domini verbis sitæ sunt, aduersus eos qui hanc
cœnam contemnunt? Quomodo autem amare credetur, cui cùm liceat accipere, non accipit?
Propterea non est nouum, si animis à corporibus liberatis, quæ nullius huiusmodi vitii insimu-
lari possunt, hanc mensam Christus impertiit. Illud enim nouum est & admirabile, quòd ho-
mo qui in corruptione & interitu versatur, ab interitu alienum corpus comedat. Quòd autē
anima, quæ est immortalis substantia, sit eius quod est immortale particeps, modo sibi conue-
niente, quid mirum? Si autem hoc nouum & admirabile, per ineffabilem humanitatē & ar-
canam sapientiam, inuenit quomodo perficeret: id quod est probabile & consentaneum quo
modo non facere credetur?

## QVOD ANIMÆ EIVS QVI COMMVNICAT, FIT PRINcipaliter sanctificatio. Caput XLIII.

QVoniam autem iis etiam qui adhuc viuunt cum corpore, datur quidem donum per
corpus, sed primum peruadit in animæ substantiam, & per animam in corpus trans-
mittitur. Et hoc significans beatus Paulus, QVI adhæret, inquit, domino, vnus est
spiritus, vtpote quòd in anima primo & principaliter hæc vnio & coniunctio consistat. Illic
enim propriè dominus. Illic etiā sanctificatio quæ proficiscitur ex virtutibus & humano stu-
dio, & illud quod peccat. Corpori autem omnia fiunt ex anima: & quemadmodum à malis
cogitationibus, quæ ex corde exeunt, inquinatur: ita etiam illinc est ei sanctificatio, sicut quæ
à virtute, ita etiam quæ à sacramentis. Nonnullis autem morbi etiā corporales eueniunt, quo-
rum causa fuit animæ improbitas. Quod volens significare seruator, in liberanda à morbo a-
nima, quod est eam liberare à peccatis, à corpore infirmitatem depulit. Si ergo nec ad sancti fi-
cationis quidem susceptionem, habet anima opus corpore, sed illud ea potius, cur sunt magis
mysterii participes animæ quæ corpus habent, quàm quæ ab eo sunt liberæ? Quòd sacerdotem
vident, & ab eo dona sumant? Atqui illæ etiam habent æternum sacerdotem, qui omnia ei fa-
ctus est. qui etiam iis qui ex viuis verè sumunt, impertit. Non enim omnes quibus dat sacer-
dos, verè sumunt, sed illi omnino soli quibus dat ipse Christus. Sacerdos enim omnibus, vt se-
mel dicam, qui accedunt, Christus autem dat iis solum qui participes esse digni sunt. vnde cla-
rum est, quòd qui animas sacramento perficit & sanctificat & viuos & mortuos, solus est ipse
seruator. Ex dictis vtique omnibus fit illud manifestum, quòd quæcunque ad sacri mysterii
celebrationem pertinent, sunt communia & viuis & mortuis. Causæ enim sanctificationis, cū
ad animam pertineant, etiam vtrisque insunt, & id quod primo ac principaliter & propriè

sanctifi-

sanctificationem suscipit, idem & sacerdos qui sanctificat, idem quod solum adest iis qui viuunt in corpore, non est in iis qui è viuis excesserunt: vt etiam qui mysterijs indigni sunt, videantur sanctificari, quoniam dona ore sumunt. Illic enim nec accedere quidem potest quispiā, si sit imparatus, sed solis iis qui digni sunt datur participatio. hoc autem non tribuit viuis sanctificationem, sed contra, habet vltimum supplicium, & propterea multum abest vt viuorum genus sit eis hac in re superius. Præterea autem etiam propter illam rationem clarum est, quòd non solum licet, & quòd nihil vetat, sed etiam quòd illas animas necessariò consequitur sanctorum donorum participatio. Si enim esset aliquid aliud, quod illic animis & delectationem & quietem præberet, esset illud præmium iis quæ puræ sunt & mundæ, & non eis hac mensa necessario opus esset: nunc autem id quod omnem voluptatem & beatitudinem iis qui illic sunt efficit, siue dicas paradisum, siue sinus Abrahæ, siue ab omni dolore & tristitia pura & lucida & viridia & refrigerātia loca, siue ipsum regnū, nihil est aliud quàm hic calix & hic panis. Hæc enim sunt intercessor, qui pro nobis in sancta fuit præcursor, qui solus ducit ad patrem, qui solus sol animarum, qui nunc quidem apparet & participatur, vt ipse voluit, vinctis carnis: tunc autem videbitur & participabitur sine velis, quando videbimus ipsum sicut est, quando ad cadauer conuocabit aquilas, quando succingetur, & eos faciet discumbere, & accedens ministrabit ipsis, quādo fulgebit in nubibus, & per eum iusti resplendebunt vt Sol, vt ei coniuncti, vt nouit mensa coniungere, quietem assequantur, vel aliquid boni illic percipiant vel paruum vel magnum, absque eo fieri omnino non potest.

## DE CHRISTI INTERCESSIONE. Cap. XLIIII.

Est enim intercessor, per quem omnia assecuti sumus bona, quæ à Deo nobis data sunt, vel potius semper dantur. Non enim postquam semel fuit intercessor, & omnia nobis tradidit pro quibus intercesserat, recessit, sed semper intercedit, non verbis quibusdam & precibus, sicut solent legati, sed reipsa. Quænam autem ea res est? sibi coniungere & proprias per se gratias impertiri, pro vniuscuiusque dignitate & modo purgationis: & quemadmodum lux quæ per se visum præbet videntibus, quibus defecerit, iis quoque visus defuerit: ita etiam cum Christo consuetudinem esse perpetuam animis necesse est, si sint omnino victuræ & quieturæ. Neque enim sine luce potest videre oculus: neque fieri potest vt sine Christo vera vita & pax insit in animis, quoniam est qui solus Deo reconciliat, qui eam pacem facit, sine qua nulla spes est, vt qui Dei sunt inimici, sint eius bonorum participes. Siue ergo ab initio quis Christo coniunctus non est, siue coniunctus non mansit, est inimicus, & à diuinis bonis alienus. Quid est enim quod humanæ naturæ Deum reconciliauit? Omnino quòd hominem vidit filium suum dilectum. Ita etiam vnicuique homini reconciliatur, si quis gerat formam vnigeniti, & illius ferat corpus, & apparet vnus cum eo spiritus. Sine hîs autem, vnusquisque ipse per se, est homo vetus, qui Deo est inuisus, qui cum eo nihil habet commune. Si ergo credendum est animis requiem procedere ex oratione Sacerdotum & oblatione sacrorum donorum, antea credēdum est hoc quoque eo modo fieri, quo solo fieri potest vt homo quiescat. Quis sit autem modus, dictum est: eo scilicet quòd Deo sunt reconciliati & nō sunt inimici. Hoc autem quomodo? Quòd sunt contemperati, & vnus facti sunt spiritus cū dilecto, in quo solo pater cōplacuit. Sed hoc est sacræ mēsæ opus, quòd cōmune ostēsum est per ea quæ dicta sunt viuis similiter & mortuis.

## QVOD IIS QVI DORMIERVNT PERfectior sit sanctificatio. Cap. XLV.

Nudæ autem corporibus animæ plus habent commodi ad sanctificationem, quàm eæ quæ viuunt in corporibus. Purgantur enim & peccatorum remissionem accipiunt per orationes Sacerdotū, & donorum intercessionem, nihilo minus quàm eorum qui viuunt. Sed non peccant amplius, nec noua veteribus crimina adiiciunt, vt faciunt vt plurimum viuentium animæ: sed tantummodo vel nulli sunt rationi reddendæ obnoxiæ: vel semper vtique de criminibus detrahunt: & ita ad Seruatoris participationem promptius & melius se habent pluribus in corpore viuentibus, atque adeò etiam seipsis si essent cum corpore. Quinetiā hoc ipsum solū, quòd scilicet sunt nudæ corpore, efficit vt sint multo aptiores ad participationem mysteriorū, quàm fieri posset si essent tectæ corpore. Cū enim sint illic multæ & diuersæ mansiones, vt omnis virtutis modus honoretur & nihil sit non remuneratum apud iustum

& clementem iudicem: quemadmodum qui sunt maximis digni præmiis & perfecti, perfi-
ctæque beatitudinis hæredes, Paulus, & si quis est eiusmodi, ea puritate fruuntur dissoluti, quàm
cùm in hac vita aderant: ita qui mediocres in hac quiete collocati, eos consentaneum est melius
se habere cùm hinc recesserint, quàm dum viuunt cum corpore. Ostensum est autem quòd omnis
quies animarum & omne præmium virtutis, siue paruum, siue magnum, non est aliud quàm
hic panis & hic calix, quæ ab vtrisque, viuis inquam & mortuis, conuenienter participan-
tur. Propterea enim Christus quoque sanctorum in futuro fruitionem, cœnam vocauit, vt osten-
deret nihil illic esse præterquam mensam. Ita etiam pro defunctis, sicut & pro viuis, est diui-
num Eucharistiæ sacrificium: & cum dupliciter, vt dictum est, sanctificentur, ipsi quoque duo-
bus modis sanctificantur: & neutro modo sunt ij qui migrarunt, deteriori conditione ijs qui vi-
uunt, sed aliquo modo etiam meliori.

## QVOMODO EADEM SEMPER DONA A DEO suscipi possunt. Cap. XLVI.

ILlud autem deinceps consideremus. Quòd enim ex sacro mysterio omnes sanctificantur fi-
deles, clarum est ex ijs quæ dicta sunt. An autem etiam semper, operæprecium est quærere.
Quoniam enim donorum est oblatio sacrificium, dona autem non semper à Deo suscipiun-
tur, sed sunt nonnulla, quæ propter eorum qui offerunt improbitatem, & odio habentur & re-
pudiantur: & multæ sunt huius rei, & apud veteres, & apud eos qui viuunt in gratia, proba-
tiones: quæramus nunquid hæc quoque dona nonnunquam frustra sanctificantur, non sancti-
ficata, vt quæ non sint accepta, vt sacrum profitetur mysterium, vt quæ non semper à viris bo-
nis, sed nonnunquam etiam à malis offerantur. Quòd enim Deus etiam hæc dona auersatur,
quando fuerit sceleratus is qui offert, clarum est ex eo quod facit Ecclesia. Quando enim nouit
qui mortalia peccant, non sinit eos hæc dona offerre, & si ausi fuerint, non suscipit, sed eum à
donis repellit. Sed quoniam non omnes tales rectè nouit Ecclesia, sed plures latent, & eorum
dona sacra mensa suscipit: quid de illis donis oportet statuere, an Deo non esse accepta, & omni
esse sanctificatione destituta? & si hoc datum fuerit, incertum quando sancta, cùm de moribus
eorum qui offerunt, vel vt plurimum dubitetur, vel ij omnino ignorentur: & ita hæsitantes,
& sine fide ad sacramenta accedentes necesse est fideles nihil ab eis iuuari. Quid ad hæc ergo
dicendum est? Quòd cum sit duplex donorum oblatio, prima quidem, eius qui ea domo defert
in manus Sacerdotum: secunda autem, ecclesiæ ad Deum: prima quidem oblatio, quando est
improbus qui offert, est inanis & nihil confert offerenti, quoniam ipse est malus. Non enim ea
quæ offeruntur, ipsa per se sunt Deo execranda. OMNIS enim Dei creatura bona est. Se-
cunda autem quæ fit à bonis viris, & pro Dei gloria & sanctorum, & totius orbis salute, &
omni, vt semel dicam, iusta petitione, nihil vetat quo minus sit accepta. Nulla enim donis in-
quinatio allata est à manibus eius qui ab initio obtulit, sed pura manentia, etiam sanctè obla-
ta & sanctificantur, & sanctificant eos qui accedunt. In nullo enim rationis expertium ani-
mantium, vel inanimatorum, potest insidere aliqua peccati macula. Peccatum enim est mor-
bus voluntatis, & solum est eorum quæ sunt ratione prædita, peccato inquinari. Cur ergo, si
semper pura sunt dona quæ à malis offeruntur, ea lex Ecclesiæ non suscipit? Vt eos qui offerunt
admoneat, vt cognoscant maximam Dei iram, quam ipse ostendit, qui etiam creaturas suas
quibus non habet quod quicquam corporis obijciat, propter ipsos auersatur & habet odio,
& cum hæc intellexerint, timeant, & vitam corrigant: ipsa autem dona nullius vitij condem-
nat. Propterea nihil prohibet quo minus ea sint accepta & sanctificentur, cùm secundam obla-
tionem faciant boni viri. Sed dixerit quispiam: Atqui non omnes qui offerunt sunt viri boni,
sed nonnulli etiam laborant extremo vitij morbo. Vnde ad eandem dubitationem nostra re-
dijt oratio. Quando enim vtrosque oblatores Deo esse inuisos contigerit (contigit enim) vnde-
nam donis accedet, vt Deo grata sint & accepta, & sancta, & sanctificantia? Nusquam, sed
tunc quidem verè accepta non sunt: Sunt autem dubia, eo quòd de moribus eorum qui offe-
runt & sacrificat dubitatur. NEMO enim, inquit, certo nouit quæ sunt hominis, nisi spi-
ritus qui est in ipso: & ita multa est circa sacrum mysterium infidelitas & dubitatio, certitu-
do autem nusquam, & sanctorum participatio nihil proderit fidelibus, qui sine fide partici-
pant. Hæc dixerit & dubitauerit, si quis putat ipsum Sacerdotem esse Dominum horum dono-
rum oblationis. Sed non est. Sed quod eorum quidem oblationem propriè efficit, est gratia san-
ctificans. Hoc enim est oblatum esse, esse sanctificatum. Qui autem quotidie sacrificat, est illius
minister.

minister. Nihil enim domo affert, neque aliquid audet facere vel dicere ex suo iudicio vel ratione: sed illa solum quæ illinc accepit, siue res est, siue sermo, siue factum, eo quo iussus est modo offerens, Deo reddit: & ita dona quæ prout ei placet, Deo semper offerunt, necesse est semper ei esse accepta. Quid tum enim, si is qui offert, in iis quæ ad se pertinent malus est? Illius enim improbitas donis nihil adiicit, neque reddit oblationem deteriorem, sicut nec medicamentum salutare esse prohibetur, quòd simplex & idiota, & qui artem nihil callet, hoc composuit, si modo iubente medico, & eam compositionem tradente, id composuit. Fuerit enim non propter eius qui inseruiit imperitiam, vanum, sed propter artem eius qui tradidit, salutare. A ministri enim inscitia nihil accepit, ab arte autem medici omnem suscepit compositionem. Ita hîc etiam gratia vniuersum efficit. Sacerdos autem solum est minister, nec ipsum quidem ministerium domo prolatum habens. Nam id etiam habet à gratia. Hoc est enim sacerdotium, potestas quædam ministratrix sacrorum. Sed quòd fideles quidem sanctificant omnia dona & semper, vt quæ Deo semper accepta sint, clarum est ex iis quæ dicta sunt.

## QVATENVS SVNT ACCEPTA. Cap. XLVII.

Sequitur vt etiam consideremus quatenus sunt accepta. Quid enim hoc sibi vult, esse donum acceptum, etiam apud homines? Quidnam facientes, dicuntur ea dona suscipere? An quòd manibus sumimus & ea in sinum ponimus? Nequaquam. Multa enim sunt quæ nec qui accipiunt ferre, nec suscipere possunt, quemadmodum si sit ager quod datur, vel domus, vel quid tale. Sed quidnam fuerit Accipere, in omnibus donis? In propriis statuere, propria & domestica efficere & ea ratione ea accepta esse dicuntur. Deus autem hæc dona ita propria & familiaria efficit, vt ea faciat esse corpus & sanguinem vnigeniti. Sic ergo huic familiaritati nihil potest simile excogitari: nec quatenus sunt accepta potest modus inueniri. Præterea autem, etiam ex remuneratione facile sciri potest quàm acceptum fuerit ei qui accepit, id quod datum est. Quæ est ergo hîc remuneratio? Ipsum rursus Christi corpus & sanguis. Accipiens enim à nobis panem & vinum Deus, ipsum reddit filium. Et vndénam, inquit, sciemus quòd hæc dona nobis pro ijs quæ offeruntur à Deo dantur? Ex ijs quæ is qui illis tectus est, dicit nobis, dicens, Accipite. Ita enim ostenditur donum. Hac voce & qui donat & qui accipit, & quod donatur, significatur. Potest etiam alias aliquid accipi, tanquam depositum, quo non fas est vti eos qui acceperunt. Tu autem ne hoc existimes, sed scias esse tuum, quo te etiam vti iussit, dicens, COMEDITE Ita sunt dona Deo accepta & tam insigniter. Propterea semper sanctificant omnes Christianorum animas, & viuorum & mortuorum, quæ sunt adhuc imperfectæ & egent sanctificatione. Sancti enim perfecti ac consummati, stantes cum Angelis, in cælestem hierarchiam iam adoptati, non egent amplius hierarchia terrestri.

## QVÆNAM RATIO, PROPTER QVAM ETIAM sanctos his donis veneramur & colimus. Cap. XLVIII.

Hvic autem consequens est illud quærere: Si enim hæc sancta Deo quidem donantur, eos autem sanctificant qui sanctificatione indigent: quamnam ob causam etiam iam sanctificatos & omni ex parte perfectos, hac donorum oblatione coli credimus, & quando eos aliquid orantes, in auxilium vocauerimus, horum donorum ministerium pollicemur, tanquam vel ipsis ea donaturi, vel pro ipsis, vt fiant meliores? Quod quidem est etiam alius modus donorum oblationis quam prius dixi, per quem hæc dona fiunt etiam sanctorum, quando Deo tanquam pro gratiarum actione offeruntur, quòd eis perfectionem & consummationem dederit. Sunt enim Dei dona, vt quæ ei donantur. Sunt & fidelium, vt pote ijs qui auxilio indigent, vt auxilia: sunt etiam sanctorum, quòd eorum gratia Deo donātur. Quod enim mea gratia datum est, ego accipio, quicunque is sit qui accipit. Non enim omnia quæ nobis vndecunque donantur, nostris manibus accipimus, sed etiam amicorum & familiarium, &, vt semel dicam, omnium, quibus donator donat, vt nobis rem gratam faciat. Propterea etiam dominus, pauperibus accipientibus, quia qui eis suppeditant, eius gratia hoc faciunt, ipse se dicit accipere. Ita etiam sancti hæc dona accipiunt, quòd eorum gratia Deo donantur. Quemadmodum enim propter Christi dilectionem illud fit, ita hoc etiam propter dilectionem sanctorum. Quia enim valde eos diligimus, eadē bona nostra esse ducimus, & eis de felicitate gratulamur, tanquam ipsi bonorum participes. Ita etiam gaudentes donis ipsis à domino datus,

gratias agimus ei qui dedit, & pro gratiarum actione dona offerimus. Non propter hoc autē solum ij dona accipiunt, quòd propter eorum dilectionem fit donorum oblatio, sed quòd hoc etiam est eis iucundissimum & longè gratissimum, dico autem quòd Deus per ipsos gratias accipit & glorificatur. Quemadmodū enim est maximum peccatum malorum hominum, quòd blasphematur nomen Dei per ipsos, ita sanctis est magnum beneficium, & magno studio appetendum, quòd per ipsos Deus glorificatur. Hoc & cum corpore viuentibus erat perpetuū certamen, postquàm in cælum migrarunt, continuum est opus, & voluptas, & illius beatitudinis caput. Si enim quando bona eis in spe solū erāt, Deo gratias perpetuo agebant, & omnia ad eius gloriam faciebant, cuiusmodi oportet eos in talibus existimare, quando multo maior quidem est ei gratitudo & beneficij recordatio, cum omni iam virtute perfecti sint, bona autem non sperant amplius, sed ipsa experientia discunt domini benignitatem: quando vident quales ex qualibus facti sunt, pro terrenis soles, pro seruis contemptis honorati filij, & regni cælestis hæredes: pro reis, potentes vel alios è reis eximere, per eam quam habent apud Iudicem dicendi libertatem. Propterea nulla est, inquam, eis Deum laudandi satietas. Vnde nec existimant se ipsos solos sufficere ad agendas gratias. Vnde volunt etiam omnes angelos & homines ad eius laudem celebrandam habere adiutores. Vt eorum debitum, gratiarum scilicet Deo actio, eo propius pro dignitate soluatur, multiplicata per laudatorum additamentum. Et hoc testantur sancti Azariæ filij, qui cùm ignem vicissent, & eam tunc gratiam à Deo accepissent, quandoquidem oportebat ipsos propter hanc admirabilem & inopinatā salutem, Deo gratias agere, qui eos seruauerat, & eum laudare, non satis habuerunt si ipsi soli laudarent, nec suum auxilium sufficere existimarunt, sed etiam angelos conuocarunt, & omnia hominum genera, & cælum ipsum, & solem, & astra, & terram, & montes, & omnia rationis & animæ expertia, & omnem, vt semel dicam, creaturam. Tantum est Deum laudandi apud sanctos desiderium, etiam adhuc cum corpore viuentes, & multo magis postquàm à corpore discesserint. Vnde si quis eorum recordatus, eorúmque honoris, beatitudinis & gloriæ, Deum qui eos coronauit, laudauerit, tribuit eis gratiam omnium gratiarum præstantissimam, & maximè quando non solis vocibus laudem celebrat, sed etiam donorum pro gratijs agendis oblatione, & donorum Deo adeò acceptorum & preciosorum supremo honore. Tunc enim, quemadmodum ipse seruator propitius ipsa suscipiens, & super omnem cultum legalem, suum corpus & sanguinem retribuit: ita etiam ipsi eis gaudentes, vt nullo angelorū, quibus ipsos colere videmur, totos seipsos nobis præbent ad ferendum auxilium in omni re quæ nobis conducit. Dominum enim suum omni ex parte imitantur.

## ADVERSVS EOS QVI DICVNT, SANCTORVM, quæ fit in sacro mysterio, memoriam esse sacerdotis pro eis ad Deum supplicationem. Caput XLVIIII.

SEd hic nonnulli decepti sunt, non gratiarum actionem, sed pro sanctis ad Deum supplicationem, eorum memoriam esse putantes, nescio vndenam accepta hac cogitandi occasione. Neque enim ex ipsis rebus est hæc credere consentaneum, nec ex ipsis verbis sacrificij. Et quòd rerum quidem verisimilitudo multum abest vt hæc concedat, hinc apertum est. Si enim pro sanctis orat ecclesia, illa omnino orauerit quæ semper orare consueuit. Quænam autē sunt quæ orantur ijs qui dormierunt? REMISSIO peccatorum, regni hæreditas. QVI es in sinu Abrahæ cum consummatis sanctis. Hæc sunt oratio ecclesiæ. Præter hæc nihil eam orantē inueneris iis qui emigrarunt. In his definita est nostra ad Deū supplicatio. Non enim quicquid desiderauerit quispiam, id etiam fas est orare. Sed hîc quoque lex est & terminus quem non licet transgredi. QVID enim orabimus, vt oportet, nescimus, inquit, sed ipse spiritus interpellat pro nobis: hoc est, quæ orare oportet nos docet. ita enim ecclesiæ doctores acceperunt. Cōsidera ergo, si præter ea quæ dicta sunt, in omnibus sacrorum mysteriorum celebrationibus inueniri possit orans ecclesia. & non inuenies. Ergo orabunt quidem ijs qui rei non sunt, remissionem peccatorum, tanquam adhuc reis & obligatis. Orabunt autem sanctis, tanquam nondum sanctificatis, cum sanctis requiem. Orabunt perfectis consummationem, tanquam nōdum consummatis. & sic necesse est eos alterutrum peccare. Vel enim confitentes beatitudinem & perfectionem sanctorum, lubentes volunt apud Deum nugari, & inanem pro eis orationem contexere, quod est virorum diuina ludibrio habentium, potius quàm sacerdotum. Vel serio facientes orationes, tanquam existimantes se sanctos per eas iuuare, eorum gloriam inficiantur,

tur, quod est blasphemare non ipsos tantum, sed etiam Deum ipsum, vt qui promissa non seruauerit quæ promisit, se eos glorificaturum, & regnum impertiturum: vel potius vtrunque est manifesta blasphemia: hoc quidem tanquam omnino negantium sanctorum beatitudinem: illud autem, tanquam facientium ea quæ faciunt qui negant. Quos enim beatos esse credunt, vt qui in filiorum ordinem relati sunt, & ipsius regni hæredes, eos nullo esse munere affectos & inhonoratos & reos, eo ipso quòd pro eis talia precantur, testantur. Ita ergo harum rerum gratia absurdum esse videtur, si quis existimet ecclesiæ pro sanctis ad Deum oblationem esse supplicatoriam. Videamus autem etiam ipsa verba. PRÆTEREA offerimus tibi rationabilem hunc cultum pro iis qui in fide requieuerunt, maioribus, patribus, patriarchis, prophetis, apostolis, prædicatoribus, euangelistis, martyribus, confessoribus, continentibus, & omni spiritu in fide cōsummato, præcipuè sanctissima intemerata gloriosa domina nostra, Deipara & semper virgine Maria, sancto propheta præcursore & Baptista Ioanne, sanctis & benedictis apostolis, & omnibus sanctis: quorum precibus respice nos Deus, & memento omnium qui dormierunt in spe resurrectionis & vitæ æternæ, & fac illos quiescere, vbi respicit lumen vultus tui. Hæc sunt verba in quibus nulla continetur pro sanctis ad Deum supplicatio, nec eis sacerdos quicquam consuetum precatur. Sed aliorum quidem fidelium qui dormierunt, faciens memoriam, statim adiicit pro eis orationem: FAC eos, inquit, requiescere, vbi respicit lumen vultus tui. In sanctis autem totum est contrarium. Non enim pro eis facit intercessionem, sed ipsos potius intercessores statuit. Cùm enim dixisset, & sanctos enumerasset, adiicit, QVORVM intercessionibus visita nos Deus. Quod autē maximè ostendit non orationem aliquam & supplicationem, sed pro sanctis gratiarum actionē esse hæc verba, est, quòd etiam Dei mater in eo catalogo ponitur. Neque enim poneretur, si is chorus aliqua intercessione egeret, vt quæ est vltra omnem intercessionem, non solum humanæ hierarchiæ, sed etiā angelorum, cùm sit ipsis etiam sanctissimis mentibus incomparabiliter sanctior. Atqui Christus est, inquit, qui hoc peragit sacrificium. Quid ergo mirum si etiam pro sanctis & matre intercesserit? Sed hoc nullam habet rationē. Non est enim hic modus intercessionis Christi. Fuit enim intercessor Dei & hominum, sed non verbis quibusdam & precibus, sed seipso. nempe quòd cùm Deus & homo esset, Deum hominibus coniunxit, communem terminum, seipsum vtrisq; naturis iniiciens. Existimare autem ipsum, per preces quæ fiunt in sacrificio, semper intercedere, est omni blasphemia & absurditate plenum. Etsi enim ipse est qui peragit sacrificium, non tamen omnia quæ illic dicuntur & fiunt, ei attribuemus. Mysterij enim opus & finem, sanctificari scilicet, & sanctificari fideles, ipse est solus qui peragit. De his autem preces sunt, orationes, & supplicationes sacerdotis. Illa enim sunt domini: hæc verò serui. & hic quidem precatur: ille verò preces perficit. & seruator quidem donat: sacerdos verò pro ijs quæ data sunt agit gratias. & sacerdos quidem offert: Dominus verò dona accipit. Offert enim etiam dominus, sed seipsum patri, & dona hæc quando ipse facta fuerint, quando in eius corpus & sanguinem conuersa & mutata. Quia enim seipsum offert, ideo dicitur idem esse & qui offert & qui offertur & suscipit. Offerens quidem & suscipiens vt Deus, oblatus autem vt homo. Panem autem & vinum, dum adhuc dona sunt, offert quidem sacerdos, suscipit autem dominus. Et quid agens dona suscipit? Ea sanctificans, in suum corpus & sanguinem mutans. Hoc enim est suscipere proprium & familiare efficere, vt dictum est. Hic est modus quo Christus hoc sacrificium celebrat. Hæc sunt quæ ei sacerdotium constituunt. Si autem præter ea quæ dicta sunt, etiam orationes quæ fiunt in mysterij celebratione, vel omnes, vel aliquas Christi voces esse dixerit, nihil hac in re ab impijs differet, qui eius gloriæ detrahere ausi sunt. Lege omnes orationes, & scies verba illa omnia esse seruorum verba. Lege etiam eam in qua sanctorū meminit, quam audent Christo tribuere, & inuenies nihil illic conuenire filio qui est patri honore æqualis: omnia autē seruorum. Primum enim non in vna persona, sed communis est generis gratiarum actio, & vt qui peccarunt, & non sunt despecti à Dei misericordia & clementia, agunt gratias: & gratiarum actio, non ad patrem solum, sed etiam ad filiū eius, & sanctū spiritum: & Dei matris tanquam dominæ serui meminerunt, & eius, & sanctorum intercessionibus, vt à Deo visitentur, & eorum cura habeatur petunt. Hæc autem quidnam commune habent cum vno Domino vnigenito Dei filio, peccato non obnoxio, omnium domino? GRATIAS agimus, inquit, tibi, & filio tuo vnigenito. Christus ergo gratias agit filio Dei vnigenito. & ecce duo erunt filij, vt voluit insania Nestorij. adeò est impium & stultū existimare Christum pro sanctis intercedere, eiusmodique legationis & intercessionis munus ei tribuere. Ostensum est autem hæc ne esse quidem sacerdotum. Restat ergo hæc verba non esse supplicationem,

sed gratiarũ actionem. Certè, inquit: sed non permittit dictio, quæ apertè supplicationẽ indicat. Pro enim præpositio, hoc vult significari, nõ omnino. non semper enim eũ qui rogat ostendit. Nõ enim solũ quando supplicamus, sed etiã quando gratias agimus, hac dictione vtimur. Et hoc ex multis sciri potest, & ab ipsa etiam proposita oratione. PRO his omnibus, inquit, tibi gratias agimus & vnigenito tuo filio & spiritui sancto, pro omnibus quæ scimus & quæ nescimus, tibi gratias agimus. Agimus tibi gratias etiam pro hoc sacrificio, quod ex nostris manibus suscipere dignatus es. Videmus hanc dictionem, Pro, poni etiam in gratiarum actione. Ad hunc itaque errorem nulla relinquitur excusatio. Ita ergo fieri non potest vt sit supplicatoria sanctorum commemoratio. Eam autem versari in gratiarum actione, hoc ipsum ostendit, quòd non est supplicatoria. Duorum enim alterum necesse est ea vel supplicari, vel gratias agi. Et hîc duobus modis apud Deum commemorationem facimus bonorum quæ nobis à Deo sunt, vel vt ea accipiamus, vel quòd ea iam acceperimus. Et est illud quidem supplicatio, hoc verò gratiarum actio. Ostendit autem hoc etiam, quòd Dei in homines donorum sit longè maximum, sanctorum consummatio, & ideo non ipsi ecclesiam hoc nomine gratias agere esset nefarium. Et quid dico esse donorum maximum, sanctorum consummationem? Hæc certè est vniuersum Dei donum. Omnium enim bonorum quæ in nostrum fecit genus, hic est finis, hic fructus, chori sanctorum. & hac de causa cælum nobis est fabricatum, terra, & quicquid videtur: propterea paradisus, propterea Prophetæ, propterea ipse Deus in carne, & Dei sermones & opera, & passiones & mors, vt à terra in cælum migrent homines, & regni quod illic est fiant hæredes. Si est ergo omnino gratiarum actio in sacro mysterio, & hæc dona tam in gratiarum actione quàm in supplicatione versantur, omnino necesse est gratiarum agendarum & summam & causam esse, ipsos sanctos consummatos. Omnino autem quid in nobis causa est gratiarum actionis? an non quòd accepimus quod petimus? Cuius hoc clarum est. Ergo idem est propter quod gratias agimus, & quod petimus. Quid ergo petit à Deo Ecclesia? Quod ab ipso petere iussa est. Eius regnum, videlicet vt fideles eius sint hæredes: vt fiant sancti, sicut is qui eos vocauit, sanctus est. Si hæc autem à Deo rogat & postulat, clarum est quòd pro iis ipsis quoque agit gratias. Orat vt fideles in sanctitate perficiantur, & propterea pro sanctis iam perfectis & consummatis, ei qui perfecit, gratias agere est necessario consentaneum. Propter hanc pro sanctis gratiarum actionem, hoc sacrum mysterium Eucharistia dicitur. Etsi enim aliorum quoque multorum hîc mentionem faciat, sancti tamen sunt finis omnium, & pro quibus illa petuntur. Vnde quando pro illis agit gratias, agit gratias pro sanctorum perfectione.

Quemadmodum enim quæcunque fecit dominus, ea fecit vt chorum sanctorum statueret, ita etiam ecclesia, vbi illum laudat pro omnibus, ad sanctorum chorum respiciens hoc agit. Ea de causa quando tradidit seruator sacramentum, patri gratias agens tradidit, quòd per ipsum nobis cælum esset aperturus, & hunc primogenitorum cœtum illic congregaturus. Eum imitans Ecclesia, non solum supplicantem, sed etiam gratias agentem facit donorum oblationem. Et hoc quidem etiam aliunde ostendit, maximè autem ex oratione, in qua totius sacrificij scopus continetur. Cùm enim recensuisset omnia quæ nobis à Deo data sunt, & gratias egisset pro omnibus, & postremo addidisset domini in carne aduentum, & huius sacramenti traditionem, & quòd nobis quoque hoc iussit facere, subiunxit, RECordantes ergo salutaris huius præcepti, & omnium quæ pro nobis facta sunt, crucis, &c. & enumeratis deinceps omnibus quæ crucem consecuta sunt, deinde dicit, TVA ex tuis tibi offerimus: de omnibus, & per omnia, te laudamus, te benedicimus, tibi gratias agimus domine, & oramus te Deus noster. Vides? Beneficiorum, inquit, recordantes, hanc tibi donorum oblationem facimus. hoc autem est gratias agere, pro bonis iam nobis donatis, donis benefactorem honorare. Deinde etiam apertius ostendens gratiarum actionem, ait, OFFErentes oblationem hanc, te laudamus, te benedicimus, tibi gratias agimus domine, & rogamus te, deus noster. Hoc ergo est institutum donorum oblationis, laudare, gratias agere, supplicare, vt à principio diximus, vt eadem & in supplicatione & in gratiarum actione versetur. Et hæc facimus, inquit, duorum recordantes, & præcepti quod nobis dedit, dicens: HOC facite in meam recordationem: & omnium quæ pro nobis facta sunt. Beneficiorum enim, vt semel dicam, recordatio nos ad retributionem adhortatur, & ad aliquid omnino offerendum ei qui nos prior innumerabilibus beneficijs sic affecit. Præcepti autem memoria, & ipsa forma retributionis nos docet, quænam ipsi dona offerre oporteat. Illam ipsam oblationem admittimus, quam ipse vnigenitus tibi ostendit Deo & patri, & gratias agimus, quia ipse etiam eam ostendens egit gratias. Propterea ad hanc donorum oblationem nihil domo afferimus. Neque enim dona sunt nostra opera, sed tua omnium opificis. Nec nostrum

nostrum est inuentum hæc colendi forma, sed neque nostra sponte hoc voluimus: neque domo & ex nobis ipsis ad eā impulsi sumus: sed ipse docuisti, ipse adhortatus es per vnigenitū. Et ideo quæ tibi offerimus, ex tuis quæ nobis dedisti, tua sunt in omnibus & per omnia. Ita etiā pro ipsa quæ aguntur gratiæ oblatione, aliā rursus gratiarum actione Deo debemus, quia nihil eius nostrum est, sed tota est illius donum, & hoc ipsum quòd id volumus & operamur, idem est qui in nobis operatur, vt ait diuinus apostolus. Propterea hoc quoque in orationibus dicitur, GRATIAS agimus tibi pro sacrificio, quod è nostris manibus suscipere dignatus es. Quæ ergo nos docent, sanctorum in sacrificio commemorationem, non esse ad Deum pro ipsis supplicationem, sed gratiarum actionem, hæc sunt.

## QVOT MODIS FIT IN SACRIFICIO sanctorum commemoratio, & quæ differentia. Cap. L.

Videamus autem quoties & in quo sacrificij loco fit hæc commemoratio. Fit enim bis: primum quidem in eius principio, quando dona afferuntur: secundo autem, quando sacrificantur. Quia enim duplex est oblatio, hæc quidem tanquam solummodo donorum, & munerum, vt antea dictum est: illa autem tanquam sacrificij, necesse est etiam eos pro quibus offeruntur & primæ & secundæ oblationis meminisse. Itaque quemadmodum in prima, IN RECORDATIONEM, inquit, Domini & Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi, ita etiam in secunda, RECORDANTES ergo eorum quæ pro nobis facta sunt, crucis & aliorum quæ Christus pro nobis sustinuit. Quod enim hic sibi vult crucis memoria & aliorum quæ crucem consecuta sunt, hoc illic est Domini commemoratio. Non enim, vt miracula facientis Seruatoris, sed vt crucifixi & morientis, tunc Sacerdos meminit, in illo loco per multa ostensum est. Et rursus sicut in prima, AD GLORIAM sanctissimæ, ad intercessionem sanctorum dicit, ita etiam in secūda, PRO sanctis omnibus, præcipuè sanctissima. Sicut enim illic eius excellentiam ostendit, eam alijs omnibus præferens, ita hic quoniam post aliquos alios eius meminit, illud præcipuè adijcit: & quemadmodum in prima, post sanctos, eorum qui egebant misericordia meminit: & pro quibus supplicat, viuorum & mortuorum: ita etiam in secunda. Est autem differentia. in secunda enim narrat oblationem. dicit enim, Offerimus tibi hunc cultum rationalem, & simul etiam ponit causas oblationis, vel prius dicens, vel subiungens memoriæ passionum Seruatoris, memoriam sanctorum. In prima autem ponit solas causas oblationis: In memoriam Domini, in gloriam sanctissimæ, & quæ sequuntur. In quibus meminit & eorum pro quibus agit gratias, & eorum pro quibus supplicat. Quæ est ergo ratio, quòd in hac quidem facto se offerre ostendit? De pane enim detrahens, id Deo offert: & ideo non opus fuit verbis quæ hoc significarent: in secunda autem oblatione nihil facere cernitur, sed fit quidem oblatio, fit autem inuisibiliter. Gratia enim sacrificium latenter operatur per sacramentales orationes Sacerdotis. Opus ergo fuit verbis quæ prædicarent eam quæ non apparebat oblationem.

## CVR SACERDOS VOCAT SACRIFICIVM, cultum rationalem. Caput LI.

Ea de causa eum etiam vocat cultum rationalem aut verbalem, quòd nullum inducit factum, sed solis vtens verbis sacramentalibus, hanc offert oblationem. Prima enim oblatio, est factum quod fieri potest ab homine, & ideo cum fiat ab homine, actiuus cultus fuerit. Secunda autem, mutatio donorum in diuinum corpus & sanguinem, quæ est sacrificium, cum sit supra vires humanas: operatur enim gratia, orat autem solum Sacerdos. Vnde etsi re vera opus est & factum, sacrificium: sed tamen quia ipse nihil agit, sed tantum dicit, meritò non actiuum, sed rationalem aut verbalem cultum se offerre dicit.

## QVARE EVCHARISTIA SOLVM VOCAtur sacrum mysterium. Caput LII.

Illud quoque est operæprecium quærere. Quoniam enim sacrum mysterium in gratiarum actione & supplicatione versatur, cur non etiam vtrunque, sed Eucharistia, hoc est gratiarum actio tantum dicitur? Ab eo quod est amplius. plures enim sunt causæ gratiarum actionis quàm supplicationis: plura enim accepimus quàm ea sunt quibus adhuc opus habe-

mus. Hæc enim pars, illa verò totum. Quæ enim rogamus accipere, pars sunt eorum quæ acce-
pimus. Omnia enim accepimus, quod ad Deum attinet, & nihil prætermisit quod non dede-
rit, sed hæc quidem assequendi nondum tempus habemus, sicut est corporum incorruptibili-
tas & immortalitas & regnum in cælis: illa verò accepta non retinemus, sicut est remißio
peccatorum & alia dona, quæ per sacramenta nobis suppeditantur. alia autem perdidimus,
quia malè vsi sumus, ne reddamur deteriores, sicut consolationem & sanitatem & diuitias,
quibus tanquam deliciarum & nequitiæ instrumentis vsi, non ad lucrum maius, vt Iob, præ-
sentibus bonis priuamur. Vnde clarum est quòd supplicationis nullum locum reliquit Deus:
agendarum autem gratiarum occasionem omnem suppeditauit. sed nos nobis ipsis inopiam
propter socordiam parentes, egemus supplicatione. Videamus enim de quibus supplicamus.
De remißione peccatorum? sed eam copiosam accepimus absque vllo nostro certamine &
contentione per sacrum baptismum. Cur ergo eam rursus petimus? Quia rursus peccatis obno-
xij facti sumus. Sed quænam causa est quòd obnoxij sumus? Nos ipsi. Ergo nos etiam supplica-
tionis causæ sumus. Præterea de regno, vt eius hæredes simus supplicamus? Atqui data est no-
bis hæc hæreditas. Etenim filij Dei facti sumus, qui regno indutus est. Quis enim hæres, nisi fi-
lius? Quid autem rerum paternarum hæredem effugit? Nihil. Quomodo ergo petimus id quod
iam datum est? Aliena à filiorum adoptione perpetrauimus, posquam ex Deo nati sumus &
ad eum honorem peruenimus: pro filiis mali serui facti sumus, & propterea tanquam de re a-
liena & quæ nihil ad nos pertinet, supplicamus. Ergo nos quoque huius supplicationis nobis
causa sumus. De bonis autem corporalibus iußit Dominus, PETITE primùm regnum
Dei & iustitiam, & hæc omnia adijcientur vobis. &, NE sitis soliciti de nutrimento, & de
indumentis, & pater vester cælestis quicquid opus fuerit suppeditabit. Nos autem, quando
eis egemus, vel propter socordiam & infelicitatem nostram hoc patimur, & quòd de eis præ-
ceptum non seruamus: & tunc egestas nostrum est opus, & quæ propter eam fit supplicatio.
Vel propter Dei prouidentiam & benignitatem, sicut Iob, vt maiora & præstantiora bona
consequamur. Et tunc illa egestas Dei opus est: non præbet autem orationis aut supplica-
tionis, sed glorificationis & gratiarum actionis materiam. Quemadmodum Iob dicebat: SIT
nomen Domini benedictum in seculum seculi. Vides quòd omnia quæ à Deo in nos proficiscun-
tur, nos ad glorificationem & gratiarum actionem tantum deducunt, orationum autem &
supplicationum nos causæ sumus. Propterea omnium bonorum & corporis & animæ, in no-
stris ad Deum interpellationibus memoriam facientes, ad gratiarum actionem omnium com-
memorationem facimus, siue ea nobis adsint, siue non adsint. Ille enim semel dedit omnia, &
apud se nihil reliquit. Et hoc sciens beatus Paulus iußit pro omnibus gratias agere, scribens,
SEMPER gaudete, in omnibus gratias agite. Hac de causa perfectißimam & exactißi-
mam nostram cum Deo collocutionem, mysterij communionis celebrationem, in quo mentio-
nem facimus, non huius vel illius gratiæ, sed omnium, vt semel dicam, Dei bonorum & quæ
acta nobis sunt & futura sunt, Eucharistiam, hoc est gratiarum actionem, nominare erat con-
sentaneum, non ex iis quæ in miseria versantes, & eam implorantes rogamus, sed ex iis quæ
Deus in nos confert beneficiis: nec ex nostra paupertate, sed ex diuitiis illius benignitatis. Quia
enim in ea Deo supplicamus, & gratias agimus: sed gratiarum quidem actio, Dei opus est, vt
dictum est: supplicatio verò, humanæ imbecillitatis & gratiarum quidem actio, propter plu-
ra: supplicatio verò, pro paucioribus. Illa enim propter omnia, vt semel dicam, bona: hæc ve-
rò, in nonnullis: propterea oportebat ex melioribus & pluribus ei nomine in posito, appella-
re Eucharistiam. Ita enim etiam homo dicitur animal ratione præditum, licet sit alicuius par-
ticeps quod caret ratione, vt qui à meliori & maiori parte vocetur, & maximè quia primus
qui id ostendit, Dominus noster Iesus Christus, non supplicans, sed solum patri agens gratias,
hoc mysterium peregit & tradidit: & ea de causa, quod illud esse accepit, hoc vocat, Euchari-
stiam nominans. Et hæc quidem hactenus.

## DE COMMVNI PROPTER SACRAMENTORUM communionem gratiarum actione, & vltima oratione. Caput LIII.

SAcerdos autem eos qui sunt sacramentorum participes, pro participatione iubet agere gra-
tias Deo qui impertiit, idque non ociosè, neque obiter & socorditer, sed attentè & diligen-
ter. Hoc enim sibi vult illud, RECTI, nō iacentes, nec sedentes, sed animā & corpus
ad ip-

ad ipsum intendentes. Deinde cum alia quoque quæ consueuerunt, Deum orare suasit, egreditur ab altari, & stans ante fores, legit quæ fit pro omnibus orationem. Hic autem illud notandum est, quomodo post sacrificium, & quæ fit propter ipsum glorificationem, tanquam omnibus quæ Deo debebantur peractis, cum Deo conuersationem, & illam altitudinem veluti relinquens, ad hominum allocutionem videtur paulatim descendere, idque sanctè, & vt decet Sacerdotem. Etenim orans hoc facit, & modus orationis & locus ostēdit eum descendere. Prius enim ad altare, & apud se, & nullo audiente, & ad Deum intentus, orat. nunc autem ab altari egressus, & in medio populi existens, omnibus audientibus, pro ecclesia & omnibus fidelibus communem facit orationem. Deinde etiam oblatum panem, ex quo sacrum panem abscidit, in multa diuisum tradit fidelibus, vt qui sanctus sit, eo quòd templo fuerit dedicatus & oblatus: illi autem cum omni reuerentia suscipiunt & dexteram deosculantur, vt quæ sanctissimum seruatoris corpus recenter tetigerit, & quæ ex eo procedit sanctificationem & susceperit, & ijs qui attingunt impertiri credatur. Interea autem eum quoque qui illis horum bonorum auctor est & suppeditator, glorificant, & glorificatio scripturæ, SIT nomen Domini benedictum, & quæ sequuntur. Et cum hoc sæpe clamauerint, Psalmum postea legunt, plenum glorificatione & gratiarum actione. Quis est autem psalmus? BENEDICAM Dominum in omni tempore. Pane autem distributo, & psalmo peracto, precatur Sacerdos populo vltimam precationem, non solum ab altari disiunctus, & omnibus audientibus, sed etiam ad ipsam multitudinem dirigens verba orationis, maiorem nunc quàm antè ostendens cum multis consuetudinem. Quæ est autem oratio? Vt misericordiam assecuti seruemur, vt qui domo nihil afferre possimus quod sit dignum salute, sed ad solam respiciētes eius qui seruare potest benignitatem & clementiam. Propterea enim hic etiam multorum meminit intercessorum, qui ad hoc nobis laturi sunt auxilium, & ante omnes, sanctissimæ Dei matris, per quam & ab initio misericordiam sumus consecuti. Proœmium autem orationis, CHRISTVS verus Deus noster. Non es ex adulterinis & ijs qui falso nomine appellantur, quos multos aliquādo coluimus, sed quem postea vix inuenimus, VERVS Deus noster: propterea etiam illi soli conuenit, tanquam Deo omnis gloria, honor & adoratio, qui cum patre eius principio carente, & sanctissimo & bono & viuifico eius spiritu, nunc & semper in secula seculorum.

Amen.

# MAXIMI MONACHI DE ECCLESIASTICA MYSTAGOGIA. ET QVORVMNAM sunt signa quæ in sancta Ecclesia, in diuina Synaxi seu communione peraguntur.

## Caput I.



QVOMODO fit Sapiens, accepta occasione, sapientior: & iustus qui cognouit, adiicit vt accipiat, vt est diuinum prouerbium, ipse, ô omnium mihi maximè venerande, apertè ipsa docuisti experientia, re ostendens, quidnam SACRA SCRIPTVRA, Sapienter quidē, sed pauló obscurius significet. Cùm enim ea quæ ab alio quodam magno Sene, et in rebus diuinis planè erudito, pulchrè & mysticè, & certa quadam, quantum fieri poterat doctrinæ via & ratione, de SANCTA ECCLESIA, & SANCTA quæ in ea peragitur, SYNAXI considerata fuerant, me cursim, & quàm breuissimè poteram, semel narrantem audiisses, vehementer vrgens à me postulasti, vt eorum tibi narrationem scriptis mandarem, vt qui statueres scripturam esse obliuionis medicamentum, & memoriæ auxilium. Quæ (vt dicebas) habet naturaliter tempus, quod domat, & rerum quæ in ea repositæ sunt, pulchrarum & honestarum typos & figuras, per obliuionem potest insensiliter auferre, & penitus delere. Et ideo renouante ratione omnino indiget, qua dicendi facultas perpetuò vigens, impatibilem & minimè minuendam memoriam suæ possit naturæ conseruare. Quanto autem sit sapientius hoc agere, vt quæ audita sint, ita permaneāt, vt eripi non possint, quàm solummodo audire, nemo omnino nescit, qui dicendi præstantiæ vllam vel paruam curā gesserit, & non ab omni cū ratione & eloquentia necessitudine sit planè alienus. Atque ego qui-

dem in principio verebar (verum enim dicetur) hoc suscipere, impositum argumenti onus recusans. Non quòd nollem vobis ô dilecti, omni ratione dare pro virib. quod esset gratum futurum: sed quòd neque eius sim gratiæ particeps, quæ dignos poßit ad hoc inducere, nec dicendi facultatis & exercitationis vllam habeam experientiam, vt qui in vita priuata sim educatus, nec in artificiosæ eloquentiæ mysterijs vnquam fuerim omnino initiatus, quæ in sola pronunciatione habet gratiam, qua multi maximè delectantur, qui auditione voluptatem circũscribunt, etsi sæpe nihil quod sit preciosum, magni ve faciundum, in profundo habent. Et quòd, vt id quod est potentius & verius dicam, vererer ne beatissimus viri summæ de rebus diuinis altiloquentiæ & pulcherrimæ contemplationi vili & abiecto meo sermone iniuriam facerẽ. Postea tamen vi dilectionis, quæ est omnibus fortior, cedens, lubens mandatum suscepi, malẽs ab ijs qui ad reprehendendũ facile mouentur, propter meam obedientiam, vt arrogans & imperitus videri, quàm per meam cunctationem in omni re honesta existimari nolle vobis gratificari, quomodo sit dicendum, in Deum curam & solicitudinem reiiciens, qui solus est operũ admirabilium effector, & docet quidem hominem scientiam, linguam autem eorum qui impeditioris sunt linguæ, planam & expeditam efficit, & in dubiis exitũ inuenit: & ex terra quidem mendicum excitat, è stercore verò erigit pauperem. Eum dico, qui ex cogitatione carnali & fœtido earum quæ in carne insunt, perturbationum cœno est egenus, eum qui est pauper spiritu, vel eum qui est ex improbitate mendicus, & eget ex eo qui est in ipsa habitu. Vel contra etiam eũ qui adhuc lege carnis & perturbationibus detinetur, & propterea virtutis & sciẽtiæ gratiæ pauper est & egenus. Sed quoniam à sanctißimo & vero Dei interprete, DIONYSIO Areopagita, in suo opere de Ecclesiastica Hierarchia, ea etiam signa quæ sunt in SANCTÆ synaxis mysterio, pro magnæ suæ mentis dignitate considerata sunt: sciendum est quòd non eadem nostra hæc oratio nunc persequitur, neo per eadem per quæ ille progreditur. Audaciæ enim & arrogantiæ fuerit, & insolentis adeò amentiæ proximum, eadem quæ ille adgredi, vt qui nec ipsi comprehendere, vel mente assequi possunt, ea etiam tanquam propria proferant mysteria, quæ illi soli per spiritum manifestata sunt. Sed quæ etiam ab alijs, vt quæ comprehendi poßint, ex ipso Dei voluntate accepta sunt, ad diuinum efficiendũ & exercendum eorum in diuinis ex desiderio habitum: & per quæ eis conuenienter & commoderatè splendidißimus eorum quæ in mysterio peraguntur, radius intellectus notus euadat: & eos qui desiderio capti sunt, apud se detinet, ne eius posteri toto præsentis vitæ tempore sint ociosi, non habentes qui ad illam diuinam vitis culturam conducit sermonem, qui pro spiritalis vitis spiritali operatione, quòd à principio per fraudem in præcepti transgreßione, à maligno surreptum est, spiritalem diuinæ & in primis regiæ imaginis denarium scilicet restituit. Non autem omnia quæ à beato Sene mysticè considerata sunt, per ordinem dicere profiteor. Nec ea ipsa quæ dicuntur, ita vt ab illo intellecta & dicta sunt. Ille enim præter id quod erat philosophus, & omnino disciplinæ magister, cùm per virtutis & diuturnioris, & ex scientia mirum in modum procedentis in rebus diuinis exercitationis & diligentiæ copiam à materiæ vinculis & quæ in ipsa sunt visis, seipsum liberum constituisset, iure habebat & mentem diuino splendore illustratam: & quæ propterea iure poterat diuinè intueri ea quæ à multis non cernebantur, & orationem eorum quæ mente comprehenderat accuratißimam & perfectißimam interpretẽ, & quæ, cùm instar speculi, à nulla perturbationum macula impediretur, purè posset alijs ea quæ nec mente comprehendi poterant & deferre & dicere, adeò vt possent auditores totam mentem oratione portatam intueri. Quæ autem tota mente comprehensa fuerant, toti eorum menti purè apparerent, & intercedente oratione, illa ad eos transmissa ab ipsis exciperentur. Sed ea quæ in memoria habeo, & quæ exiliter cogitatione complecti, & exilius possum dicere, piè tamen, gratia Dei, qui quæ sunt obscura illuminat. Neque enim vos existimare oportere existimo, qui iustè iudicare scitis, me aliter posse cogitare vel dicere, quàm vt possum cogitare vel dicere, & superna concedit gratia, quæ potestatis mihi propriè conuenientis & commoderatæ curã gerit, etsi maximè is qui tradidit et docuit, sit altißimus. Ab ijs enim, qui virtute & cognitione nõ sunt æquales, æqualia quærere, propemodũ perinde esse videtur, ac si qui ostendere conentur lunã æquè ac solẽ lumen præbere, & quæ non sunt omnino eadẽ, posse inter se in omnibus conuenire. Quod omnino fieri non potest. DVX autẽ sit Deus eorum quæ & mente cogitantur & quæ dicũtur. Qui solus est mẽs eorũ qui mẽte agitant, & eorũ quæ in mente versantur: et ratio eorũ qui dicunt, & eorũ quæ dicuntur: & vita eorũ quæ viuunt, et eorũ quæ vitalia reddũtur: & est omnibus omnia: et est & generatur, cùm sit omnibus quæ sunt & fiũt lõgè superior, vt qui nulli eorũ quæ sunt omnino naturaliter cõiũgatur: & ideo nõ esse, pro-

pterea

pterea quòd quicquid est, immenso interuallo superat. tanquam magis propriè de se dictum admittit. Oportet enim, siquidem Dei & creaturarũ nosse differentiam necesse est, statui id quod omnia quæ sunt, superat, esse eorum quæ sunt ablationem: & statui ea quæ sunt, esse ablationẽ eius quod omnia quæ sunt, superat. Et vtranq; ablationẽ de ipsis piè considerare, & nullã propriè vtpote quòd illa quidẽ Deũ esse statuat ex causa eorũ quæ sunt, hæc verò quæ per excellentiam causa est, ab ijs quæ sunt, omnino suum esse auferat: & nullam rursus propriè, nẽpe quòd nulla constituat id de quo quæritur, ex ipsa substantia & natura eius quod est, esse. Cui enim nihil omnino naturaliter ex causa coniunctum est, siue id quod est, siue id quod nõ est, nihil eorum quæ sunt & dicuntur, nec eorum quæ non sunt & non dicuntur, ad eum propè accedit. Habet enim simplicem & ignotam, & ad quam nullus adire potest substantiam, & quæ omnino explicari non potest, & quæ omnem affirmationem & negationem superat. Et de his quidem hactenus. Ad propositum autem de quo dicamus, argumentum veniamus.

## QVOMODO ET QVANAM RATIONE Dei typus, & figura est Sancta Ecclesia. Cap. II.

SANCTAM ergo Ecclesiam, in primo contemplationis ingressu, dixit beatus ille senex, ferre Dei typum, & imaginem, vt quæ in imitatione & figura eandem habeat operationem. Sicut enim DEVS, qui infinita sua potentia omnia fecit & inuicem & sibi ipsi ea quæ mente intelliguntur & quæ sunt sensilia, per prouidentiam constringit & connectit, & circa se, tanquam causam & principium, & finem omnia continens, quæ secundum naturam sunt à se inuicem seiunctissima, per vnam quæ ad ipsum tanquam ad principium referuntur facultatem, facit vt inter se inuicem consentiant. Per quam, ad eundem motum & substantiam, nec discriminis, nec confusionis quicquam habentem, omnia deducuntur, ità vt nihil ex ijs quæ sunt, principaliter in naturæ vel motus differentia dissideat, vel disiungatur, cum omnia in vna vnius principij & causæ, quæ dissolui non potest, relatione & custodia inconfuse coaluerint. quæ omnes, & quæ in omnibus pro vniuscuiusque eorum quæ sunt natura, considerantur habitudines, ociosas inanésque efficit & operit, non quòd eas corrumpat & perimat, & vt non sint efficiat, sed quòd vincat & superemineat, vt totum partes, vel ipsa potius totius causa supereminet, per quam & ipsum totum, & partes totius, vt & apparerent & essent, naturam sortita sunt, vt quæ totam causam habeant, eius immodico lumine præfulgentem, & sicut sol, qui omnia claritate superat, stellarũ naturam & potestatem, ita etiam eorum vt effectorum causam, substantiam obtegentem. Sicut enim partes à toto, ita etiam effecta à causa, vt & propriè sint & cognoscantur accepere, & vt ociosam & planè cessantem suam habeant proprietatem, quando ab ea quæ fit ad causam relatione comprehensam, in vna vt dictum est, eius quæ ad ipsam refertur, habitudine, qualitatem acceperit. Qui est enim omnia in omnibus, qui infinitis mensuris omnia superat, DEVS, vel maximè solus ab ijs qui sunt pura mente, videbitur, quando mens naturales eorũ quæ sunt, rationes contẽplatiuè colligens, in ipsum Deũ desinet, vt qui sit causa, principiũ & finis, totius productionis & generationis, & ad res omnes continendas basis inseparabilis. Eodẽ modo etiã SANCTA dei ecclesia, eadẽ quæ Deus in nos, vt quæ sit Exẽplar archetypũ, facere ostendetur. Cum enim sint propemodũ innumerabiles viri, mulieres & pueri, & genere & forma, & gentibus & lingua, & viuendi ratione & ætate, studijsque, animis, artibus & moribus, rursus autem scientia, auctoritate, fortuna, ordine, statu, & habitu plurimum à se inuicem seiuncti & differentes, qui in ea sunt, & ab ea spiritu rursus sunt generati & recreati; vnum ex æquo omnibus dat & largitur diuinam formam & appellationem, vt à Christo scilicet sint & nominentur. Et vt per fidem simplex sit & quæ diuidi & seiungi non possit relatio & habitudo; quæ multas atque adeò inenarrabiles quæ sunt in vnoquoque differentias, ne quòd sunt quidem, cognosci permittit, quòd omnes in eam generaliter referantur & conueniant, per quam nemo omnino sibi ipsi à communi seiunctus est, cum omnes inter se inuicem coalescentes in vna simplici & quæ nequit diuidi, fidei gratia & potestate coniuncti sint. ERAT enim omnium, inquit, cor & anima vna, adeò vt ex diuersis membris corpus vnum & esset & videretur & ipso CHRISTO vero nostro Capite verè dignum, in quo, inquit diuinus Apostolus, non est masculus, nec fœmina, nec Iudæus nec Græcus, nec circuncisio, nec præputium, nec Barbarus, nec Scytha, nec seruus, nec liber: sed omnia & in omnibus ipse, qui omnia per vnam simplicem bonitatis infinitam eandémque sapientissimam potestatem in se ipso includit, veluti cen-

-erum, à quo dependent aliquot rectæ lineæ, vna simplici & singulari ac viuente causa & po-
-testate, eorum quæ sunt principia, non sinens finibus seiungi, eorum productiones circulo cir-
-conscribens, & eorum quæ sunt & ab ipso facta sunt, definitiones ad seipsum deducens, ne sint
omnino sibi inter se aliena & inimica vnius Dei effecta & opificia, cum non habeant, qua-
-nam in re & vbi amicitiam, pacem & se inter se esse eadem possint ostendere, & venient in
discrimen, ne ipsa eorum substantia, eò vt non sit recidat, si à Deo separentur. Est ergo Dei ima-
-go sancta, vt dictum est, DEI Ecclesia, vt quæ eandem, quam Deus in fideles, vnionem effi-
-ciat, etsi sint proprietatibus diuersi & ex diuersis & locis & moribus qui in ea per fidem
sunt vniti, quam in eorum, quæ sunt, substantijs inconfusè facit DEVS, eam quæ est in
ipsis differentiam, ea quæ fit ad seipsum tanquam ad causam, principium & finem, vt dictum
est, relatione & vnione & consolans & idem faciens.

## QVOMODO, ET QVANAM RATIONE ECCLEsia est imago Mundi, qui constat ex substantijs quæ sub aspectum cadunt & quæ non cadunt. Caput III.

IN secundo autem contemplationis loco, Vniuersi mundi, qui constat ex substantijs, quæ sub
aspectum non cadunt & quæ cadunt, esse typum & figuram, dixit, SANCTAM
Ecclesiam, vt quæ eandem, quam ipse vnionem & discretionem accipiat. Quemadmodum
enim ipsa, cum ædificatione quidem vna sit domus, ex quadam quæ est in figura positione,
proprietate differentiam accipit, dum diuiditur & in locum solis Sacerdotibus & ministris
attributum, nempè ἱερατεῖον, hoc est SACRARIVM, & eum ad quē patet aditus omni-
bus populis fidelibus, quem vocamus ναὸν, id est templum. Rursus vna est in substantia, vt quæ
non vnà cum suis partibus propter ipsarum inter se inuicem partium differentiam diuidatur:
sed etiam partes ipsas, sui ipsius ad vnum relatione, ab ea quæ est in vocatione, differentia li-
berat, & ambo idem inter se esse ostendit, & alterum alteri vicissim idem esse, quod vtrunque
sibi ipsi efficit. Et Sacrarium quidem potentia templum reddens, vt quod diuini mysterij ad fi-
nem relatione consecratur. Et rursus templum sacrarium, actu ipsum habens diuini sui myste-
rij principium, per vtrunque vna & eadem permanet. Ita etiam qui à Deo per generationem
deductus est, eorum quæ sunt mundus; qui & in mundum qui intelligentia percipitur & ex
intelligentijs & incorporeis substantijs completur, & in hunc sensilem & corporeum & qui
ex multis formis & naturis magnificè est contextus, diuiditur, cùm sit quodammodo alia non
manufacta Ecclesia, per hanc manu factam apertè ostenditur. Et veluti sacrarium habens su-
periorem mundum, & superioribus potestatibus attributum. Templum autem, eum qui est
inferius, & ijs cessit quibus vt per sensum viuerent obtigit. Rursus vnus est mundus & vnà
cum suis partibus non diuiditur: contrà autem, ipsarum etiam partium, quam ex naturali
proprietate habent differentiam, ad id quod est sui ipsius vnum & diuidi non potest, rela-
tione circumscribens & eundem esse sibi & inter se inuicem citra confusionem & totum to-
tum ingredi, & ambos totum ipsum, tanquam partes vnum complere, & itidem tanquam
totum & partes & vnica forma, plenéque & integrè compleri indicans. Totus enim mun-
dus qui intelligentia percipitur, in toto mundo sensili formis symbolicis mysticè figuratus, ab
ijs cernitur qui possunt videre. Et totus sensilis toti ei qui mente percipitur, in mente per co-
gnitionem rationibus simplex effectus, vnum est. Hic enim in illo est, rationibus: & ille in hoc,
figuris: & eorum est operatio, perinde ac si fuerit rota in rota, vt dicit mirabilis rerum magna-
rum spectator Iezechiel, id de duobus, vt puto, mundis dicens. Et rursus: INVISIBI-
LIA enim ipsius à creatione mundi, operibus intellecta conspiciuntur, ait diuinus Aposto-
lus. Et si videntur per ea quæ apparent, ea quæ non apparent, sicut scriptum est, multo magis
vtique per ea quæ non videntur, ab ijs qui diuinæ contemplationi animum adhibent, ea quæ
apparent, intelligentur. Eorum enim quæ mente percipiuntur, symbolica, quæ fit per ea quæ
sub aspectum cadunt, contemplatio, est eorum quæ videntur, per ea quæ sub aspectum non ca-
dunt, spiritalis scientia & intelligentia. Oportet enim ea quæ se inuicem significant, habere
omnino veras & claras sui inuicem demonstrationes & eam quæ est in ipsis relationem, seu
habitudinem nulla ex parte lædi posse.

QVOD

QVOD ETIAM SOLIVS MVNDI SENSILIS IMAGO est sancta Dei Ecclesia. Caput IIII.

ET rursus solius mūdi per sese sensilis symbolum, ac figurā SANCTAM dixit esse Ecclesiam, vt quæ cælum quidem habeat diuinam sacrarium: terram autē, quæ templi decorem teneat. Similiter autem & mundum esse ECCLESIAM, qui cælum quidem habeat sacrario simile: templum autem, eum qui in terra est ornatum.

QVOMODO ET QVANAM RATIONE HOminem symbolicè affingit & repræsentat SANCTA dei Ecclesia, & ipsa tanquam homo ab ipso effingitur. Cap. V.

RVrsus etiam alio modo contemplationis, dixit esse hominem SANCTAM dei Ecclesiam, quæ animam quidem habeat Sacrarium, & mentem diuinam altare, & corpus templum, vt quæ sit imago, et similitudo eius qui ad Dei imaginem et similitudinem homo factus est. Et per templum quidem, tanquam per corpus, mortalem præ se fert philosophiam. per Sacrarium autem, tanquam per animam, naturalem contemplationem spiritaliter exponit. Et per diuinum altare, tanquam per mentem, mysticam theologiam ostendit. Et contrà, ECCLESIAM Mysticam, hominem, vt qui per corpus quidem, tanquam per templum, actiuam animæ potestatem in mandatis exequendis per moralem philosophiam ex virtute exhilaret: per animæ autem velut sacrarium, quæ ex sensu ducuntur rationes, purè in spiritu à materia circuncisas, ex naturali contemplatione per sermonem Deo offerat: et tanquam per mentis altare, id quod est in adytis decantatissimum, obscuræ et ignotæ diuinitatis magniloquentiæ silentium, per aliud loquax et vocalissimum silentium, prouocat: et quoad eius ab homine fieri potest, cum ea per Mysticam Theologiam vnà versatur, et talis fit, qualem eum esse consentaneum est, qui Dei aduentu dignatus est, et longè clarissimis eius splēdoribus signatus.

QVOMODO ET QVANAM RVRSVS RATIONE, ANIma quoque quæ per seipsum intelligitur, imago est & typus sanctæ Dei Ecclesiæ. Caput VI.

ET non solius quidem hominis, qui ex anima & corpore componitur & constituitur, solum esse posse imaginem docuit sanctam Ecclesiam, sed etiam ipsius animæ quæ ratione per se consideratur. Quandoquidem ex intelligenti & animali seu vitali facultate dixit esse animam, vt summatim diceret compositam: dum intelligens quidem, liberè ex voluntate mouetur: animalis autem secundum naturam citra vllam electionem vt se habet, remanet. Et rursus intelligentis quidem esse & contemplantem & agentem facultatem. Et contemplantem quidem dixit appellari mentem: agentem verò, rationem. Et intelligendi quidem facultatem à mente moueri: animalis autem curam gerere rationem. Et illam quidem esse & dici sapientiam: dico autem mentem, quando motus qui ad Deum feruntur, omnino sibiipsis immutabiles conseruauerit. Similiter autem rationem & esse & vocari prudentiam, quando animalem quæ ab ipsa per prouidentiam regitur, facultatem operationibus prudenter menti coniungens, eam ipsi citra vllum discrimen esse & eandem & similem, per virtutem diuinitatis vim euidentem gerentem ostenderit: quam etiam & menti & rationi dixit naturaliter distribui, sicut magis esse & principaliter constitutam ostendi animam ex mente & ratione, vt quæ sit intelligentia & ratione prædita, animali facultate ex æquo in vtraque, mente scilicet & ratione considerata. Neutrum enim eorum fas est expers vitæ cogitare, quæ etiam ab vtrisque comprehenditur. Per quem mens quidem, quam etiam diximus vocari sapientiā, per contemplatiuum habitum ex arcano silentio & cognitione simplex effecta, ad veritatem per cognitionem quæ obliuioni dari non potest, nec vnquam desinit, ducitur. Ratio autem quam vocauimus prudentiam, actiuo habitu conseruatiuè ex virtute in bonum, per fidem desinit: Ex quibus vtrisque vera diuinarum & humanarum rerum constat scientia. Quæ est verè cognitio quæ minimè falli potest, & totius diuinissimæ Christianorum philosophiæ finis. Et (vt de his dicam apertius) animæ quidem alteram partem dixit esse contemplatiuam, alteram verò actiuam: & contemplatiuam quidem, mentem vocauit: actiuam verò, rationem, vt quæ sint, scilicet primæ facultates animæ. Et rursus mentem, sapientiam: rationem verò, prudentiam, vt

quæ sint prima operationes. Rursus rem persequendo, dixit, Intelligenti quidem animi facul-
tate esse mentem, sapientiam, contemplationem, cognitionem, quæ obliuioni dari non potest co
gnitionem: eorum autem finem esse veritatem. In ratiocinandi autem facultate esse rationem,
prudentiam, actionem, virtutem, fidem. Finem autem eorum esse bonum. Veritatem autem &
bonum, dixit Deum significare. Sed veritatem quidem, quando ex substantia videatur signi-
ficari quod est diuinum. Res enim simplex & sola & vna & eadem, & quæ nec in partes di
uidi nec mutari potest, & est impatibilis veritas & obliuioni dari nequit, nec vllis omnino
interuallis aut dimensionibus seiungi: Bonum autem quando ex operatione. Bonum enim be-
nefacit, & omnium quæ ex ipso sunt, curam gerit atque conseruat & custodit, & eo quòd val
de sit vel statuatur vel currat, ita dictus, vt ij opinantur, qui veram verborum rationem in-
quirunt, omnibus quæ sunt vt sint & permaneant & moueantur, largitur. Quinque ergo cō-
iugationes quæ de anima intelliguntur, dixit versari in vna coniugatione, quæ quod diuinum
est significat. Coniugationes autem nunc dico mentem & rationem, sapientiam & prudentia,
contemplationem & actionem, cognitionem & virtutem quæ obliuioni dari nequit, cogni-
tionem & fidem. Eam autem quæ quod diuinum est, significat veritatem & bonum. Quibus
per progressum mota anima vniuersorum Deo unitur, eius substantia & operationis immu-
tabilitatem & beneficentiam per firmum & stabilem & qui dimoueri nequeat, in bono ex
electione & instituto habitum imitans. Et vt his paruam aliquam conducibilem contempla-
tionem adiungam, hæc fortasse est diuina chordarum decas eius quòd in anima intelligentia
comprehendi potest psalterij: quæ habet rationem spiritu resonantem per aliam beatam præ-
ceptorum decadē, perfectósque consonantes & numerosos intelligentia apprehendendos sonos
efficit, per quos Deus laudatur, vt discā quænā sit eius quæ canit & eius quæ canitur decadis
ratio, & quomodo decadi decas mysticè vnitur & coniungitur. VT meum quidem Deum
& seruatorem completum per me seruatū ad se adducat, qui est semper plenissimus, & supra
omnem modum plenissimus, & à seipso nunquam potest excedere. Me autem hominem mira-
biliter mihi ipsi restituit, vel Deo potius, cui quòd sum, acceptum fero, & ad quem eminus fe-
stino, vt bene sim accipere desiderans. Quod qui cognoscere potuerit ex eo quòd ei quæ dicun-
tur, euenerint, sciet omnino propriam dignitatem, experientia euidenter cognoscens: Quomo-
do redditur imagini id quod est secundum imaginem: & quomodo honoratur exemplar: &
quæ est nostræ salutis mysterij potestas: & pro quo Christus mortuus est: & quomodo rursus
in ipso manere possumus, & ipse in nobis, sicut dixit: & quomodo rectum est verbum domini
& omnia opera eius in fide. Sed ad orationis seriem orationem reducamus, hæc de ijs dixisse
contenti. Dixit mentem motam per sapientiam venire ad contemplationem: per contemplatio-
nem autem ad cognitionem; per cognitionē autem ad cognitionē quæ nunquā datur obliuioni:
per cognitionem autem quæ nunquā datur obliuioni, ad veritatem, in qua mens terminū mo-
tus suscipit, ei circunscripta substantia, facultate & habitu & operatione. Dicebat enim sa-
pientiam esse mentis facultatem seu potentiam: & ipsam mentem esse potestate sapientiam,
contemplationem verò habitum: cognitionem autem operationem. Quæ obliuioni autem da-
ri nequit, cognitionem sapientiæ & contemplationis & cognitionis seu facultatis & habitus
& operationis, eum qui est circa id quod cognosci potest, quod est supra omnem cognitionem,
& desinere non potest, & in habitu est, motum perpetuum: cuius finis est vt res quæ cognosci,
obliuioni autem mandari non potest, veritas. Quod etiam iure est admirandū, quomodo quod
obliuioni dari nescit, circunscriptum definit? Anne clarum est, quòd deo veritate definitū? Deus
enim est veritas, circa quem mens quæ nunquam desinens, & citra vllam obliuionem moue-
tur, nunquam potest à motu desinere cùm non inueniat finem, vbi non est interuallu seiuncta
dimensio. Admirabilis enim diuinæ infinitatis magnitudo est expers quantitatis, nec diuidi po-
test, & nullam habet quæ eam seiungat dimensionem, nec vllam habet comprehensionem quæ
ad hoc vt res qualibet quæ est in substantia cognoscatur, eam præuenit. Quòd autem non ha-
bet dimensionem, vel vlla in re comprehensionem, nulla re definiri potest. Rationem similiter
quæ per prudentiam mouetur tendere ad actionem: per actionem autem ad virtutem: per vir-
tutem autem ad fidem, quæ verè firma & quæ labi non potest, est rerum diuinarum probatio.
Quam primam habens potestate per prudentiam ratio, actu postea per virtutem ostendit,
eam operibus manifestando. Fides enim sine operibus mortua est, vt scriptum est. Quicquid
autem est mortuum & non operatur, nemo vnquam qui sapuerit inter ea quæ bona sunt esse
annumerandum dicere ausus fuerit. Per fidem autem ad bonum, in quo finem accipit ratio,
à suis cessans operationibus, ei circunscripta potestate & habitu & operatione. Rationē enim
diceba-

dicebat esse potestatem, prudentiam, & ipsam rationem esse potestate prudẽtiam, habitum autem actionem, operationem verò virtutem. FIDEM autem, prudentiæ & actionis & virtutis siue potestatis, habitúsque & operationis immobilem & immutabilem concretionem, sine coagmentatione, cuius finis bonum est. In quo desinens ratio, cessat à motu. Deus enim est Bonum, in quo quæuis & cuiusuis rationis facultas suapte natura finem accipit. Quomodò autem & quanam ratione vnumquodque eorum rectè efficitur & in actum deducitur, & quænam vnicuique eorum repugnant vel coniuncta sunt, & quatenus, diuidere & dicere non est præsentis instituti, præterquam vt tantum cognoscamus, quòd omnis anima, quando PER sancti spiritus gratiam & suum studium & diligentiam, hæc inter se inuicem coniungere & contexere potuerit, rationem (inquam) menti & sapientiæ prudentiam, & contemplationi actionem, & cognitioni virtutem, & cognitioni quæ obliuioni dari nescit, fidem: ita nullum ex his alteri collatum, vel minus sit, vel superabundet, rescissa omni eius exuperatione & defectu, et vt paucis complectar, vnitatem suam Decadem fecerit. Tunc ipsa quoque Deo vero & bono & vni & soli vnitur, pulchra & magnifica & ipsi (quoad eius fieri potest) similis generalium virtutum complemento, quæ diuinam quidem quæ est in anima decadem significat: continent autem aliam beatam præceptorum decadem. Quaternio enim decas est potentia, ab vnitate serie per progressionẽ composita. Et rursus idẽ est vnitas per congressum, bonum monadicè continens, & quòd diuina operationis simplex est & diuidi non potest, insecabiliter in se ipsa ostendens. Quibus proprium quidem bonum ab alio non inuadendum, anima strenuè & constanter conseruauit: alienum autem fortiter vt malum profligauit & repulit, vt quæ mentem habeat recta ratione præditam, & prudentem sapientiã, & cõtemplationẽ quæ in actione versatur, & cognitionẽ virtute præditã, & quæ eas cõsequitur, cognitionẽ quæ dari non potest obliuioni quæ simul est & fidelissima, & excidere nõ potest, & vt quæ cùm effecta causis & operationes facultatibus prudenter cõiunctas Deo obtulerit, accipiat diuinitatẽ quæ est effectrix eorũ simplicitatis. Est enim operatio & manifestatio, mentis quidẽ ratio, vt effectũ causa & sapientiæ prudentia & contẽplationis actio, & virtus cognitionis, & eius quæ obliuioni non datur cognitionis, fides. Ex quibus qui erga bonum & veritatẽ, DEVM inquã, internè afficitur, habitus fabricatur, quem dicebat esse diuinam scientiã, & quæ labi & falli non potest, cognitionẽ & dilectionẽ et pacẽ, in quibus et per quas afficitur diuinitas seu deificatio: Illam quidem, vt quæ sit complementum totius eius quam homines de Deo & diuinis assequi possunt, cognitionis & virtutum comprehensionis. Hanc verò, vt quæ germanè ad veritatem ascendat, & sufficientem diuinitatis præbeat experientiam. Et illam quidem, vt quæ totius Dei ex tota affectione, delectationis sit particeps: hanc verò, vt cui eadẽ cũ Deo vsu veniant, et vt ijs qui eã habere dignare fuerint eueniãt, præparat. Si enim, quod diuinum est, est omninò immobile, vt quod nõ habeat, quod ei vlla ex parte molestiam exhibeat: quid enim illius circumspectionẽ præuenerit? Pax autẽ est, quæ labefactari & moueri nõ potest, stabilitas, & præterea lætitia, quæ molestia affici & vexari non potest. An non cuiuis quoq; animæ diuina vsuuenerint, quæ, vt diuinam pacẽ acciperet, digna habita fuerit, vt quæ non solum vitij & ignorantiæ, falsi & mali, quæ sunt vitia virtuti & cognitioni veritati, & bono repugnãtia, quæ motibus animæ qui sunt præter naturã assistunt, sed iam etiã ipsius virtutis et cognitionis, veritatis rursus & bonitatis, qui à nobis discreti & distincti fuerũt, fines, si fas est dicere transgressa & supra omnem modũ verissimo & optimo Dei cubili, verissimis eius promissis cõuenienter, ineffabiliter & incognita ratione coniuncta, & nihil deinceps habens eorũ quæ ei sua natura possint molestiam afferre, quod ad suam in Deo occultationem & beatissimũ & sanctissimum cubile possit peruenire, reuerendum illud eius quæ est supra mentem & rationem, vnitatis peragit mysterium. Per quod vna caro & vnus spiritus fit Deus erga Ecclesiam animam, & erga Deum anima. QVOMODO te Christe propter tuam bonitatem admirabor? Neque enim me laudaturum audebo dicere, qui nec satis quidem te possim admirari pro dignitate. Erunt enim duo in carne vna. Mysterium autem hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia, inquit, diuinus Apostolus. Et rursus, QVI adhæret Domino, est vnus spiritus. Ita ergo vniformem effectam animam & in se & in DEVM coactam, non erit amplius ratio quæ eam in multa per cogitationem diuidat, vt quæ caput habet coronatum primæ & vni soli rationi & Deo, in quo per vnam quæ mente comprehendi non potest, vnitatem, omnes eorum quæ sunt, rationes vniformiter & sunt & subsistunt, vtpote eorum quæ sunt opifice & effectore. In quem fixus oculis respiciens, cum extra eam non sit, sed totus in tota, simplici applicatione, sciet ipsa quoque eorum quæ sunt rationes & causas, per quas forte priusquam

desponsa esset verbo & Deo, via & ratione diuisionis inducebatur: et conseruatiuè numero-
seque ac concinnè ad eum ferebatur, qui omnem rationem & causam & continet et efficit.
Quia ergo hæc sunt animæ, quæ (vt diximus) in mente habet potestate sapientiam, ex sapien-
tia autem contemplationem, ex ea autem cognitionem, ex cognitione autem eam quæ obliuio-
ni mandari nequit, cognitionem, per quam ad veritatem, vt quæ sit finis et extremum bono-
rum, quæ sunt in mente, ducitur. In ratione autem habet prudētiam: ex ea verò actionē: ex a-
ctione autem virtutem, ex ea verò fidem per quam in bono, vtpote earum quæ ex ratione fiūt,
operatione beato fine desinit. Per quæ rerum diuinarum scientia ex congressu vnionis horum
qui fit inuicem colligitur: ad hæc omnia apertè quadrabit, animæ per contemplationem assi-
milata sancta Dei Ecclesia, omnia quidem quæ esse in mente, & ex mente per processum exi-
stere ostensa sunt, per sacrarium significans, quæ autem esse in ratione & ex ratione per distin-
ctionem existere ostensum est, per templum ostendens, & omnia ad id quod in diuino altari
peragitur, mysterium congregans. In quo qui per ea quæ in Ecclesia celebrātur, potuerit pru-
denter & sapienter mysterijs initiari, verè Dei et diuinam suam animam reddiderit. Propter
quam fortasse et huius quæ manu facta est Ecclesiæ sapienter per varietatem eorum quæ in ea
sunt, diuinorum symbolicè exemplar existens, vt nos ad id quod est melius deduceret, data est.

## QVOMODO ET QVANAM RATIONE SANCTA quoque scriptura homo dicitur. Cap. VII.

QVemadmodum autem Anagogica, & quæ mentem sursum euehit, contemplatione di-
xit Ecclesiam esse hominem spiritalem: hominem autem mysticam Ecclesiam: ita etiā
vniuersam simul comprehendens scripturam, eam hominem esse dixit. Nempè quòd
vetus quidem Testamentum habeat corpus, Nouum verò animam, spiritum & mentem. Et
rursus, quòd totius sacræ scripturæ, veteris, inquam, & nouæ historica quidem litera corpus:
Mens autem & scopus eorum quæ scripta sunt, animam. Quod ego quidē cum audissem, per-
fectam & accuratam similitudinem valde sum admiratus, & eum qui pro dignitate vnicui-
que dona largitur pro viribus, vt par fuit, laudaui. Quemadmodum enim homo qui in nobis,
quod ad id quidem quod videtur attinet, est mortalis: quod verò ad id quod non videtur, im-
mortalis: ita etiam Sancta scriptura, habens quidem literam quæ exhibet id quod videtur, spi-
ritum verò qui in litera celatur, quique nunquam esse desinit, veram contemplationis rationē
constituit. Et quemadmodum homo qui est in nobis cupiditatem atque appetitionem imperio
suo regens & continēs, vt caro marcescat & flaccescat efficit: ita etiam sancta scriptura spiri-
taliter intellectà, literam suam circuncidit. Dicit enim magnus apostolus, QVANTVM
noster homo corrumpitur, tantum internus renouatur de die in diem. Hoc etiam intelligatur
& dicatur in Sacra scriptura, quæ homo esse tropicè seu figuratè intelligitur. Quò enim ma-
gis cedit eius litera, eò magis abundat & plura possidet spiritus: & quantum eius quæ ad tem-
pus introducta est, adorationis vmbræ prætereunt: tantum quæ omni ex parte clara est, illustris
& vmbra penitus carens, fidei veritas ingreditur. Ex qua & per quam principaliter & est,
& scripta est, & dicitur scriptura, quæ in mente per spiritalem gratiam imprimitur. Quem-
admodum etiam homo qui in nobis est, per animam mente & ratione præditam principaliter
homo maximè & est & dicitur: ex qua & per quam est imago & similitudo Dei qui eum fe-
cit, & à reliquis animalibus seiungitur, vt qui eius quæ ad ea referatur, facultatis nullū om-
nino euidens signum habeat.

## QVOMODO MVNDVS HOMO DICITVR, ET QVAnam ratione etiam homo mundus. Cap. VIII.

PEr eandem rursus similitudinem aptè, & ad imitandum appositè vniuersum etiā mun-
dum, qui ex iis quæ sub aspectum cadunt, & quæ non cadunt, constituitur, hominem esse
subiecit: & mundum rursus hominem qui constat ex anima & corpore. Dicebat enim
ea quæ intelligentia percipiuntur, obtinere rationem animæ, sicut etiam anima eorum quæ
percipiuntur intelligentia. Et corporis locum tenere sensilia, sicut etiam corpus sensilium.
Et sensilium quidem esse animam, ea quæ sola intelligentia apprehenduntur: eorum ve-
rò quæ intelligentia apprehenduntur, corpus, sensilia. Et vt animam quæ inest corpo-
ri, sensili mundo esse eum qui sola mente percipitur. Ei autem qui mente intelligitur, sen-
silem,

silem, vt corpus quod cum anima commixtum est & contemperatum: & vnum ex vtrisque esse mundum, quemadmodum ex anima et corpore vnum hominē, neutro eorū sibi inuicem per vnionem coniunctorum & coalescentium, alterum negante & deficiente propter legem eius qui colligauit, per quam vnificæ potestatis ratio inspersa est, quæ non permittit vt propter naturalem diuersitatem ignorentur esse eadem substantia in vnione, nec vt pronuncietur proprietatem, quæ vnumquodq; eorum sibi circunscribit, ad diuisionem & seiunctionem plus posse quàm eam quæ mysticè eis in vnione indita est amicam cognationem. Per quā, qui in vniuersum & vnus est modus eius quæ est in vniuersis obscuræ & ignotæ præsentiæ eius quæ omnia continet causæ, qui variè inest in omnibus, & per se, & inter se inuicem omnia inconfusa & indiuidua constituit: & vt suauiter inter se inuicem potius, quàm sua sint separatim, per vnificam habitudinem efficit, donec ei qui colligauit, soluere visum fuerit, maioris & magis mysticæ dispensationis gratia, tempore generalis quæ speratur consummationis, quo & mundus, & homo in eo quod videtur, morietur: & rursus nouus ex senio confecto consurget per eam quæ protinus expectatur resurrectionem. Quando etiam qui in nobis est homo, vt pars cum toto, & paruus cum magno vnà resurget, accepta facultate vt amplius corrumpi nequeant. Quando & animæ corpus, & iis quæ mente intelliguntur, sensilia decore & gloria similia effecta fuerint, vna vniuersis euidenti & efficaci præsentia, pro vniuscuiusque modo & proportione diuina potestate apparente, & per seipsam vnionis vinculum in infinita secula non dissoluendum conseruante. Si quis ergo vult vitam & rationem piam & Deo gratam habere trium horum hominum, mundi, inquam, & sanctæ scripturæ, & eius qui in nobis est hominis, ea quæ sunt meliora & præstantiora plurimi faciat. Et animæ quidem pro viribus curam gerat, quæ est immortalis & diuina, & ex virtutibus Deus est efficienda. Et carnem negligat quæ interitui & morti est obnoxia, & neglectam animæ dignitatem potest commaculare. Corruptibile enim, inquit, corpus aggrauat animam, & deprimit terrenum tabernaculum mentem multum solicitam. Et rursus, Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. & rursus, Qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionē. Cum incorporeis autem & intelligentibus potestatibus mente per cognitionem certamen moueat, relictis iis quæ sunt præsentia & quæ videntur. Quæ enim videntur, inquit, sunt temporalia: quæ autem non videntur, æterna. In quibus propter habitus, qui ex pace est, multitudinem, Deus quiescit, & ad sanctum spiritum per prudentem sanctæ scripturæ meditationem, literam transiliens, sapienter se conferat. In quo est plenitudo omnium bonorum, & thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi, intra quos si quis esse dignus visus fuerit, Deum ipsum inueniet in tabulis cordis inscriptum, per gratiam quæ est in spiritu, reuelata facie Dei gloriam aspiciens, ablato literæ velamine.

## QVORVMNAM SVNT SIGNA, PRIMVS SANCTÆ Synaxis introitus, & quæ post eum peraguntur. Cap. IX.

Post breuem earum quæ à beato Sene de sancta Ecclesia dictæ sunt contemplationum expositionem, restat nunc vt quàm breuissimè fieri poterit, dicamus de sancta Synaxi. Primum ergo pontificis in Ecclesiam ad sanctam Synaxin introitum, primi filij Dei & seruatoris nostri Christi per carnem in hunc mundum aduentus typum & imaginem ferre docuit, per quem cum humanam naturam ab interitu mancipatam, & à seipsa morti per peccatum venundatam, & diaboli tyrannide oppressam liberasset & redemisset, & omne pro ea debitum tanquam reus debendi exoluisset, qui nulli debito, nec peccato erat obnoxius, ad regni gratiam quæ erat ab initio reduxit, dans seipsum precium, Pæonium medicamentū & toti mundo salutare. post quem aduentum eius in cælos, & in thronum supercælestem ascensus & restitutio, symbolicè figuratur per ingressum sacerdotis in sacrarium & ascensum in thronum sacerdotalem.

## QVIDNAM SIGNIFICAT ETIAM POPVLI IN SANctam Dei Ecclesiam introitus. Cap. X.

Populi autem vnà cum pontifice seu sacerdote in ecclesiam ingressus, infidelium ab infidelitate ad fidem, & ab ignorantia & errore ad Dei cognitionem, infidelium conuersionē, & fidelium à vitio & inscitia ad virtutem & cognitionem, traductionem significat.

Non solum enim infidelium ad verum & solum Deum conuersionem, in Ecclesiam introitus significat, sed etiam vniuscuiusque nostrum, qui credimus quidem, sed domini præcepta per turpem & intemperantem vitam infirmamus & transgredimur, per pœnitentiam correctionem. Omnis enim homo, siue homicida, siue adulter, siue fur, siue superbus, siue arrogans vel insolens, ac contumeliosus vel detractor, vel qui odium ac inimicitias gerit, vel iracundus, vel conuiciator, vel calumniator, vel susurro, vel ad inuidiam propensus, vel ebriosus, vel vt semel dicam, ne omnia vitij genera enumerans, sim prolixior, quicunque à quouis vitio tenebatur, postquam eo amplius sua sponte & consulto teneri, & ex proposito operari cessauerit, & vitam in melius mutauerit, pro vitio virtutem eligens, is propriè & verè cum Christo Deo & pontifice, intelligatur & dicatur introire ad virtutem quæ tropicè dicitur Ecclesia.

## QVORVMNAM SVNT SYMBOLA DIVINÆ lectiones. Cap. XI.

Diuinas autem sacrorum librorum lectiones diuinas & beatas, sanctißimi Dei voluntates & consilia dicebat significare magister. Per quæ eorum quæ sunt agenda, admonitiones vnusquisque nostrum pro ea quæ inest ei, facultate conuenienter accipimus, & diuinorum ac beatorum certaminum leges discimus. Quibus conuenienter legitimè certâtes, quæ victoribus iure dantur, regni Christi coronis digni habebimur.

## QVORVMNAM SVNT SIGNA DIVINA cantica. Caput XII.

Spiritalem autem diuinorum canticorum delectationem, dicebat significare voluptatem diuina bona significantem, quæ animas ad sincerum & beatum Dei amorem commouet, ad vitij autem odium magis incitat.

## QVID SIGNIFICANT PACIS ACCLAMATIONES. Caput XIII.

Per pacis autem acclamationes quæ intus ex sacrario fiunt iussu Antistitis in vnaquaq; lectione, eas quæ per sanctos angelos deferuntur, diuinas susceptiones significari dicebat sapiens senex. Per quas Deus definit eorum certamina qui legitimè pro veritate contra aduersas potestates decertant, quæ sub aspectum non cadunt, congreßiones dissoluens, & pacê dans in exinanitione corporis, & pro susceptis pro virtute laboribus, sanctos impatibilitatis gratia remunerans. Vt cùm pugnare cessauerint, ad spiritalem agriculturam seu virtutû operationem, animæ potestates transferant, per quas malorum spirituum cateruas dissoluerunt, eos Christo ducente, difficilésque & ineuitabiles diaboli machinas dißipante.

## CVIVSNAM IN VNOQVOQVE PROPRIE signum est, sancti Euangelij lectio, & Mystica, quæ eam consequuntur. Caput XIIII.

Vnde statim post eas, diuinam Sancti Euangelij lectionem sacra Sancta Ecclesiæ constitutio fieri iußit, propriè quidem eam quæ à bonis pro verbo suscipitur, afflictionem introducens, postquàm is qui est cognitionis contemplationis veluti Pontifex, è cœlo ad eos adueniens verbum, eis carnis prudentiam, tanquam sensilem Mundum perficit, rationes quæ deorsum adhuc in terram spectant, tanquam initiatas, ab eis repellens, & ad eorum quæ mente intelliguntur, considerationem, per portarum claustrum, & sanctorum mysteriorum introitum, eos deducens. Et cum rationum & actionum iam sensus clauserint, & extra carnem & mundum fuerint, eos arcana docet, iam antè ad seipsos & ad eum per salutationem introductos, & pro multis in ipsos beneficijs, solam pro sua salute gratiarum actricem confeßionem grato animo referentes, quam diuinum significat tibi FIDEI Symbolum. Deinde, cùm eos per ter sanctum in Angelorum numerum retulerit, & eandem quam eis sanctificantis Theologiæ gratiam concesserit, ad Deum & Patrem adducit adoptatos spiritu, per orationem, per quam digni habiti sunt qui patrem Deum vocarent: & deinde rursus, tanquam qui iam

iam scitè ac sponte omnes, quæ sunt in iis quæ sunt, rationes perfecerint, incognitè ad incognitam, per hoc quod est, VNVS Sanctus, & ea quæ deinceps sequuntur, deducit vnitatem, gratia Deos effectos, & per eius solam, in quod potestate non cadit diuisio, participationem, similes effectos.

CVIVSNAM EST SIGNVM, EX EO QVOD GEneraliter significatur diuina sancti Euangelij lectio. Cap. XV.

GEneraliter autem mundi huius consummationem significat. Post diuinam enim sancti Euangelij lectionem, quando Pontifex descendit de sede, & Catechumenorum & reliquorum qui diuina ostendendorum sacramentorum contemplatione indigni sunt, fit per sacros ministros dimißio & eiectio, quæ per se veritatem significat & præfigurat, cuius imago est & typus: & inter eos quodammodo clamat, quòd, postquam Euangelium regni fuerit prædicatum in vniuerso mundo, vt scriptum est, In testimonium omnibus gentibus, tunc veniet finis, adueniente in secundo eius aduentu ex cælis, cum magna scilicet potẽtia, magno Deo & Seruatore nostro Iesu Christo, (ipse enim Dominus in voce Archangeli & in sono tubæ descendet de cælo, inquit diuinus Apostolus) & aduersarios vlciscente & per sanctos Angelos, fideles ab infidelibus segregante, & à iustis iniustos, & à sanctis scelestos, & vt semel dicam, ab iis qui in Dei spiritu ambularunt, eos qui post carnem iuerunt, & in infinitis & nunquam finiendis seculis, vt dicit diuinorum eloquiorum veritas, pro eorum quæ in vita egerint, dignitate iustam reddente retributionem.

CVIVSNAM SIGNVM EST, QVOD SANCTÆ Ecclesiæ fores clauduntur post sanctum Euangelium. Cap. XVI.

QVòd autem post sacram sancti Euangelij lectionem, & Catechumenorum eiectionem, sanctæ Ecclesiæ fores clauduntur, significat et rerum materialium transitum, et eum qui post terribilem illam segregationem et terribiliorem sententiam, in mundum, qui mente tantum intelligitur, seu in sponsi CHRISTI thalamum futurus est, dignorum ingreßum, et eius quæ per fraudem fit in sensibus, operationis perfectam eiectionem.

QVID SIGNIFICAT SANCTORVM SACRAmentorum introitus. Cap. XVII.

SAnctorum autem & venerabilium mysteriorum ingressus, est initium & proœmium, vt magnus ille dicebat Senex, nouæ doctrinæ quæ in cælis futura est, de Dei erga nos dispensatione, et reuelatio mysterij nostræ salutis, quod est in diuinæ occultationis adytis. NON bibam enim (inquit suis discipulis Deus et Verbum) deinceps de genimine vitis vsque ad diem illum, quando ipsum bibam nouum vobiscum in regno Patris mei.

CVIVS EST SYMBOLVM DIVINA SALVtatio. Caput XVIII.

SPiritalis autem quæ omnibus acclamatur salutatio, omnium quæ inter se inuicem futura est in tempore reuelationis bonorum ineffabilium, consensum & concordiam, & rationalem (vt ita dicam) identitatem per fidem & dilectionem, per quam cum ratione seu verbo & Deo familiaritatem & coniunctionem digni suscipiunt, describit & præfigurat. Rationis enim & orationis signum est os, per quam omnes maximè qui rationis, vtpote ratione præditi, fuerunt participes, etiam primæ & soli rationi, ac verbo omnisque rationis ac orationis auctori coniunguntur.

QVID SIGNIFICAT DIVINVM FIDEI Symbolum. Caput XIX.

DIuini autem fidei Symboli quæ fit ab omnibus confeßio, eam quæ propter admirabiles sapientißimæ in nos Dei prouidentiæ modos & rationes, in futuro seculo facienda est, gratiarum actionem præsignificat, per quam se propter diuina beneficia gratos qui

digni sunt, constituunt, cum præter eam, pro innumerabilibus diuinis quæ acceperunt, bonis aliquid aliud omnino referre nequeant.

## QVID SIGNIFICAT TER SANCTI GLOrificatio. Caput XX.

TRina autem, quæ fit, diuinæ laudis sanctitatis exclamatio à toto populo fideli, eam quæ cum incorporeis & intelligentibus potestatibus in futuro est apparitura, vnionem & æqualitatem significat, per quam conuenienter supernis potestatibus, (propterea quòd immutabilis & perpetuus in Deum motus eisidem sit) tribus sanctificationibus vnam diuinitatem, quæ tres habet personas siue hypostases, laudare & sanctificare humana natura docebitur.

## CVIVS EST SYMBOLVM SANCTA PREcatio, Pater noster. Caput XXI.

SAnctißimæ autem & in primis veneranda magni & beati Dei & patris, inuocatio est symbolum, per quam omni superata & tecta humana proprietate, aduentu gratiæ, filij Dei appellabuntur: & erunt omnes sancti qui per virtutes hîc se diuinæ bonitatis pulchritudine splendidè & gloriosè exornarunt, speciosósque reddiderunt.

## QVID SIGNIFICAT MYSTICI SACRIficij finis, dum exclamantur hymni, videlicet, Vnus sanctus, & quæ sequuntur. Cap. XXII.

QVæ autem in mystici sacrificij fine à toto fit populo, scilicet, Vnus sanctus, & eorum quæ sequuntur, confeßio: eam quæ supra rationem & mentem erga vnum diuinæ simplicitatis arcanum, futura est eorum qui mysticè & sapienter in Dei mysterijs initiati sunt, in eorum quæ sola intelligentia percipiuntur, ab interitu alieno seculo coniunctionem & vnionem significat. In quo eius quæ non apparet & est supra omnem modum ineffabilis, gloriæ lucem aspicientes, ad beatam puritatem cum supernis potestatibus suscipiendam, fiunt idonei. postquam fit, tanquam finis omnium, SACRAMENTI communicatio, quæ in seipsum transformat: & bono per causam similes ex gratia & participatione, efficit eos qui dignè sunt participes, quibus nihil deest, quantum homini contingit & datur, quominus ipsi sint & vocentur adoptione Dij, per gratiam, propter totum Deum, qui eos totos seipso impleuit, & nihil ex eis reliquit sua præsentia vacuum.

## QVOMODO ET QVANAM RATIONE, animæ quoque per se intellectæ in vnoquoque seorsum, Deum efficiens & perficiens per prædicta consyderatur constitutio. Cap. XXIII.

AGe verò via & ordine per eadem procedentes, rursus etiam eadem de cognoscente anima consideremus, & parumper, pro viribus ratione ad altiorem contemplationem piè ascendere, & consyderare, & intelligentia consequi, quomodo diuini sanctæ Ecclesiæ ritus animam ad suam perfectionem per veram & efficacem cognitionem deducunt; mentem, quæ id vult & desiderat, Deo, si videtur, deducente, minimè prohibeamus.

## CVIVSNAM EX ANIMÆ VIRTVTIBVS signum est, primus sanctæ Synaxis introitus. Cap. XXIIII.

REspice ergo quisquis es beatæ Dei sapientiæ verus & sincerus amator, mentis oculis, in primo sanctæ Synaxis ingressu, ab externo materialium errore & perturbatione, sicut scriptum est, MVLIERES venientes à spectatione, venite: ea, inquam, quæ fit in forma & figura per aspectum, errorem sensilium. Neque enim verum est eam dicere contemplationem, quemadmodum dicunt insipientes Græcorum sapiẽtes (Sapientes enim à nobis nunquam

quam dicentur, qui Deum per eius effecta cognoscere non potuerunt, aut noluerunt) per quam est sensilibus perpetuum inter se bellum, mutuum sibi interitum afferentibus, & in seinuicem intereuntibus, & hoc solum firmum & stabile habentibus, quòd sint instabilia, & corrumpãtur, & in concordia ac perseuerantia à pugna & seditione aliena, nunquam poßint conuenire. Respice, inquam, ab his venientem & quam citißimè fugientem animam, & tanquam ad Ecclesiam, asylum, & pacis templum, ad naturalem in spiritu contemplationem, quæ est à pugna & omni perturbatione libera cum ratione, & à ratione seu verbo magno, & vero nostro Deo, & Pontifice ingredientem, & quæ per diuinas lectiones, tanquam per signa, & eorum quæ sunt, rationes magnum & admirabile diuinæ, quæ in legibus & Prophetis significatur, diuinæ Prouidentiæ docetur mysterium, & in vnoquoque pro pulchra eius disciplina, per sanctas potestates, cum ea per mentem & intelligentiam loquentes, pacis datrices significationes cum confirmante & conseruante delectatione diuini & ardentis ex Deo desiderij, per diuinorum canticorum, quæ intelligentia percipitur, voluptatem mysticè cantatam accipit. Rursus eam aspice ab his transeuntem, & ad vnum & solum has rationes vnicè comprehendentem verticem se conferentem, dico autem sanctum Euãgelium, in quo omnes & prouidentiæ, & eorum quæ sunt rationes, per vnam cõprehendẽdi facultatem vniformiter præextiterunt. Post quod, diuino sensu rursus fas est piis imperturbatis mẽtis oculis videre VERBVM & DEVM de cælis ad eam descendentem, sicut Pontificis à Sede sacerdotali descensus significat, & instar Catechumenorum, perfectè discernentem rationes, quæ in sensus & eius quod in eo diuidi potest, visione versantur. Deinceps rursus eam, cum extra sensilia fuerit, vt sanctæ Dei Ecclesiæ portarum obseratio intelligendum suggerit, ad eam quæ per ineffabilium mysteriorũ introitum significatur, materiæ expertẽ et simplicẽ, & immutabilem, & deiformẽ, & ab omni forma & figura liberam, eorũ, quæ intelligentia percipiuntur, scientiam deducentem. Per quam cum rursus ad seipsum proprias facultates collegerit, rationi autem seipsam in mente per intelligentem salutationem, seu complexum, vnierit, eas quæ in ipsa sunt, salutis rationes & modos, per fidei symbolum, grato & memori animo confiteri docentem. Post hæc autem rursus, vt quæ iam deinceps per simplicem, & quæ diuidi non potest, facultatem, & sensilium, & eorum quæ mente percipiuntur, rationes, per disciplinam cognitione comprehenderit, ad sublimis & illustris Theologiæ cognitionem, postquam omnia peruaserit, deducẽtem, & Angelis æqualem, quantum assequi contingit, præbentem ei intelligentiam, & moderatè eam tantum docentem, vt sciat Deum vnum, vnam substantiam, tres personas, seu hypostases, ter subsistentem substantiæ vnitatem, & eiusdem cum hypostasesi seu personis substantiæ trinitatem, vnitatem in trinitate, & trinitatem in vnitate, nõ aliam & aliam, neque aliam præter aliam, neque aliam per aliam, neque aliam in alia, neque ex alia aliam: sed eandem in seipsa, & per se sub seipsa, sibi ipsi idem, & vnitatem, & trinitatem, incompositam & inconfusam vnionem habentem, & discretionem, quæ nec diuidi, nec in partes scindi potest. Vnitatem quidem, ex substantiæ, seu quatenus est, ratione, sed non ex substantiæ compositione, vel contractione, vel cuiusmodicunque confusione. Trinitatem verò, ex modi existendi & subsistendi ratione, sed non per diuisionem, vel alienationem, vel cuiusmodicunque partitionem. Neque enim vnitas hypostasesi seu personis diuisa est: neque relatiuè vnum est, & in eis consideratur. Neque in vnitate compositæ sunt personæ, vel eam explent contractione, sed eadem sibi ipsi idem, sed tamen aliter & aliter. Est enim SANCTA Trinitas personarum vnitas eiusmodi, vt substantia, & simplici, quæ in ipsa est, ratione, confundi non poßit: & est trinitas, personis & existendi modo, sancta vnitas. Eandem totam hoc & illud diuersè, alio & alio modo, vt dictum est, intellectam, vnam, & solam, & quæ nec diuidi, nec confundi potest, & simplicem, & cui nihil potest detrahi, & quæ mutari nequit, diuinitatem, vnitatem in tota substantia existentem, & totam trinitatem eandem cum personis, & vnum vnius trinè apparentis luminis radium, vniformiter resplendentem. In quo etiam animam, cum æque ac sancti Angeli, apparentes, & quas creatura assequi potest, de diuinitate rationes susceperit, & eodem cum eis concentu, absque silentio, vnam diuinitatem trinè celebrare didicerit, ad adoptionem per gratiam, per conuenientem similitudinem euehi, per quam in precibus Deum Patrem, & mysticum gratia, & solum habent ad id quod vnum est eius occultationis, per omnium extensionem contrahetur, & hoc ei potius eueniet, quàm vt diuina cognoscat, quatenus nec suipsius esse vult, nec ipsa ex seipsa sub seipsa, vel alio aliquo cognosci poßit, quàm solo eo qui totam benignè & vt bonum decet, eam suscepit, toto Deo, & ei toti, vt Deum decet, magnificè, & impatibiliter seipsum immisit, & totum Deum effecit, & in seipsum immutabi-

liter transformauit. Vt sit, sicut dicit sanctissimus Dionysius Areopagita, imago & manifestatio obscuri luminis, speculum purum, maximè perspicuum, illæsum, impollutum, immaculatum, totam in se suscipiens, si fas est dicere, boni exemplaris, diuinæ formæ speciē, & citra diminutionem, in seipso (quoad eius fieri potest) bonitatem silentij, quod est in adytis, illuminans.

QVIDNAM OPERETVR ET EFFICIAT MYSTERIORUM, per ea quæ in sancta Synaxi peraguntur, ritus in fidelibus & ijs qui fideliter congregantur, ad Ecclesiam accedens spiritus sancti gratia. Cap. XXV.

EXistimabat itaque beatus senex, nec adhortari cessabat oportere omnem Christianum sanctæ Ecclesiæ vacare, & nunquam abesse à sancta communione quæ in ea peragitur, propter sanctos angelos qui in ea permanent, & eos qui ingrediuntur, semper describunt & Deo aperiunt, et pro eis orationes faciunt. Et propter sancti spiritus gratiam quæ inuisibiliter quidem semper permanet, maximè autem et propria ratione tempore sanctæ Synaxis, et vnumquenque eorum qui inueniuntur, transmutat et transformat, et vt verè dicamus pro modo & proportione ipsorum, ad id quod est diuinius, traducit & effingit, & ad id quod significatur per mysteria quæ peraguntur, deducit, & si ipse non sentiat, si est ex ijs qui sunt in Christo paruuli, & in profundum eorum quæ fiunt, nequit intueri: & propter eam quæ significatur per vnumquodque eorum quæ peraguntur, diuinorum signorum salutis in ipso operantem gratiam, per ordinem & seriem ab his quæ cohærent vsque ad omnium finem procedentem. Et in primo quidem introitu, efficientem infidelitatis eiectionem, fidei incremētum, vitij diminutionem, virtutis augmentum, ignorantiæ delectionem, cognitionis additamentum. Per diuinorum autem verborum auditionem, eorum quæ dicta sunt, fidei inquam, & virtutis & cognitionis solidos & immobiles habitus & affectiones. Per ea autem quæ illa consequuntur, diuina cantica, voluntarium animæ virtutibus assensum, & quæ propter eas in ipsa inest in mente versantem voluptatem & delectationem. Per sacram autem lectionem sacri Euangelij, terrenæ cogitationis & prudentiæ, tanquam mundi sensilis consummationem. Per portarum autem quæ postea fit, obserationem qui ex affectione ab hoc mundo interitui & corruptioni obnoxio, ad mundum qui intelligentia percipitur, fit animæ transitum & traductionē, per quam cùm sensus instar portarū mysterijs initiauerit, eos ab imaginibus quæ sunt in peccato puros efficit. Per sanctorum autem mysteriorum ingressum, perfectiorem & magis mysticam & nouam de Dei in nos dispensatione doctrinam & cognitionem. Per diuinam autē salutationem, omnium in omnes, & vniuscuiusque prius in seipsum, & Deum concordiæ & consensionis & dilectionis (si dicere liceat) identitatem. Per symbolum autem confessionis fidei, propter admirabiles & opinione maiores salutis nostræ modos vtilem gratiarum actionem. Per Ter sanctum autem, cum sanctis angelis vnionem & honoris æqualitatem, & non cessaturam sanctificantis Dei glorificationis modulatam consonantiam. Per orationem verò, per quam patrem Deum vocare digni habemur, verissimam sancti spiritus quæ fit in gratia adoptionem. Per hoc autem quod canitur, Vnus sanctus, & quæ sequuntur, gratiā & coniunctionem quæ cum Deo vnum efficit. Per sanctam autem immaculatorum & viuificorū sacramentorum participationem, eam quam cum ipso esse contigit, ex participatione per similitudinem communicationem, & (vt eodem verbo rursus vtar) identitatem, per quam ex homine Deus fieri homo dignus habetur. Quorum enim hic in præsenti vita per gratiam in fide credimus esse donorum sancti spiritus participes, eorum in futuro seculo verè, & vt re ipsa ita sit, per spem fidei nostræ quæ non excidit, & eius qui est pollicitus, firmam & stabilem, & quæ transiliri non potest, promissionē, cùm præcepta pro viribus seruauerimus, credimus nos futuros participes, transeuntes à gratia quæ est in fide, in gratiam quæ est in forma, Deo scilicet & seruatore nostro Iesu Christo, per ablationem eorum quæ in nobis corruptionem & interitum significant, in seipsum transformante & transmutante, & quæ per signa sensilia hic ostensa sunt, archetypo & primitiua largiente sacramenta. Vt autem memoriæ facilius mandentur eorum quæ dicta sunt, vim (si videtur) breuiter percurrentes, ita in summum redigamus. Est ergo sancta Ecclesia typus, vt dictum est, & imago Dei, quoniam quam infinita sua potestate & sapientia, in diuersis eorum quæ sunt substantijs inconfusam vnionem, tanquam opifex in summo sibi coniungens & continens: ea quoque per fidei gratiam eam effecit. omnes quidem in vna fidei & gratia & vocatione, fideles inter se inuicem vniformiter coniungens,

gens: eos autem qui in rerum actione, & in virtute versantur, per mẽtem quæ est vna & eadem: eos autem qui se contemplationi & rerum cognitioni dederunt, vltra hac etiam per cõcordiam quæ frangi & diuidi non potest. Mundi autem tam eius qui intelligentia percipitur, quàm sensilis typus est, vt quæ eius qui cadit in intelligentiam, signum habeat sacrarium: sensilis verò, templum. Hominis autem rursus est imago, vt quæ animam per sacrarium imitetur: corpus autem, per templum repræsentat. Ipsius autem animæ per se intellectæ typus est & imago, vt quæ contemplantis facultatis gloriam ferat per sacrarium; agentis verò decorem & honestatem per templum habeat. Sancta autem, quæ in ea peragitur, synaxis, primus quidem ingressus, generaliter quidem significat primum CHRISTI Dei nostri aduentum: separatim verò, quæ per ipsum, & cum ipso, eorum qui ab infidelitate ad fidem, & à vitio ad virtutem, & ab ignorantia ad cognitionem introducuntur, conuersionem. Quæ autem post eam fiunt, lectiones, generaliter quidem diuinam voluntatem, cui conuenienter oportet omnes erudiri & vitam suam instituere, significat: priuatim verò ac separatim eam quæ est ex fide doctrinam, & eorum qui crediderunt, profectum, & agentium firmam ac stabilem ex virtute affectionem, per quam in diuina lege præceptorum ingredientes fortiter ac constanter diaboli insidijs resistunt, & quæ eis aduersantur opera, ratione effugiunt, & eorum qui se cognitioni dedunt, habitum qui versatur in contemplatione. Per quam sensilium, & eius quæ in eis est prouidentiæ, spiritales pro viribus rationes colligentes, citra errorem feruntur ad veritatẽ.

Diuinæ autem canticorum modulationes, diuinam voluptatem ac delectationem quæ omnium mentibus ingeneratur, per quam mysticè confirmati, præteritorum quidem virtutis laborum obliuiscuntur, ad eorum autem quæ restant, diuinorum & à corruptione alienorum bonorum vehemens intensúmque desiderium iuuenes recentésque redduntur ac renouantur.

Sanctum autem euangelium, est quidem generaliter huius mundi consummationis signum: seorsum verò ac peculiariter significat eorum quidem qui crediderunt perfectam & omni ex parte absolutam antiqui erroris deletionem. Eorum autem qui in actione versantur mortificationem, & legis secundum carnem & insipientiæ consummationem. Eorum verò qui cognitioni se dedunt, multarum ac diuersarum rationum, ad eam quæ maximè continet, contractionem & relationem, naturali contemplatione, quæ maiori traiectione vtitur & est magis varia, eius consummata ac finita. Antistitis autem de sede descensus, & Catechumenorum eiectio, generaliter quidem significat, secundũ magni Dei & seruatoris nostri IESV CHRISTI de cælis aduentum, & peccatorum à sanctis segregationem, & iustam pro vniuscuiusque meritis retributionem: seorsum verò ac seiunctim, perfectam in fide eorum qui crediderunt, confirmationem, & comprobationem, quam DEVS & VERBVM eis accedens, facit, cum tamen sub eorum aspectum non cadat, per quam qualibet adhuc in fide vlla ex parte claudicans ratio, more Catechumeni, ab eis eijcitur. Eorum autem qui in actione versantur, perfectam impatibilitatem, per quam qualibet affectionibus obnoxia & non illustrata ratiocinatio, ab anima recedit. Eorum autem qui se cognitioni dediderunt, ea quæ cognita sunt continentem scientiam, per quam omnes materialium imagines ab anima expelluntur. Portarum autem obseratio & sanctorum mysteriorum ingressus, & diuina salutatio, & symboli fidei exclamatio, generaliter quidem significant sensilium transitum, & rerum quæ in intelligentiam tantum cadunt, manifestationem, & nouam diuini quod est in nobis mysterij doctrinam, & omnium in omnes, in seipsos & Deum futuram concordiam & consensionem, dilectionem & (si dici posit) identitatem, & quæ pro ijs fit, propter quos seruati sumus, modis gratiarum actionem: separatim autem ac propriè, fidelium quidem, qui fit ex simplici fide ad dogmatum doctrinam, imitationem consensionem & pietatem profectum. Primum enim ex his significat portarum obseratio. secundum autem sanctorum introitus. Tertium verò salutatio, & quartum symboli acclamatio. Eorum autem, qui in actione versantur, ab actione ad contemplationem, cum sensus compresserint & extra carnem & mundum fuerint eiectis, quæ ex eis fiunt, operationibus traductionem: & à modo præceptorum ad eorum rationem ascensionem, & ipsorum præceptorum, ex proprijs rationibus cum animæ facultatibus coniunctionem, & intelligentiam, & ad Theologicam gratiarum actionem, aptum & accommodatum habitum. Eorum autem qui se cognitioni tradiderunt, à naturali contemplatione ad eorum quæ cadunt in intelligentiam, simplicem mentis considerationem. Per quam nequaquam per sensum, vel aliquid eorum quæ videntur, diuinam & ineffabilem rationem persequitur, & cum anima suarum ipsius facultatum vnionem, & quæ in mente, diuinæ prouidentiæ rationem vniformiter comprehendit, simplicitatem. Quæ autem nunquam cessat, sanctificans

sanctorum Angelorum TER SANCTI glorificatio, generaliter quidem significat eam quæ simul & eodem tempore futura est in futuro tempore, cælestium & terrenarum potestatum æqualem vitæ rationem, & Dei gloria afficiendi consensionem, vtpote cùm corpus per resurrectionem hominibus immortale effectum, & corruptio non amplius grauet animam, nec grauetur, sed per immutationem ad alienationem à corruptione & interitu, ad Dei suscipiendam præsentiam, potestatem & aptitudinem acceperit. Separatim autem & propriè, fidelium quidem cum Angelis theologicam in fide contentionem. Eorum autem qui in actione versantur, Angelis æqualem, quoad eius fieri potest hominibus in vita splendorem, & Dei decantandi intensum studium & vehementiam. Eorum vero qui cognitioni se dedunt, Angelis æquales, quantum hominibus datum est, diuinitatis mente comprehensiones, laudationes & perpetuos motus. Beata autem magni Dei & Patris inuocatio & VNVS SANCTVS, & eorum quæ sequuntur acclamatio, & sanctorum & viuificorum mysteriorum participatio, eam quæ in omnibus dignis futura est, per Dei nostri bonitatem in filios adoptionem, vnionem & coniunctionem & diuinam similitudinem & deificationem significat. Per quam erit omnia in omnibus qui seruantur, ipse Deus similibus, vt lux primaria, ceu lucis exemplar quæ in eis resplendet, qui per virtutem & cognitionem ex gratia similiter resplendent. Fideles autem & virtutis studiosos & cognitioni deditos vocauit eos qui introducuntur, & eos qui proficiunt & eos qui sunt perfecti, seruos scilicet & mercenarios, & filios, tres ordines eorum qui seruantur. SERVI enim sunt fideles, qui metu eorum quæ comminatus est, Domini mandata exequuntur, & non propter amorem & beneuolentiam eorum quibus crediderunt.

Mercenarij autem, qui promissorum bonorum desiderio, pondus & æstum diei tolerantes ferunt, hoc est, quæ præsenti vitæ ingenerata & coniuncta est à primi parentis condemnatione afflictionem, & quæ in ea pro virtute suscipiuntur tentationes, & præsenti vita, vitam futuram, libera & spontanea sententia sapienter commutant. Filij autem, qui nec minarum metu, nec promissorum desiderio; sed qui more & habitu inclinationis & affectionis animæ, quæ ad id quod honestum est, fertur, à Deo nunquam separantur, conuenienter illi sententiæ, qua dictum est, FILI, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: vt quibus per adoptionem in gratia hoc esse contingat, quod ex natura & causa Deus est & creditur. NE ERGO à sancta dei Ecclesia recedamus, quæ tot in sancta eorum quæ peraguntur, diuinorum signorum ordinatione, nostræ salutis mysteria continet: per quæ vnumquemque nostrum, maximè qui vitam rectè instituit, pro modo & proportione sua, sicut Christus fabricans, quod datum est per sanctum Baptismum in Spiritu Sancto adoptionis donum, in manifestationem deducit, Christo conuenienter peractum: sed omni facultate & studio exhibeamus nos ipsos dignos diuinis donis, per bona opera Deo gratias agentes, non conuersantes sicut gentes quæ Deum non norunt, in passione desiderij: sed quemadmodum dicit sanctus Apostolus, mortificantes membra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, passionem desiderium malum, & auaritiam, quæ est cultus idolorum: propter quæ venit ira in filios diffidentiæ, & iram omnem, & indignationem, et turpiloquium, & mendacium, & (vt semel dicam) omnem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desyderia deceptionis cum actionibus eius & desiderijs, deponentes, Deo dignè ambulemus, qui nos in regnum suum & gloriam vocauit, induentes viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, longanimitatem, in dilectione se inuicem sustinentes & sibi inuicem condonantes. Siquis aduersus aliquem querelam habeat: sicut & Christus condonauit nobis: & in omnibus vinculum perfectionis, charitatem & pacem, in quam vocati sumus in vno corpore. Et, vt in summa dicam, nouum hominem, qui renouatur ad cognitionem ad imaginem eius qui creauit ipsum. Ita enim viuentes, poterimus ad finem diuinarum promissionum cum bona spe venire, & impleri agnitione voluntatis eius, in omni sapientia & prudentia spiritali, fructificantes & crescentes in agnitione Domini, in omni potestate confirmati, secundum potentiam gloriæ ipsius, in omnem ædificationem & longanimitatem, cum gaudio gratias agentes Patri, qui nos fecit sufficientes in partem sortis sanctorum in lumine. Huius autem gratiæ clara est demonstratio, voluntaria, ac spontanea, in id quod est cognatum, vnà cum eo affectio. Cuius opus est, vt homini, qui vlla in re nostro auxilio indiget, pro viribus, sicut Deus, necessitudine & familiaritate iungamur, & non sinamus vt curæ & prouidentiæ sit expers, sed conuenienti studio, reipsa factisque ostendamus, viuam esse, quæ in nobis est, in Deum & proximũ affectionem. Ex facto enim demonstratur affectio. Nihil enim est nec tam ad iustitiam facile, nec ad hoc, vt Dij (vt ita dicam) reddamur, & ad Deum quam proximè accedamus, aptum est, vt misericordia, quæ ab anima in

indigen-

indigentes lubenter & hilariter offertur. Si enim Deus verbum, eum qui vt beneficio afficiatur, indiget, seipsum esse ostendit: QVOTIES enim, inquit, vni ex his minimis fecistis, mihi fecistis: Deus est autem, qui dixit: multo magis eum qui benefacere potest & facit, verè per gratiam & participationem Deum esse ostenderit, vt qui eius benificentiæ operationem & proprietatem aptè imitando, assumpserit. Et si pauper Deus est, propterea quòd Deus pro nobis pauper factus, se ad nostram imbecillitatem demiserit, & vniuscuiusque affectiones misericorditer in seipsum suscipiat, & vsque ad seculi consummationem, pro modo & proportione vniuscuiusque passionis, semper propter bonitatem, mysticè patiatur: multo magis probabili ratione Deus est, qui ad Dei imitationem, eorum qui patiuntur affectiones, per seipsum diuinè medicatur, & eandem cum Deo, per proportionem, conseruantis prouidentiæ in affectione potestatem se habere indicat. Quis est ergo ad virtutem adeò tardus, & motu difficilis, vt diuinitatem non desideret, quæ tam facile emi, parari & possideri potest? Eorum autem secura est, vt quæ fures & pradones non timeat, custodia & facilis est via ad salutem, sine qua (vt puto) nihil verè ab eo qui possidet, sine damno conseruatur. Hæc est, quæ per se & à se propriè exercetur actio, per quam ea quæ sunt in nobis ipsis solis considerare & perspicere discentes, ne ab alijs inaniter damnum accipiamus, liberamur. Si enim nos ipsos solos intueri & examinare didicerimus, nunquam ea quæ sunt aliorum, cuiusmodicunque fuerint, inuademus: scientes vnum esse solum iudicem sapientem & iustum Deum, qui sapienter & iustè, omnia quæ fiunt, ex ea ratione, ex qua facta sunt, iudicat, non ex ea, ex qua manifestata sunt, quam fortasse possint etiam homines iudicare, ad id quod apparet obscurè respicientes. In quo tamen non est omnino veritas, nec eorum quæ fiunt, ratio. Deus autem & animæ motum qui sub aspectum non cadit, & appetitionem quæ videri non potest, & ipsam rationem, qua impulsa est anima, & rationis scopum & institutum, hoc est, totius rei, qui in mente prius erat, finem respiciens, iustè (vt dixi) omnia iudicabit quæ fiunt ab hominibus. Quòd si rectè gerere studuerimus, & nos ipsos nobis ipsis circunscribemus, non ijs quæ exterius accedunt, nec videre, nec audire, nec loqui, oculum, vel aurem, vel linguam ea quæ sunt aliorum sinemus, si maximè quidem fieri potest, omnino: sin minus, ex misericordia potius quàm ex animi perturbatione, eis agere, & non ad lucrum nostrum videre & audire & loqui permittentes, & solum tantum quantum diuinæ rationi, quæ ea, vt auriga currum, regit, videtur. Nihil enim est his instrumentis ad peccatum pronius, si ratione non reprimatur & castigetur. Et nihil est rursus eis ad salutem promptius, si ea ordinet & componat ratio, & ad quæ oportet & vult, deducat. Ne ergo neglexerimus, Deo pro viribus parere vocanti nos ad vitam æternam & beatum finem, per diuinorum & salutarium suorum mandatorum executionem. Vt accipiamus misericordiam & inueniamus gratiam in auxilio opportuno: quod est, inquit diuinus Apostolus, cum omnibus qui amant dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione: hoc est, qui in virtutis incorruptione & sinceritate, & cum vita pura & non dissimulata honestate, amant Dominum: vel (vt dicam apertius) qui amant Dominum in facienda eius voluntate & diuinorum eius iussorum nihil corrumpunt. Hæc ego de his, propter mercedem obedientiæ, pro viribus, vt doctus sum, exposui, ea quæ sunt magis mystica & altiora, attingere non ausus. Quæ si quis studiosus cupit cognoscere, ea legat quæ à SANCTO Dionysio Areopagita diuinè elaborata sunt, & reuera inueniet ineffabilium mysteriorum reuelationem, per diuinam eius mentem & linguam hominum generi donatam, propter eos qui salutis hæredes futuri sunt. Et si non longè quidem à vestro desiderio aberrarunt, Deo Gratia qui quæ bona & honesta sunt, suppeditat: et vobis qui vt ea dicerentur, coegistis. Sin autem à vestra spe & expectatione longè abfuerunt quid agam, vel quomodo afficiar, cui in dicendo vires non suppetierunt? Imbecillitati enim venia danda, non autem punienda est. Et suscipiendum est potius quàm reprehendendum, si quod dari potest, datur & maximè à vobis qui propter Deum amare proposuistis, DEO certè gratum & acceptum est, quicquid pro viribus purè & sincerè ex animo datur, etiam si cum magnis collatum, videatur exiguum. Qui nec viduam quidem, cum duo minuta obtulisset, repulit. Quæcunque esset hæc vidua & duo eius minuta, siue anima vitio viduata, & quæ veterem quidem legem, tanquam coniugem, amisit, summa autem cum ratione, seu verbo & Deo coniunctione, nondum digna est. Et tamen, arræ instar, offert tanquam minuta, incommoderatam vitam & rationem vel fidem & bonam conscientiam: vel habitum & operationem quæ in honesto versatur, vel eis conuenientem contemplationem & actionem: vel quæ cum eis habet proportionem, cognitionem & virtutem, vel quæ sunt his paulo superiores. Dico autem quæ sunt in naturali & scripta lege, rationes quas anima possidens,

pro earum, tanquam totius vitæ intensione, & remißione, soli verbo & Deo coniungi volens, offert & violentis moribus & ritibus qui sunt ex lege & natura, tanquam maritus, viduari suscipit. Siue aliquid aliud magis spiritale & quod ab ijs solis cōsiderari potest qui mente puri sunt, per impletam in historia literam, ratio significat. Quæcunque enim in hominibus ex virtute magna esse videntur, si cum contemplante in Theologia ratione conferantur, parua sunt, præter quàm quòd etiam si parua sint & ex vili & non preciosa materia, æquè tamen ac aurea numismata, quæ sunt ex omnium preciosißima materia, offeruntur autem à ditioribus, regalem ferunt characterem, & plus fortasse habent, nempe offerentis ex tota affectione propositum. Hanc ego quoque viduam imitans, Deo & vobis, ò dilecti, parua hæc & vilia & ex vili & paupere mente & lingua oblata, cogitata, & verba tanquam minuta, eadem, de quibus iußistis, obtuli, rogans benedictam vestram & sanctam animam, primùm quidem, vt nihil eorum quæ à me dicuntur, scriptis mandari amplius petatis, duabus de causis: Vna quidem, quòd timorem Domini purum & immaculatum ac permanentem nondum parraui, nec solitudum virtutis habitum, nec veræ iustitiæ firmitatem ac stabilitatem: quæ de eorum quæ scribuntur firmitate, maximum ferunt testimonium. Altera autem, quòd multis perturbationum vndis, sæui instar maris, adhuc agitatus & à Diuino impatibilitatis portu longè remotus, & vitæ finem nesciens, nolo præter ea quæ feci, ea etiam quæ scripsi, me accusare. Deinde vt suscepta, si par est, obedientiæ gratia, me CHRISTO magno & soli Deo, & nostrarum animarum seruatori commendet, cui gloria & potentia, cum patre & spiritu sancto, in secula seculorum.

AMEN.

# BESSARIONIS EPISCOPI TVSCVLANI, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ Cardinalis, Constantinopolitani Patriarchæ, de sacramento Eucharistiæ, & quibus verbis Christi corpus conficiatur.



ACRVM diuinúmque est Eucharistiæ mysterium, per quod filij Dei, & hæredes & cohæredes, & eiusdem cū domino corporis efficimur, cùm dignè eo participamus. Sed quæri inter Christianos solet, quibus potißimum verbis, intra solennes missarum ritus, sacrosanctū domini corpus & sanguis conficiatur. Alij enim hoc facere alia existimantes, Latini Ambrosium, Augustinum, Gregorium, aliósque doctores suos secuti, cùm doctrina, tum vitæ sanctitate præstantes, illa domini verba id facere manifestißimè asseuerant, Hoc est corpus meum, & , Hic est sanguis meus, vanámque prorsus sine ijs esse orationem sacerdotis opinātur. Græci verò, præsertim recentiores, cum Iacobo fratre domini, Basilio, & Chrysostomo sentiētes, singularis exempli & sanctimoniæ viris, non illis saluatoris nostri verbis Christi corpus & sanguinem confici putant, sed quibusdam quæ sequuntur precibus sacerdotum. Quibus in missarum officijs, quæ singuli quique eorum composuere, diu post recitationem verborum domini, quæ supra memorauimus, adhuc panem & vinum oblata deo munera appellant, & spiritum sanctum, vt super ea descendat, benedicat, sanctificet, ac corpus & sanguinem domini efficiat, inuocant & precantur. Cum talis itaque tantaq; sit de re maxima inter Latinos Græcósque dissensio, siquidem inter præsentes tantum ac nostræ ætatis viros controuersia foret, facilius de ijs posset quiuis pro sua opinione disserere. Cùm verò inter communes Ecclesiæ doctores, veteresque, & sanctißimos patres nostros contentio agitetur (ij sunt enim qui & dissentire inuicē, & vt alij quoque dissentiant, facere videntur) ipse me inter eos arbitrum constituere haud temere præsumpsissem, nisi me & iuste precantium petitiones, ac cupido vtilitatis nostrorum hominum, quorum salutis & gloriæ semper auidißimus fui, ad id mei ipsius oblitū compulissent, & illos inter se concordes reddere, diuino fretus auxilio, sperarem. Vt igitur rectè nostra procedat oratio, & veritas rei quam quærimus, facilius elucescat, aliqua altius repetenda sunt, antequam institutæ quæstionis seriem aggrediamur. Ante omnia igitur sciendum est, tam hoc sacrosanctum communionis, de quo agimus, quàm cætera ecclesiæ sacramēta,

ideo

ideo sacramenta vocitari, quoniam aliud in se habent quod videtur, aliud quod non corporis oculis, sed solo intellectu comprehenditur. Quæ videntur, sensibilia sunt, quæ verò intellectu percipiuntur, spiritalia: vnde spiritus & vita dicuntur. Verba autem quæ dixi vobis, inquit dominus, spiritus sunt & vita. Horum præterea sacramentorum singula quæque duobus accipiuntur modis. Aut enim sacramentum signum est, aut id quod significatur. Primum quidem signum tantummodo & est & dicitur. Secundum verò res est, quæ eo signo significatur. Omnis enim Theologica doctrina, teste Augustino, signis constat, & rebus. Et res quidem sunt, quæ vt significatæ accipiuntur. Signa verò, quorum omnis in significando est vsus. Etsi enim omne signum res sit (nam quod non est res, vt idem Augustinus inquit, nihil omnino est, & sic signum esse non potest) hoc tamen hoc loco signum accipitur, non vt res significata, sed vt signum rem ipsam significans, quatenus scilicet signum est, & non quatenus res aliqua est. Quemadmodũ cùm ascendentem cernimus fumum, non quatenus substantia aliqua siue res est, sed quatenus solum est signum ignis, signum esse dicimus, qui substantia & res aliqua est. Nam omne quidē signum res aliqua est, non tamen omnis res alterius rei est signum. Sunt enim res aliquæ duntaxat vt significatæ, non autem vt signa aliquid aliud significantia, quod in aliis sacramentis facilè comprehendi potest. Etenim in sacramento baptismatis ablutio carnis per aquam ita est sacramentum, vt duntaxat signum sit ablutionis peccatorum. Ipsa enim peccatorum remissio res est significata, nihil vltra significans. Hoc idē in reliquis sacramentis. Ergo & in sacramento Eucharistiæ, alterum est solum signum, vt panis & vini visibilis species: alterum res significata, vt ipsum verum domini corpus & sanguis, quod ex immaculatis beatæ virginis sanguinibus assumpsit. Verum hoc proprium habet præter alia diuinum hoc sacramentum Eucharistiæ, quòd in eo res significata alterius etiam rei signum est. Ipsum enim verum domini corpus & sanguis, cùm res sit signo panis & vini significata, vt mox ostendimus, est tamen alterius rei signum, cùm significet mysticum Christi corpus, & Ecclesiæ in spiritu sancto vnitatem: hoc verò non amplius aliam rem significat, sed tantum significatur. Ita fit, vt visibilis simul ac sensibilis species panis & vini, duplicis rei significatrix sit: significat enim & verum corpus domini, & res significata, & signum sacrum est, & mysticum ecclesiæ corpus. Quare panis & vinum signum est duntaxat, ipsum autem verum Christi corpus & sanguis, quod sub vmbra tegitur panis & vini, significatum quidem à pane & vino, significans autem mysticũ ecclesiæ corpus, & res est & signum: mysticum verò ex vtroque significatum, res tantum est, nec vltra alterius signum. Præterea quod tantum signum est, duarum rerum est signum, veri scilicet & mystici corporis. Quod autem res est, & non amplius signum, duorum sacrorum signorum res est, hoc est visibilis speciei panis & vini, & veri in eis contenti corporis domini. Verũ autem corpus & sanguis, si ad alterum aspicias inuisibile sacramentum: res est, si ad mysticum corpus, est signum. Rursus primum quidem quod signum tantummodo est, oculis subest. Secundum quod res est & signum, animo exceditur. Tertium quod res sola est, corde percipitur. Ad hæc primum quidem non modo significat, sed etiam cõtinet secundum. In specie enim panis & vini, veritas corporis & sanguinis continetur, cùm in illa substantia panis vinique mutetur. Tertium verò quanquam significet, non tamen continet. Hæc cum verissima sint, illud etiam sequitur, ex iis qui diuini corporis participes fiunt, alios quidem sacramentaliter spiritaliterque participes fieri, quales sunt qui digne communionem accipiunt, alios verò sacramentaliter, & non spiritaliter, ii sunt qui indigne communicant: sumunt enim verum corpus Christi, non tamen sacramenti effectum accipiunt, nec Christo vniuntur. De iis inquit apostolus, quòd iudicium sibi manducant & bibunt. Non enim iudicium & condemnationem manducarent & biberent, si spiritaliter communicassent, imò iam Christo vnirentur. Sunt alii qui & si non fiunt sacramentaliter participes, spiritaliter tamen communicant, quemadmodum si vel infans post baptismum, vel ætate prouectus nondum ob aliquam ineuitabilem necessitatem, recepto Christi corpore, repentina morte deficiant. Nihil enim minus sacramẽti participes fiunt, quàm si communionem cepissent: fiunt enim membra Christi, & regni cælestis hæredes. Hæc igitur cùm omnibus manifesta sint (quis enim neget, ex his qui communionem sumunt, alios quidem nullam gratiam, imò verò pro gratia iudicium & pœnam, alios verò gratiam largissimè consequi: quosdam enim sine communione, dummodo id non contemptu vel negligentia, sed necessitate fiat, diuinam mereri gratiam?) Cum inquam hæc adeo clara & perspicua sint, & tripartitam hanc diuinorum sacramentorum distributionem veram & necessariam esse probant, ex his sequi videtur, Christi quoque corpus duplex esse, verum alterum, alterum mysticum. Et verum quidem est, quod in hoc diuino Eucharistiæ sacramento consecratur atque

conficitur, sub visibili specie panis & vini. Hoc idem est cum eo corpore quod fuit ex beata
virgine spiritus sancti obumbratione conceptum. De quo ipse dominus in exhibitione sacra-
menti, cum nobis sensibilem panem vinúmq; ostendisset, ait: Hoc est corpus meum, &, Hic est
sanguis meus. Deinde addidit, qui pro vobis traditur, & qui pro vobis effunditur in remissio-
nem peccatorum. Mysticum autem eius corpus est ecclesia, & congregatio fidelium. Hãc enim
negare corpus Christi nemo ausit, præsertim audiens apostolum dicentem: Ecclesiæ caput Chri
stum esse. Caput enim sine membris non esset caput: quapropter membra Christi nos sumus, &
caput nostrum est Christus. Vnde clamat apostolus: Vos estis corpus Christi, & membra ex
parte. Et rursus: Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis domini est? Et iterum:
Vnus panis, ait, & vnum corpus multi sumus. Et reddens eius rationem, addit: Omnes enim
ex vno pane participamus. Quæ verba dum exponere nititur Chrysostomus noster, ita inquit:
Quid dico communionem? ipsum illud corpus sumus. Quid enim est panis, nisi corpus Christi?
non corpora multa, sed corpus vnum. Quemadmodum enim panis ex multis constans granis,
ita compositus est, vt nusquam grana videantur, & sunt quidẽ grana: sed propter coniunctio-
nem nullo discrimine discernuntur: ita nos quoque & inuicem & Christo coniungimur. Da-
mascenus quoque vbi de sacrosanctis mysterijs tractat, Honoremus, ait, Christi corpus omni
animi corporísque puritate, duplex etenim est. Augustinus etiam occidentalis Ecclesiæ lumen,
Quemadmodum, inquit, ex multis granis vnus conficitur panis, & ex racemis multis vnus ca-
lix exprimitur, sic ex multis fidelibus vnum corpus mysticum integratur. Enimuero sicut ex
multis membris & partibus vnumquodq; corpus constat, ita Ecclesiæ vnitas ex diuersis per-
sonis conficitur, videlicet ex præscitis, prædestinatis, vocatis, iustificatis, & glorificatis. Quos
enim præsciuit Deus, hos & prædestinauit, & quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos
vocauit, hos & iustificauit, & quos iustificauit, hos & glorificauit, inquit apostolus. Efficiens
verò huius mystici corporis, est ipsum verum Christi corpus, & eius communicatio, si dignè
fiat. Quod significant verba illorum qui dicunt, Oramus vt hoc corpus tuum præstet partici-
pantibus sobrietatem animæ, remissionem peccatorum, communionem tecũ. Quid enim aliud
est communio, quàm vnitas cum Christo, annexio membrorum ad caput, conuenientia partiũ
ad totum? Vnde & communio vocatur propriè hoc sacramentum. Et synaxis apud Dionysiũ
dicitur, hoc est collectio. Colligit enim quæ apud se distant, & multa vnum facit, & dissimilia
æquat, & in vnum sparsa reducit. Quamobrem idem Damascenus eo quo supra memoraui-
mus loco, Communio, inquit, dicitur, & est ideo, quia per eam communicamus cũ Christo, &
carnis diuinitatísque eius participes sumus, & inuicem coniungimur atque vnimur. Cũ enim
ex vno pane participamus, omnes vnum Christi corpus, & vnus sanguis, & membra alter
alterius, eiusdémque cum Christo corporis efficimur. Et rursus ibidem: Per Christi corpus &
sanguinem purgati, vnimur corpori domini & spiritui eius, & corpus Christi efficimur. Vn-
de & Messias, seu mediator, & lapis angularis dicitur dominus, quasi coniungens extrema,
& vniens diuisa. Mediator vnius non est, sed duorum, inquit Paulus, & lapis angularis duo-
rum parietum vinculum & coniunctio est. Post hæc illud quoque tertio loco addendum est,
quòd verum domini corpus, & veritas est & figura. Siquidem ostensum est, quemadmodum
panis & vini visibilis species, figura, seu signum est veri & in eis contenti dominici corporis,
& etiam mystici corporis, ita ipsum corpus verum figuram mystici & ecclesiastici corporis
esse. Ad hæc verum domini corpus, quod in altari consecratur, futurorum figuram dici, Dama-
scenus, eo quo supra memorauimus loco, testatur. Significatiua, inquit, futurorum dicuntur,
non quia verum sint corpus sanguísque Christi verus, sed quia nunc quidem per illa diuinita-
tis participes efficimur, tunc verò per intellectum sola visione fruemur diuinitatis. Quod a-
pertius & Gregorius dicit, Quod nunc quidem participamus corpus & sanguinem sub spe-
ciebus panis & vini, tunc autem clara visione, & sicut vere est, videbimus illud. Cauendum
autem, ne quis propterea quòd Eucharistiæ mysterium figura esse dicitur, dicere, aut omnino
suspicari audeat, non esse verum domini corpus. Absit tanta blasphemia à fidelium mẽtibus.
Hoc modo & preciosa mors eius non esset vera mors, quòd partim ablutionis delictorum no-
strorum, partim iustificationis nostræ figura sit. Vas nanque electionis est, qui dicit, Christus
mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram. Et Petrus: Chri
stus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum. Mors igitur Christi mortis nostræ secundũ
peccatum, & resurrectio eius vitæ nostræ per iustificationem, iuxta primariorum apostolorũ
sententiam, exemplum & figura fuit. Nec tamen ideo mors & resurrectio eius, non fuit vera
mors & resurrectio. Est igitur Eucharistiæ sacramentum, & veritas, & figura, ex quo nihil
absurdi

absurdi sequi videtur. Etenim ipsum quoque sacramenti nomen nihil significat aliud quàm figuram alicuius & signum alterius. Siquidem sacramentum tectum mysterijs secretúmque esse decet, & aliud extrinsecus præ se ferre, aliud habere quod intelligatur intrinsecus. Neminem autem conturbare debet nomen istud figuræ, nec id quod ait Damascenus, panis & vinum non est nisi figura corporis & sanguinis Christi. Absit, sed ipsum corpus domini deificatum, ipso domino dicente, Hoc est corpus meum, & non figura corporis mei. Et hic est sanguis meus, & non figura sanguinis mei. Primo enim panis & vini nomine, non ipsam visibilem speciem panis & vini, sed substantialiter transmutata in corpus & sanguinē intelligit. Deinde figuram hoc loco intelligit vmbram illam, quæ nihil aliud præter q̄ figura est, simpliciter aliud significās, nullam omnino aliud faciendi vim & potestatē habens. Quemadmodū sacramenta veteris legis, noui testamenti sacramentorū figura fuerunt, vt circuncisio baptismatis, sanguis hircorū & vitulorū dominici sanguinis in ara crucis effusi, & serpens pendens in eremo, corporis domini in cruce pēdentis. Verùm illa quidem figuræ tantū erant, & aliorū significatiua, non effectiua, et sacrorū quidē significatiua, nō ipsa sacra. Nostra verò non modo significatiua & figuræ salutis sunt, verū etiam salutifera, hoc est effectiua salutis, ipsaq; sacra, & sacra sacrarū rerū figuræ. Hoc enim interest inter veteris & nouæ legis sacramenta, quòd illa quidē duntaxat significabant salutem, hæc etiam præbent. Et illa quidem non sacra, sed sacrarum tantummodo rerum significatiua, hæc autem & significatiua sacrarum rerum atque effectiua sunt. Hinc sanctus Hilarius ait: Corpus Christi, quo in altari participamus, figura quidem est, quatenus panis & vinū exterioribus apparet sensibus, veritas autem est, quatenus corpus & sanguis in veritate corde creditur. Et Augustinus, Christi corpus, inquit, & veritas & figura est: veritas quidem, inquātum virtute spiritus ex substantia panis & vini corpus efficitur: figura verò est illud quod exterioribus sensibus subiacet. Nos itaque figuram hoc loco ita accipimus, quæ scilicet quo ad sensibiles species panis & vini, aliud duntaxat significet quo ad verum corpus Christi, & aliud significet, & tamen veritas sit. Quemadmodum Damascenus quoque, sicuti pauloante memorauimus, veteres secutus doctores, verum corpus & sanguinem Christi figuratiua futurorum nominauit. Vbi enim figuratiua dixit, & figuram sine discrimine dicere potuisset. Sed de ijs satis, vt arbitror, disseruimus, nunc quod reliquum est, aggrediamur. Erit autem nostra omnis oratio tripartita. Primū enim conabimur ostendere diuinissimū corpus Christi & sanguinem, nullis alijs verbis, aut sacerdotum precibus confici, quàm ijs quæ supra memorauimus domini verbis, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus. Post hæc sanctorum ecclesiæ doctorum ac patrum nostrorum vnam & eandem esse sententiam declarabimus. Postremo quæ huic opinioni aduersari videntur, duce domino, cuius res agitur, dissoluemus. Quod igitur impossibile sit alijs quàm dominicis verbis Eucharistiæ sacramentū confici, euidentissimè & luce clarius apparet. Enimuero nemo est quem lateat, quemadmodum panis & vini in corpus & sanguinem Christi in instanti facta transsubstantialitas, humanam omnem facultatem excedit, ingénsque opus est, & certe diuinum, ita etiam huius sacramenti efficientia verba, instar ipsius sacramenti, eximiæ cuiusdam virtutis esse debere. Christi verò diuinis verbis nihil esse potentius, nihil efficacius esse posse manifestum est. Quamobrem fateri necesse est, dominicis illis verbis & nullis alijs diuinum hoc sacramētum confici posse. Nec enim diuinissima per diuinam potentiam cōfici negauerit quispiam, nec verbis Christi nihil omnino efficacius esse, cùm non modo homo, verum etiam deus sit, creatórque omnium, qui solo nutu cuncta produxit, qui verbo ægros curauit, mortuos suscitauit, caeteráque miracula fecit, quæ in Euangelijs recitantur. Præterea humanæ preces tunc quod orant facillimè consequuntur, cùm id meritæ sint, & à benemeritis effunduntur. Atqui panis & vini in corpus & sanguinem transmutatio, non petentium meritis, sed eius potentia qui ex nihilo cuncta produxit, per sacerdotē, tanquam per instrumentum quoddam efficitur. Vnde non minus ab indignis sacerdotibus atque peruersis, quàm à bonis sanctísque consecratur. Ex quo manifestum est, non orantis sanctitatē, sed ipsum dominum proprijs suis verbis à sacerdote prolatis, panem & vinum in proprium corpus transmutare. Nam si humanæ preces hoc possent, potius virorum bonorum preces, etsi non sacerdotum, quàm prauorum sacerdotū hoc diuinum opus efficerent. Atqui indecens esset, atque ab humana salute alienum, existimare tantum sacramentū à re dubia dependere: quippe dubium atque ambiguum est, an preces ac supplicationes nostræ Deo acceptæ sint futuræ, ex quo fieret, vt & salus à nobis virtute huius mysterij expectata, dubia foret. Quod ne accidat, imò salus nostra, quam dignè participantibus hoc sacramentum præbet, certa atque indubia sit, necesse est dominicis verbis duntaxat & nullis alijs, tantum confici sacramentum. Ad hæc,

precibus quidem nostris non perficimus, sed tantummodo rogamus, vt perficiatur sacramentũ. Verba verò, quæ hoc diuinum corpus operantur, efficientia sacramenti esse debent, non vt cõficiatur deprecantia. Ergo non nostris verbis quæ non conficiunt, sed vt conficiatur orant, tantum opus tribuendum, sed verbis dominicis verè conficientibus, eo modo quo dominus ipse per eadem verba, vt legitur in Euangelio, consecrauit. Præterea verba domini proferuntur à sacerdote, tanquam potestatem habente ea perficiendi, quæ ipsa verba significant. Precibus verò suis potestatem petit idem sacerdos, tanquam nondum habens. Atenim melius certiúsque res ob potestatem habente, quàm à nondum habente, sed vt eam habeat rogante, perficitur, faciliúsque id agit qui iam potest, quàm qui posse se sperat. Non igitur supplicibus sacerdotũ, sed enunciatiuis domini verbis effici credendum est hæc sacra mysteria. Item dum rogat sacerdos, aut petit obtinere potestatem conficiendi mysterij, aut non. Si petit, non igitur inerat sacerdotis precibus ea potentia: quis enim peteret quod iam tenet? Quod si non petit, frustra rogat. Quapropter non ipsas sacerdotum preces, sed domini verba Eucharistiam conficere manifestũ est. Adde quòd verborum quæ hæc mysteria conficiunt, nulla diuersitas, nulla mutatio esse debet. Vna enim cuiusque & immutabilis forma est, qua mutata totum etiam mutatur. Vnde Mattheus & Marcus & Lucas, & cum ijs apostolus Paulus, cùm huius consecrationis mentionẽ faciunt, quæ à saluatore nocte qua tradebatur, perfecta est, eadem verba omnes eodem modo pronunciant, quanuis & in superioribus & in sequentibus diuersi diuerso modo sunt locuti. Hic pariter omnes dixerunt, Hoc est corpus meum &, Hic sanguis meus. Preces verò & supplicationes sacerdotum, quibus nõnulli existimant hoc mysteriũ confici, alias apud alios, & longè quidem diuersas esse videmus. Alij enim optando, alij imperando id agunt. Siquidẽ Clemens & Iacobus, Rogamus, inquiunt, vt mittas spiritum sanctum tuum super hoc sacrificium, qui efficiat hũc panem corpus Christi tui, & quod in hoc calice est, sanguinem Christi tui. Iacobus verò, Rogamus, inquit, vt spiritus sanctus adueniens sancta, bona, atque gloriosa eius præsentia sanctificet, & faciat hunc quidem panem corpus sancti Christi tui, & calicem hunc preciosum sanguinem Christi tui. At magnus doctor Basilius, Rogamus, inquit, vt veniat spiritus sanctus tuus super nos, & super hæc proposita munera, & benedicat ea, sanctificet & faciat, hunc quidem panem, ipsum preciosum corpus, & vinum preciosum sanguinem domini & Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, qui effusus est pro mundi vita. Diuinus autem Chrysostomus, Emitte, ait, spiritum tuum, & fac hunc panem preciosum corpus Christi tui, quod verò in hoc calice est, preciosum sanguinem Christi tui, transmutans ea spiritu tuo sancto. Cum igitur tanta sit in ijs differentia atque varietas, verba autem sacramenti efficientia, immutabilia esse debeant, profectò non illa, quæ alia apud alios sunt, sed hæc domini verba, quæ apud omnes eadem sunt, & ab omnibus eodem modo proferuntur, tanti mysterij formam esse, & ijs tribuendum esse perficiendi potentiam, manifestum est: per ea enim fit, vt sit quod est. Illud quoque considerandum est, ea esse alicuius rei efficientia, per quæ res illa ad esse producitur, ab aliísque distinguitur. Huius autem diuini mysterij nulla alia, quàm verba domini efficientia esse videntur. Ergo ipsa duntaxat, & non sacerdotales preces, tantum opus conficere dicenda sunt. Huius rationis prima quidem pars per se ipsa nota est, quare ea obmissa minorem probabimus. Ipsum certè consecrationis opus, & per consecrationem efficitur sacrum mysterium in extrema prolatione verborum conficientium, quæcunque illa sint, & in instanti fit. Siquidem panis & vini substantia in sua permanet natura, donec omnia illa quæcunque sunt quæ sacramentum perficiunt, verba dicuntur. Quibus dictis mox consecratio fit, transsubstantialitas perficitur, consummatur sacramentum. Quod & de baptismate beatus Augustinus ait: Aufer, inquit, verba, & quid aqua nisi aqua? Accedat verbũ elemento, & efficitur sacramentum. Vnde tanta potentia aquæ, vt cum tetigerit corpus, purget cor, nisi ex eo qui verbo hoc facit. Cum igitur manifestum sit, per verba hoc sacramentum confici, decet quæ ad hanc ex substantia in substantiam transmutationem, similitudinem aliquam habeant, eíque conformia sint. Vnde quoniam in hac transmutatione tria hæc esse necesse est, terminum à quo, & terminum ad quem ipsa transmutatio fit, & modum ipsius transmutationis, quæ omnia illa significant. Talia vero esse verba domini facile probatur. In ijs enim continetur terminus à quo, per verbum Hoc: nam nisi in ea esset terminus à quo, non esset transmutatio, at in ea de substantia in substantiam transmutatio fit. Hunc igitur terminũ significat illud Hoc. Similimodo terminus ad quem eisdem verbis inest: nam sine eo termino non esset transmutatio, sed potius corruptio, si non in ens, sed in non ens mutaretur. Hunc vero terminum dupliciter considerare possumus. Aliquando quidem ipsum corpus & sanguinem intelligentes, in quæ substantialitas

tialitas

tialitas fit, & hoc significatur cum dicitur, Corpus & sanguis. Aliquando vero id considerantes, vt hæc transsubstantialitas determinata, & particularis fit & vna. Quemadmodum ijs etiam quæ per artem fiunt, sunt, vna cuiusque forma & species est, ita etiam vnius operationis vnus effectus est, propter quod additur, Meum. Tertium vero atq; postremum, per quod modus transsubstantialitatis exprimitur, satis apte exprimitur per verbum Est. Quod enim in instanti fit, iam non futurum, sed quasi factum, & iam planè existens, non imperatiuo, non optatiuo, non cuiusuis alterius modi verbo, nec futuro quidē tempore, quæ dubia sunt, nec id quod est, sed quod futurum est, quod etiam non fieri posset, significat, sed ipso verbo Est, temporis præsentis, & modi indicatiui, quod ipsum iam esse significat, sufficienter exprimitur, imò verò duntaxat hoc modo exprimi potest, & non aliter. Hæc igitur omnia adeo in hac naturali transsubstantialitate necessaria, cum nullis alijs, præterquàm dominicis verbis contineatur, sicuti ostensum est, profecto existimare cogimur, atque fateri, illa ipsa efficientia esse tam sacri mysterij, quibus nihil deficit, nihil superest, & non preces humanas, quibus aliqua desunt, quæ magis necessaria forent. Præter hæc omnia, cum hoc immaculatum sacrificium in sui memoriam fieri iusserit dominus: Hoc enim, inquit, facite in meam commemorationem, certe expreßior eius memoria fit, cum illius verba ex sacratißimo illo ore prolata repetimus, quàm si alia quæcunque referamus. Quod confirmat apostolus Paulus, dum dicit, domini mortem in hoc sacrificio adnunciari. Quo enim modo adnunciari expreßius potest, quàm dum corpus & sanguis eius proprijs eius verbis quàm quibusuis alijs, tantum confici sacramentum, veruntamen concurrere patrem ac spiritum sanctum filio, in hoc diuino opere transsubstantialitatis panis & vini in corpus & sanguinem Christi, fas est à fidelibus credi. Omnia enim opera in creaturis trinitati communia sunt, nihilque fit omnino, nisi creante filio, beneplacito patris, & spiritus sancti voluntate. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso omnia, iuxta apostolum Paulum. Et rursus: Per quem & secula fecit. Et iterum: Portans omnia verbo potestatis suæ. Et Ioannes Euangelista: Omnia per ipsum facta sunt. Et idem: Spiritus est qui viuificat. Et Paulus: Si enim spiritus eius qui resuscitauit Iesum Christum à mortuis, habitat in nobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra per inhabitantem in nobis spiritum eius. Et iterum: Omnia autem hæc operatur idem atque vnus spiritus, diuidens vnicuique prout vult. Et Dauid: Emitte spiritum tuum & creabuntur. Illud sanè simpliciter tenendum, & pro generali quadam regula obseruandum, diuinæ trinitatis operationes, si quis intrinsecus eam ipsam spectet, distinctas omnino ac separatas esse aliquando etiam nullo modo inuicem communicare, quemadmodum se habent generare & generari, spirare & spirari, & alia quædam similia. Extrinsecus verò & quatenus ad creaturam spectat, vna est operatio, & idem opus, patris & filij & spiritus sancti, nihilque est eorum quæ in nobis fiunt, quod non ex tota trinitate emanet, vna tamen operatione, vna potētia, vna voluntate. Quare vnus etiam dicitur creator, & vnum principium eorum omnium quæ sunt, quæ fiunt, trinitas esse creditur. Quibus autem verbis potius consentire decet patrem & spiritum sanctum, quàm filij, qui eiusdem est naturæ, eiusdémque cum eo substantiæ? Manifestum hoc omnibus est contendere nolentibus. Est autem ad hæc necessarius & idoneus & sufficiens minister. Sufficiens autem est, qui potestatem per consecrationem habuit, & sacerdos factus est. Nec enim à quocunque prolata eiusmodi verba efficere possunt quod quæritur, imò vero nihil omnino possunt, nisi à sacerdote proferantur. Eius rei ratio est, quòd ita deo placitum est, ita ordinauit, hanc tulit legem. Transgressori igitur legis & voluntatis eius dignum paratum est meritum, ne quid facere poßit. Oportet autem sacerdotem cum debita intentione ad ea quæ Dominus mandauit accedere. Siquidem mandauit nobis, vt in eius commemorationem hæc ageremus, vt sciamus corpus eius & sanguinem (instrumentaliter ipsi facientes, cum hæc operamur) mortem eius annunciare. Si quis enim vel verba domini, vel alia qualibet, quibus existimet huiusmodi sacramentum confici, pronunciet, non ad ea quæ dicta sunt, intendens, seque id agere quod ille iußit arbitretur, nihil omnino agit, sed suo frustratus desiderio fallitur. Materiam præterea ad hæc aptam & conuenientem esse necesse est. Oportet enim panem ex frumento, vinum ex vite fieri. Nisi enim granum frumenti, dicit dominus, cadens in terram, mortuum fuerit, nullum fructum afferet. Et rursus: Ego sum vitis vera. Quòd si aliter sacerdos, etiam cum debita attentione, vel ipsa verba domini, vel alia quæcunque pronunciet, vanus est omnis labor: nec enim vnquàm ex hordeo milióve aut alio seminum genere panis factus, neque sicera aut lac aut mel in corpus & sanguinem domini transmutaretur. Hoc canones apostolorum, hoc posteriores doctores affirmant. Quamobrem hoc? Quoniam ille opifex rerum ita voluit,

ita constituit, transgredi autem & vitare quicquam eorũ quæ ille ordinauit, nefas est. Hæc ergo ad sacri mysterij consummationem necessaria prorsus sunt, & sine quibus nihil omnino fieri potest. Sunt autem alia quædam quæ & si ad esse rei minime necessaria sint, multum tamen conferunt ad decorem perfectionemque mysterij, ex quibus si quid aliquando iusta necessitate prætermittatur, nulla iactura fit. Huiusmodi sunt, mysterium super altari conficere, sacerdotalibus vestibus indui, sacerdotem multa & ante verba domini & post in laudem dei in narrationem operum suorum, in impetrationem vitæ æternæ, partim à sacerdotibus, partim à populo dici. Vnde & alia apud alios dicuntur, & apud quosdam plura, apud alios pauciora. Hinc est, quòd Basilius Iacobi, Chrysostomus vero Basilij missas breuiores fecerunt, quòd non necessaria forent omnia quæ dicebantur. Nemo enim necessarium quicquam detrahere præsumpsisset. Quod si quis nunc non per contemptũ Ecclesiæ, quæ ita ordinauit, nec tanquam nouã introducendo hæresin, sed ineuitabili aliqua necessitate coactus, sola dominica verba cum debita intentione protulerit, ipsa duntaxat quæ ille dixit et fecit, dicẽs & faciens, dũmodo sacerdos sit, conuenietẽmq; materiam habeat, profecto verum Christi corpus sanguinémque perfecit. Contra verò si quis cætera omnia & alia penè infinita proferens, verba domini omiserit, lusit operam, vt aiunt, nihilque peregit. Quòd si forte quispiam ijs minime contentus auctoritatem quærat, & quid doctores Ecclesiæ senserint, audire desideret, in primis videat Ambrosium, ætate quidem præcedentem cæteros, sapientia verò ac vitæ sanctitate nulli vel orientalium vel occidentalium cedentem. Hic in sermone quem de Sacramentis scripsit, ita inquit: Quomodo enim panis potest esse corpus Christi? quibus verbis aut quorum verbis hæc sacramenta perficiuntur? Et addit, Ipsis domini nostri Iesu Christi. Et infra, Cum autem hoc sacramentum perficit, non proprijs verbis sacerdos, sed ipsius Christi vtitur: verba enim Christi hoc sacramentum conficiunt. Et post pauca, Ante consecrationem panis est, verbis autem Christi dictis, mox corpus Christi est. Accipite enim, inquit, comedite ex eo omnes, hoc est corpus meum: Similiter in calice ante verba domini vinum est aqua mixtum, Christi verbis operantibus sanguis efficitur. Rursus idem Ambrosius, cum multa signa & miracula commemorasset, quæ solo domini verbo facta fuere, vniuersúmque mundum verbo eodem ex nihilo esse productum, multáque alia orationibus & benedictionibus humanis facta ostendisset, postremo hæc addit: Si igitur tantum potuit humana benedictio ad transmutandam rerum naturam, quid de hac diuina consecratione dicemus, vbi ipsa verba saluatoris operantur? Hoc enim sacramentum quod accipis, verbo Christi conficitur. Alijs quidem locis idem doctor multo plura in hanc sententiam manifestißimè dicit. Augustinus vero sanctißimus & ipse doctor, Diuini corporis consecratio, inquit, à catholica Ecclesia creditur non magis à bono, non minus à malo sacerdote confici. Neque enim merito consecrantis, sed creatoris efficitur verbo. Et alibi, Credendum Christi verbis sacramentum confici: cuius enim potentia prius creata sunt ea quæ sunt, huius certe verbo ad melius mutãtur. Idem in II. de Verbis domini, Ante verba domini, inquit, quæ, Hoc est corpus meum, dicũt, panis dicitur quod offertur, verbis autem illis dictis, non amplius panis, sed corpus vocatur. Et rursus in expositione super Ioanne, Vocatur corpus & caro Christi, quod caro continere non potest. Conficiunt autem illud carnis verba, quæ ipsius carnis Christi verba fuerunt. Ait enim, Hoc est corpus meum. Quid clarius his testimonijs, quid manifestius esse potest? Neque enim hos doctores quisquam mentis compos, & Christianus esse desiderans respueret, quos sacræ omnes synodi, vt communes Ecclesiæ doctores acceptarunt, quos vt sanctos ac deo acceptißimos magnis præconijs extulerunt, quorum memoriam cum summa laude non modo occidentalis, verum etiam orientalis Ecclesia celebrat. Manifestum est igitur hos non obscurè, neque sub dubio, sed palàm & manifestè sensisse, sacratißimis illius domini verbis hoc sacramentum confici, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus. Quid igitur? Hi quidem hoc modo dicunt, orientales vero aliter sentiunt. At hoc modo non idem in eis locutus fuisset spiritus, nec sancti spiritus, sed ventris sui eructationes essent sermones eorum. Nunc verò vnus atque idem spiritus locutus est per os vtrorunque. At quemadmodum in cæteris omnibus, ita etiam in hoc sacramento cõcordes sunt occidentalibus orientales. Audi enim quid aurea illa Ioannis lingua in LXXXII. super Matthæũ homilia dicat. Non sunt, inquit, humanæ potentiæ opera, quæ proposita sunt, qui tũc ea fecit in cœna, ipse nunc ea quoque operatur, nos ministrorum locũ tenemus: qui vero sanctificat, & ea mutat, ipse est. Rursus idem in XXVII. super prima ad Corinthios homilia ita inquit: Quomodo Paulus à domino accepit? non enim aderat tunc, sed vnus erat ex persecutoribus. Vt intelligas, ait, nihil plus illam mẽsam habuisse, quàm habeant hæ posteriores. Nam & hodie ipse est qui operatur, & tradit, quemadmodum &

dum & tunc. Vidés ne igitur, vt nos ministrorum locum tenemus, qui verè ea sanctificat, & mutat, ipse est. Vides vt ipse est, qui omnia operatur, & tradit, quemadmodum & tunc. Persuade igitur tibi, ipsum esse qui ea mutat, nec orationi tuæ quæ dubia est, sed infinitæ illius potentiæ hoc tribue. Dices fortasse, haud tibi contradicere hunc doctorem: etenim te quoque & sentire & profiteri illum esse qui hæc operatur, sed per orationes, sed per preces sacerdotis. Atqui multum interest, operari aliquid, & omnia operari. Tu nanque spiritum sanctum eis descendentem tuis precibus sanctificare hæc munera, quanuis etiam verba domini aliquid operentur. Hic vero doctor sanctißimus, ipsum inquit saluatorem hæc perficere, ipsum omnia operari. Nec addit precibus sacerdotum id fieri, quod certè addidisset, si sciuisset necessarium fore, subticuit autem tanquam non necessarium. Qui enim omnia facit, nullo indiget operatore. Verum ex illis Chrysostomi, quæ suprà memorauimus verbis, discitur quædam haud contemnenda consideratio. Ait enim, non accepisse Paulum à Christo hanc traditionem, cum tamen ipse se accepisse asserat. Et rectè quidem Chrysostomus. Erat enim tum Paulus persecutor, & hostis nominis Christi, & multo post ascensionem saluatoris in cælos, sacram fidem ab eo qui sibi in via fuerat obuius, didicerat. Quibus igitur tradentibus accepit? Nempe apostolis, & ijs quidem non verbo tantum docentibus, sed monstrantibus opere. Paulus verò tradidit nobis, quæ acceperat. Cùm autem ea sola tradiderit, quæ in epistola ad Corinthios scribit, certa illa sola accepit, & illa sola apostolos facere vidit. Nam si plura facere vidisset, ea quoque tradidisset. Nihil autem in ea epistola dicit amplius, nisi Christum accepisse panem in manus suas, benedixisse, dedisse discipulis, atque dixisse: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Idem igitur omni ex parte apostoli, quibus tradentibus Paulus id accepit, faciebant. Hoc tantum accepit ab illis Paulus, hoc tradidit nobis. Postea verò siue Clemẽs, siue Iacobus, siue alius quicunque alias orationes & hymnos & cantica nõ ad necessitatem, sed ad ornatum addiderunt. Quæ cùm ita sint, satis constat beati Chrysostomi testimonium adeo clarum atque apertum esse, vt nulla excusatio, nullum subterfugium calumniãtibus relinquatur. Audiamus nunc eundem doctorem seipsum exponentem, & ita rem hanc declarantem, vt nullus quanuis audax & contentiosus, contradicere ausit. Hic in ea homilia, quam de proditione traditoris, & sacramentorum traditione conscripsit, ita inquit: Adest nunc quoque Christus, qui illam mensam fecit, ille ipse nunc etiam ornat. Non est enim homo, qui hæc munera facit corpus & sanguinem Christi, sed qui crucifixus est pro nobis Christus. Figuram quidem adimplẽs astat sacerdos, verba illa pronuncians, potestas verò & gratia tota Christi est. Hoc est corpus meum, ait. Hoc verbum, res propositas transmutat. Nam quemadmodum vox illa qua dictum est, Crescite, & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, semper autem fit, operæ naturæ nostræ vim præbens ad generandum: ita hæc quoque vox semel dicta, in singulis aris ex eo tempore vsque in præsentem diem, & vsque ad Christi aduentum hoc sacramentum integrè perficit. Verùm ad hæc dicere soletis: Quemadmodum verbum quo creata sunt omnia, non ipsum solum sufficere ad productionem eorum quæ fiunt, sed maris & fœminæ coniunctionem requiri, vt animalium genus propagetur, cultúmque terrarum & agricolarum opera necessaria esse, vt quæ nascuntur è terra producantur & coalescant: eodem modo solum saluatoris verbum haud sufficere, sed & preces sacerdotis, & benedictionem, & alia pleraque necessaria esse ad hoc mysterium perficiendum. Hæc enim Marcus Ephesinus antistes, ex dictis Nicolai Cabasilæ sumpta obijcere solebat, & si longè impar ingenio, acutius sanè multo ille disputauit, quanquam nec ipse quidem dignum aliquid disseruit. Enimuero admirandos simul atque deflendos illos censeo, qui sponte sua ad clarißimas res, & ipsam veritatem oculos claudunt, & ita vt tam clara atque aperta sanctißimi doctoris verba peruertere conentur, & ita contra propriam salutem exponere, vt omnibus contemptui sint atque derisui. Quid enim ait sanctus doctor? Figuram adimplens astat sacerdos, verba illa pronuncians, potentia verò & gratia tota Christi est. Hoc est corpus meum, ait. Hoc verbum, res propositas transmutat. Quid hoc certius desideras? Illa, inquit, verba à sacerdote pronunciata. Quæ autem illa sint, subiungit, Hoc est corpus meũ. Illa, inquã, res propositas transmutant. Fit ergo transmutatio per illa verba, non à sacerdote, sed à Christo, cuius tota gratia & potestas est. Sacerdos enim figura, Christus verò veritate hæc trãsmutat, sacerdote verba eius, quẽadmodũ ille statuerat, pronunciãte. Et rursus, Hoc verbum sacramentum integrè perficit. Considera homo quid integra hæc perfectio significet, attende quid velit, Hoc verbum, res propositas transmutat. Noli pertinaciter cõtra propriam salutem contendere, & huius sententiæ magis præcipuis ac manifestis partibus reiectis, peruertere reliquas. Nec enim Ephesinus ille, nec Cabasilas integram istam sententiam

adducunt, sed quibusdam eius partibus recitatis transiliunt, fragmenta eius quædam velut indocti iuxta Platonem coqui; qui nescium, voluntve per artus diuidere, nonnulla proferentes, cætera verò quæ magis ad rem facerent, silentio prætereuntes, & hoc modo obtenebrantes veritatem. In primis itaque sicut supra dictum est, ex huiusmodi verbis sancti doctoris, non hic quem vos dicitis sensus colligitur. Deinde ô bone vir, nónne illic auctor atque opifex omnium rerum marem & fœminam ea lege creauit, vt non nisi per coniunctionem eorũ animalia propagarentur? rursúsque in alijs semen nasci & ex terra ordinauit, vt seminetur, seminatum nascatur, natúmque multiplicetur? At idcirco necesse est ita fieri. Oportet enim esse arantẽ, oportet esse serentem, oportet esse generantem, omnésque diuinæ obtemperantes voluntati, hoc est ita agentes, vt ille statuit. Statuit enim eo modo quo diximus. Quemadmodum illa vox, quæ dictum est, Crescite & multiplicamini, opera naturæ nostræ vim præbet ad generandum. Operæ, inquit, naturæ nostræ vim præbet, hanc scilicet ei legem ponens, vt illa quod suum est agat, ipsa verò omnem vim præbens. In hoc verò diuino de quo agimus sacramento, duntaxat apostolos sacerdotes efficiens, & materiam panis & vini, quæ ipsi quoque vterentur ostendens, tradidit eis formam qua sacramentum conficerent. Hæc autem sunt verba eius, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus. Quæ semel à saluatore dicta, ait sacratißimus doctor, semper operari, non cooperari, nec cuiusquam præsidio egere. Magnam enim imò maximam omnium vim haberent humana verba, si quid auctoritatis aut potentiæ diuinis adderent, imò verò illa excellerent dignitate, quod etiam cogitare impium est atque nefarium. Cooperantur, inquit Ephesinus, dominicis verbis sacerdotis preces. Quomodo ô bone vir, cooperantur? An tanquam per se insufficientibus, an tanquam sufficientibus? Si tanquam sufficientibus, superflua certè & vana est tua omnis oratio. Si tanquam non sufficientibus, heu quæ improbitas est, quæ blasphemia dicere, vt quod diuinis deest verbis, hominis suppleát preces? Præterea cùm verba hæc dicis, simul cum oratione totum perficere, vtrunque imperfectum putas: necesse est igitur, vt aliud tertium adueniens id agat. Quid verò hoc sit, tu quæso nobis aperi. Neque enim spiritum sanctum id esse dices. Siquidem hoc est quod quæritur, an quodlibet eorum per se, an ambo simul spiritum sanctum ad id agendum inclinet. Quod si ambo contendis id posse, intelligas necesse est: quòd si ambo simul hoc possunt, quatenus inibi dominica verba continentur, ea sunt quæ conficiunt sacramẽtum, siue sequatur, siue non sequatur oratio. Itaque nihil eis ad hoc addit oratio sacerdotis, nec illis aliquod necessarium est aliunde præsidium. Quòd si quatenus supplicat sacerdos, vt descendens spiritus sanctus illa sacrificet munera, eatenus duntaxat consecrantur: nihil ergo operantur verba dominica, nec verum dicit Chrysostomus, cum ea asserit semper operari, & transmutare, & integrè perficere: nec cooperatur ei hoc modo sacerdotis supplicatio, vt tu ais, sed totum operatur. Quid igitur corrumpis verba sacri doctoris? non rectè ea exponens, & de sacramento Eucharistiæ falsam habes opinionem. Atqui, inquis, etiã baptisma sola sacerdotis oratione perficitur. Etiam in hoc erras, & veritas in te non est. Etenim baptisma quoque dominicis perficitur verbis. Euntes enim, inquit, baptisate eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Tunc perficitur baptisma, quãdo dicit sacerdos, Baptisetur seruus dei, aut Baptiso te in nomine patris & filij & spiritus sancti. Vnde si quis etiã nihil aliud præter hæc verba dixerit, rectè baptisat, & qui hoc modo baptisatus fuerit, salutem adeptus est. E conuerso verò, si quis cætera dixerit, & infinitas ad Deum porrexerit preces, hæc verò prætermiserit, nihil omnino agit. In hunc modum apostoli per impositionem manuum & benedictionem & pronunciationem horum verborum baptisabant. In hunc modum Eucharistiæ mysterium consecrabant. Nondum orationes, nondum hymni, nondum cætera quæ in Ecclesia dicũtur, composita erant. Cogitemus enim, quod fieri certè potuit, ipso paßionis die aut sequẽti, Petrum vel alium quemlibet ex apostolis, in memoriam Christi & paßionis eius sacramentum altaris conficere voluisse (neque enim credibile est, non aßiduè eos illius meminisse in cuius commemorationem ia fieri mandauerat) quibus alijs verbis id eos fecisse existimabimus nisi dominicis? & post cœnam; quod etiam longo temporum interuallo obseruatum est, & communibus vestibus indutos? At hæc verba, inquis, narrando recitata, non possunt sacramentum conficere. Non autem tanquam rei gestæ seriem narrans, sacerdos hæc verba profert, sed tãquam personam Christi indutus, vt ita eá proferens, quasi dominus esset qui loqueretur, & eam habens intentionem, vt per verba illa iuxta illius mandatum, qui ita præcepit corpus Christi sanguinémque conficiat, quemadmodũ ille fecit: fecit autem per ea quæ suprà memorauimus verba. Possunt hæc sanè duobus modis accipi. Aut tanquam ab euangelistis relata, & tunc narratiuè accipiũtur, ab euangelistis scilicet ea quæ Christus in illa salutifera passionis

stionis nocte egit, narrātibus. Aut tanquā à sacerdote prolata, intentionē habente, vt iuxta ordinem à saluatore traditum, sacramentum hoc conficiat, & tunc non narratiuè, sed sanctificatiuè proferuntur, cum intentione conficiendi mysteriū, iuxta imitationem Christi, et quasi ipse esset qui & diceret & faceret. Idcirco sacri doctores asserunt, necessariam in primis esse sacerdoti rectam intentionem, & propositum ea faciendi quæ dicta sunt, quippe sine illa nihil omnino confici posse. Quemadmodum si quis regum per aliquem ex ijs qui apud se gratia & auctoritate valent, voluntatem suam cupiēs subditis suis facere manifestam, & ita id apud illos valere, ac si se animum suum exprimentem audirent, sanciat, vt ita illa verba in prima persona referat, vti à se dicta sunt, populúsque ita prolata audiens, tanquam ab ipso rege dictis obtemperet. Manifestum est enim, quòd si hac lege lata, veniens ad populum nuncius ita dicat: Rex vestræ salutis cupidus, vestrámque rempub. in felicitate ac copia omnium rerum tenere desiderans, continuè ijs rebus inuigilat, & leges condit, quas ad id existimat vtiles ac necessarias, vnde cùm in multis aliorum exempla secutus, tum plurimorum ipse inuentor hanc legem sancit: Volo quemlibet vestrum, qui conditis à me legibus paruerit, talentum auri ex ærario publico tot annis accipiat. Profectò nec narratiuè hæc dicit, sed simul atq; dicta sunt, rata sunt quæ iubentur. Quamobrem? quia rex ita sanxit. Eodem modo hic intelligendum est, talem à domino sacerdotibus traditam potestatem, vt eius verba ab illis in prima persona, & tanquam simul ab eo dicerentur prolata, totum efficiant. Aut cur illi quidem suffecerunt hæc verba, nobis verò non sufficiunt? Si enim illi suffecerunt, & nobis vtique sufficere debent, potētia illius, & tanquam ab illo dicente prolata. Quod si nobis aliquid necesse est addere, imperfecta sunt verba illius. Absit autem à pijs mentibus talis cogitatio. Quam enim alij potestatem per consecrationem accipiunt sacerdotes? nisi illam, Christi personam posse subire, & pro eo nobis adesse, & quemadmodū ille fecit, corpus eius posse consecrare? fecit autem illa per verba quæ diximus. Enimuero simpliciter orare quisque posset, imò verò efficacius sæpenumero orarent multi non sacerdotes nonnullis sacerdotibus. Siquidem plerique sacerdotes ita viuūt, vt non sint Deo accepti: plurimi verò ex secularibus, ita ob eorum bonitatem deo chari sunt & grati, vt plerunque miraculis decorari mereantur. Si igitur vel sola oratione, vel ea præcipuè hæc sacramenta perficerentur, certa magis perficerentur à viris iustis, quanuis non sacerdotibus, quàm ab indignis sacerdotibus. Hoc verò falsum est. Perinde enim sacramentum conficit sacerdos quanuis malus atque peruersus, vt optimus atque sanctißimus. Secularis verò persona quamlibet fide religionéque excellat, nihil omnino potest, quia nullam ad faciendum à domino potestatem accepit, cùm sacerdos acceperat maximam. Si igitur non est vis orationis quæ hoc facit (esset enim omnibus communis) superest vt pro Christo adsint nobis sacerdotes, eiusdem in hoc potestatis, qui & instar illius operari poßint, & annunciare populo, quæ ille præcepit. Hoc enim, inquit, facite in meam commemorationem. Hoc scilicet quod ipse feci, accepto pane & vino in manibus, respiciendo in cælum, frangendo, benedicendo, gratias agendo Deo patri, & in corpus & sanguinem per ea verba, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus, transmutando. Hoc enim ea transmutat, hoc ea integrè perficit, vt beatus Chrysostomus ait. Hæc quidē, nisi me animus fallit, satis superque esse videntur ad obturanda omnium ora qui tam apertæ ac manifestæ rei cōtradicere conantur. Audiamus tamen si placet, etiā Gregorium Nyssenum, virum & doctrina & vitæ sanctitate excellentem. Is in Catechetico eius sermone de diuinis Sacramentis ita inquit: Rectè igitur & nunc panem diuino verbo sanctificatum, in corpus Dei verbi trāsmutari credimus. Nam & illud corpus (intelligit autem corpus assumptum ex virgine) panis potentia erat, sanctificatus verò fuit habitatione verbi in carne habitantis, à quo ita panis qui in illo corpore erat, transsubstantiatus fuit in diuinam potentiam, per eum nunc quoque æqualiter fit: & ibi enim gratia verbi sanctum fecerat illud corpus, quod ex pane consistebat. Et illud quodammodo etiam panis erat, & hic similiter panis, quemadmodum apostolus ait, sanctificatur per verbum Dei & orationem, non comestionem, ad hoc procedens, vt corpus verbi fiat, sed mox ad corpus per verbum transmutatur, quēadmodum ab ipso verbo dictum est, Hoc est corpus meum. Quid clarius certiúsve ijs audire desideras? Panis, inquit, verbo Dei sanctificatur. Hoc in primis probat manifestè, verbo Dei sacramentum hoc confici. Deinde modus probationis idem apertius ostendit. Corpus, ait, potētia panis est, quia pane constat. Alimentum enim (vt Aristoteles docet) primo quidem dißimile, postea verò simile fit eius cuius est alimentum. Corpus igitur quod ex virgine dominus assumpsit, potentia panis erat. At tale corpus ex virgine assumptum, quod potentia panis erat, non fuisset aliter sanctificatum, nisi verbum illud carnem illam inhabitasset. Ita nunc panis

quoque altaris non aliter quàm per verbum Dei & orationem sanctificatur. Cuius rei testem Paulum citat. Quod autem ait, per orationem, nihil corroborat aduersariorum rationē. Siquidem apostolus in prima ad Timotheum epistola, hoc de communibus cibis dicit. Hic verò doctor non de omnibus quæ illic dicuntur, illius vsus est testimonio, sed duntaxàt quantum ad confirmationem propositi sui spectat, de transmutatione quæ fit per verbum Dei. Vnde paulò post concludens ait, Mox ad carnem transmutatur. Et ad huius confirmationem subiungit, Quoniam ipse dixit, Hoc est corpus meum. Aduerte quæso cùm cætera omnia, tum quod in fine ait, quod mox per verbum transmutatur. Verbū verò inquit esse, Hoc est corpus meū. Nónne, oro te, verbum illud Mox, non relinquit locum orationibus? Si igitur verbum illud, Hoc est corpus meum, mox transmutat, manifestum illud solum esse est, quod transmutat, aliter enim non mox, sed aliquo & non paruo interiecto tempore transmutatio fieret. Ita certè inter se cōueniunt sancti patres & doctores nostri, ita sibi inuicem consentanei loquuntur, siue orientales siue occidentales. Quippe Damascenus in libro Sententiarum, cap. xxiij. ita inquit: Non est panis figura corporis & sanguinis Christi, absit, sed ipsum corpus Christi deificatum. Et vnde hoc sanctissime doctor? Hoc habemus ab ipso, inquit, domino, dicente, nō, Hoc est figura corporis, sed ipsum corpus meum, & non figura sanguinis, sed ipse sanguis meus. Verba igitur illa, Hoc est corpus meum, etiam iuxta sentētiam illius doctoris faciunt, vt panis altaris verū Christi corpus sit credatúrque. Sed ijs omnibus quæ supra memorauimus, quasi vltimam manum imponit epistola doctoris gentium ad Corinthios, de huius sacratissimi mysterij traditione speculantis. Ego enim, inquit, accepi à domino, quod & tradidi vobis. Deinde enumerat quæ accepit. Primo itaque videamus si libet, an sufficienter tradiderit. Patet siquidem manifestè eum tradidisse: neque enim imperfectè accepit, neq; minus quàm acceperat tradidit, sed quicquid decebat, & necesse erat circa huius sacramenti mysterium fieri, & accepit, & tradidit. Accepit autem hæc, quòd scilicet dominus Iesus qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, Hoc est corpus meum quod pro vobis frágitur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotienscunque biberitis in meam commemorationem. Et nihil præterea addidit, quia enim nihil amplius acceperat, nihil amplius tradidit. Et addidit modum consecrationis diuini corporis & sanguinis, omni ex parte sufficientem atque perfectum, quali vsus fuit Christus, qualem ab eo ipso accepit. Accipere scilicet panem, gratias agere, frangere & dicere, Accipite & manducate, Hoc est corpus meū, & hoc modo conficere sacramentum. Quid obsecro horum consecrat diuinissimum illud munus? Profectò non acceptio panis, hoc enim subiectum est consecrationis, quod in corpus domini transsubstantiari oportet, non gratiarum actio, non fractio, quarum altera ad commemorationem ineffabilium erga nos beneficiorum Dei, altera ad distributionem necessaria est. Superest igitur, vt verba illa sint quæ consecrent, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus. Et ita existimandum est, & tunc fuisse consecratum, & nunc consecrari, concurrentibus scilicet, vt dictum est, & patre & spiritu sancto, cùm omnia in creatura opera ijs tribus communia sint. Verum saluatori quidem haud necesse fuit, patrem & spiritum sanctum palàm ad hoc opus inuocare, cùm vnus idémque & vnius cum illis substantiæ sit, propter quod quicquid ab eo vel fiebat, vel dicebatur, idem ab alijs quoque fiebat, dicebatúrque. Nos verò fas est & nominatim illos inuocare, & vt munera nostra sanctificent precari. Verum id non alio atq; alio modo agere, nec alio atque alio tempore, sed & quo tempore domini pronunciamus verba, & quo modo verba significant. Quòd si illum tanquam hominem diceremus, dum gratias agebat beneficijs acceptis, orasse etiam tacite patrem & spiritum sanctum, vt ad eam consecrationem concurrerent, deinde verbis ille prolatis mysterium peregisse, non sine ratione diceremus. Eodem igitur modo & nos agere necesse est, inuocato scilicet patre & filio & spiritu sancto nominatim & manifestè, siue ante verba domini, siue post, seu vtroque modo: nihil enim interest, vt postea differemus, ita demum prolatis domini verbis, sacrum hoc mysterium conficere. Ita accepit Paulus, ita nobis tradidit: transgredi autem traditionem eius neque possumus, neq; debemus, si discipuli eius, imò verò Christi & esse & vocari cupimus. Abunde verò superius demonstratū est, quoniam Paulus hanc traditionem non à Christo, sed ab apostolis accepit, non modo verbo hoc, sed opere etiam ita facientibus, manifestum esse non alijs quàm Christi verbis ipsos etiam apostolos post Christum consecrasse, & cæteris eundem mysterij ritum tradidisse. Præterea hoc idem ostendunt populi ad ea verba responsiones. Sacerdote enim verba illa alta voce, vt vos Græci soletis, pronunciante, assistens populus in vtraque parte respondet,

Amen,

*Amen, quasi dicat, Verè ita est, vt tu dicis. Amen enim cùm affirmandi apud Hebraeos aduerbium sit, Graecè idem quod verè significat. Amen igitur ad ea verba respondens populus, Certè inquit, corpus & sanguis Christi sunt munera ista proposita, ita credimus, ita cōfitemur. Et quomodo, quaeso te, non esset turpe putandum eos qui doctiores haberi volunt, ea ignorare quae seculares & sacrarum literarum ignari, respondendo Amen, manifeste se scire significant? Quid, nónne assistēs sacerdoti diaconus, cique ministrans, dum sacerdos alta voce (iuxta orientalis Ecclesiae ritum) verba illa pronunciat, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus, ipse propria stola, duobus primis digitis tacta, panem & calicem ostendit? nihil certe aliud significans, nisi panem illum Christi esse corpus, & quod in calice est, esse sanguinem eius, quemadmodum verbis illis asseritur. Et hac sanè ostendens diaconus non mentitur, & non mentiens cum ijs sentit qui sola domini verba aiunt hoc sacrum perficere sacramentum. Neque enim frustra tales institutae sunt ab Ecclesia ceremoniae. Illud quoque haud contemnendum videtur, quòd cum duo sacramēta nobis à saluatore tradita fuerint, Baptismus & Eucharistia, vtrunque verbis suis cōfici iussit. Etenim baptismus, quemadmodum supra memorauimus, per verba illa conficitur, Baptisate eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Cuius rei testimonium est, quòd patres nostri sancti Ecclesiae doctores qui statuerunt, quínam ex ijs qui ab haereticis ad catholicam reuertuntur Ecclesiam, rebaptisandi sint, qui non eos haud rebaptisandos esse censent, qui in nomine trinitatis semel fuerint baptisati. Quod etiam expositor synodalium canonum apud Graecos videtur confirmare. Is enim in quadragesimo septimo apostolorū canone ita inquit, Vere baptisatur aliquis, cum secundum vocem domini semel baptisatur, In nomine patris & filij & spiritus sancti, tanquam pronunciatione trinitatis & fidei in ea, iuxta dominicam traditionem, perficiatur baptismus. Si igitur haec duo sola sacramenta in Euangelijs manifeste tradita legimus: alterum vero eorum, hoc est baptismus, dominicis perficitur verbis, profecto & illud quoque, hoc est Eucharistiam, diuinum illud & à deo traditis verbis confici existimandum est. Siquidem in omni genere rerum quatuor esse causas oportet, effectiuam, formalem, finalem, & materialem. Forma autem huius sacramenti, verba sunt dominica, & nihil aliud. Propter quod vnum idémque esse decet vnumquodq;, cum & forma vna sit, propter quam est quod est, & esse dicitur. Haec vero ipsa sunt verba saluatoris, quae apud omnes sunt eadem, quod minime habent sanctorum preces, cum aliter & aliter, & alijs atque alijs verbis diuersi supplicent. Hunc modum & apostoli à saluatore, vt credendum est, & ab apostolis sancti patres postea sumentes, in singulis Ecclesiae sacramentis, quemadmodum materiam propriam sine qua nullo modo fieret quod proponitur, ita etiam propriam formam statuerunt. Hoc catholica quidem Latinorum Ecclesia vsque in praesentem diem obseruat. Et verba illa, quibus vnumquodque tanquam per materiam perficitur, nulli non sacerdotum apud eos notissima sunt. Nostri verò, vt multa alia, quae primū apud nostros ortum habuerunt, propter calamitates temporum perdidere, ita etiam horum rituum sunt obliti. Quod manifestum fiet, si quis ad chrismatis sacramentum mentem conuerterit. Etenim secunda Oecumenica synodus, verba quae sacrum chrisma perficiunt, tradens, in septimo canone ita inquit, Obsignantes, hoc est, sacratissimo chrismate eos chrismantes, dicimus signum doni spiritus sancti. Et haec verba secundum eos chrismatis sacramentum perficiunt. Hoc idem in caeteris diligens inuestigator inueniet. Quae igitur de diuino Eucharistiae sacramento sanctorum opinio sit, quae Christi, quae Pauli traditio fuerit, satis, nisi me animus fallit, supra demonstratum est. Manifeste enim apparet, orientales atque occidentales omnes eiusdem in hoc esse sententiae, vt scilicet verba domini sint, quae sacrum corpus Christi sanguinémque conficiant. Idem affirmat, idem ipse dominus asseuerat.*

*Nunc reliquum est, vt tertiam aggrediamur partē, & rationibus, quae in contrarium adduci solent solutis, finem operi imponamus. Sunt autem tres praecipuae, vna est auctoritas sanctorum ecclesiae doctorum, Clementis, Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, qui omnes in Missis quas ipsi composuere, post verba dominica, sacerdotis precibus hoc sacramentum conficere videntur, siquidem etiam post verba domini prolata, non corpus & sanguinem, sed panem & vinum nominant. Secunda vero est auctoritas Damasceni, dicentis beatum Basilium haec munera ideo praefiguratiua nominasse, quia nondum sanctificata erant: ita vero ea nominasse multo post verba dominica. Tertia ratio est opinio sanctissimi viri Dionysij Areopagitae, qui aperte sentire videtur, post verba domini hoc sacramentum confici. His in praesentia rationibus à nobis respondendum est. In primis autem verbis sanctorum doctorum qui Missas composuerunt, vnica ratio satisfacit. Cum ipsi quatuor patres idem planè dicant, eorum verba ante omnia audiamus. Clemens itaque primus, cum miracula domini & res gestas eius, ac sacra-*

mentorum à domino traditionem commemorasset, postea inquit: Memores itaque nos passionis, mortis, & resurrectionis eius, &c. offerimus tibi regi & deo secundum eius praecepta, &c. Rogamus te, vt clementer inspicias hac proposita coram te munera, tu nullius indigens deus, & in eis bene complaceas, ad honorem Christi tui, & mittas spiritum sanctum tuum, testem passionis domini nostri Iesu, super hoc sacrificio, qui hunc panem corpus Christi tui, & hunc calicem sanguinem Christi tui efficiat. Licet enim hac Clementis verba inter apocryphas scripturas commemorari soleant, placet tamen eis impraesentiarum tanquam veris assentiamus. Iacobus quoque multo post verba domini obsecrat, vt mittatur spiritus sanctus. De quo cum multa dixisset, subiungit, Vt adueniens sanctificet, & faciat hunc quidem panem corpus Christi tui, & hunc calicem, preciosum sanguinem Christi tui. At magnus Basilius similiter post verba saluatoris inuocat sanctum spiritū, vt ad proposita descendat munera, & sanctificet, & faciat panem quidem, preciosum corpus domini dei, & saluatoris domini nostri Iesu Christi, qui effusus est pro mundi vita. Ad hac Chrysostomus, post verba domini, & rerum per eum gestarum narrationem subdit: Rogamus te, emitte spiritum tuū sanctum super nos, & super hac proposita munera, & fac hunc quidem panem preciosum corpus Christi tui, quod vero in hoc calice est, preciosum sanguinem Christi tui. Post hac subiungit, Transmutans ea spiritu sancto tuo. Ex quibus omnibus facile esset cuiuis argumentari: Si verbis illis dominicis, Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, sacrum Eucharistia conficitur sacramenti mysterium, sancti Ecclesiae doctores minime post ea verba id propriis supplicationibus efficere conarentur, nec deinde panem & vinum nominarent. Cum vero id agant, nec frustra sanctos viros sit existimandum, palàm fit quòd hoc sacrum mysterium dominicis verbis nequaquam confici existimabāt. Huic igitur argumento respondere volentes, primo quidem id repetimus quod supra probatum est, omnes tam orientales quàm occidentales doctores in hoc conuenire, vt sacrosanctis domini verbis Eucharistia mysterium conficiatur. Deinde addimus, non esse hac qua modo retulimus, superioribus illis contraria, nec aliud hîc, aliud illic sanctos viros vel dicere, vel sentire, nec esse occidentalium sententiam ab orientalium opinione diuersam. Nec enim si ita foret, vnus & idem diuinus spiritus, sed diuersus, nec veritatis, sed mendacij potius atque erroris spiritus in ijs locutus fuisset: quod etiam cogitare absque impietate non licet. Necesse est igitur, vt illa vera sint, & hac per rectam expositionem illis consentanea esse ostendantur. Dicere itaque non sine ratione fortasse quispiam posset, quòd cū corpus domini duplex sit (quemadmodum in primordio nostri sermonis ostendimus) verum scilicet & mysticum, illud quidem ipsius domini verbis, cuius corpus est, confici, hoc verò quod ipsi sumus, sacris sacerdotum precibus, & iustis actionibus, & vitae ac morum honestate compleri, cum dignè homines sacrā Eucharistiam capiunt, & eiusdem cum Christo corporis efficiuntur. Et hoc quidem petere sacerdotem, cum rogat, vt descendens spiritus sanctus, panem quidem preciosum corpus Christi, calicem verò preciosum sanguinem faciat, hoc est, vt fidelem populum, mysticum corpus Christi sanguinémque faciat, quo membra & partes corpúsque eius effecti, & sibiipsis charitate & Christo vniti, viuant cum eo vitam aeternam, & fiant ipsius cohaeredes. Nos vero praeter hac, illud potius dicendum existimamus, quòd cum diuinūm hoc sacramentum sit commune, sit opus totius trinitatis, necesse est nos, quemadmodum supra diximus, & patrem, & spiritum sanctum cum filio inuocare, vt proposita munera perficiant. Quod & passim per totam Missam facimus, non ante verba saluatoris, sed etiam pòst multis cum precibus inuocātes, supplicantésque, vt digni ministri tantae rei efficiamur, quo possimus illa munera perficere, vt accepta ei fiant, & gratia spiritus sancti super ea descendat. Quae omnia non tam agimus, vt ipsi ea faciamus, quam vt populo ostendamus communia esse in creatura opera trinitatis. Quemadmodum enim beneplacito patris, & spiritus sancti voluntate, vnus in trinitate natura dei & patris filius, ex sanctis & immaculatis virginis sanguinibus corpus assumpsit, ita & hoc corpus altaris ipsa trinitas creat, ipse spiritus sanctus potentia sua ex substantia in substantiā, hoc est, ex pane in corpus transmutat. Quae res vt fideli populo palàm fiat, illius etiā nos meminisse necesse est. Et hoc velle illos doctores, qui per aduentum spiritus sancti sacramentum hoc fieri dicunt. Sunt vero ijdem planè, qui ex solis domini verbis Eucharistiae sacramentum existimant confici. Idem enim vtrunque dicunt, non contraria, aut sibijnuicem repugnantia, sed eadē dicere existimantes: vtrunque enim verum est. Et cum vnum & idem ambo sint, vnum idémque efficiunt, & vno atq; eodem tempore. In instanti enim temporis non aliter atque aliter, neque alio atq; alio momento, sed eodem momento, &, si dicere fas est, eodem nunc, vtrunq; idem efficiunt, cū & diuinae trinitatis personae, quas inuocamus, vnum atque idem substantia & inseparabiles sint.

Quo

Quod si rerum natura tale aliquod verbum pati posset, quod mox & sine alicuius temporis interuallo rem omnem exprimeret, profectò nos simul & eodẽ tempore cum verbis domini cætera omnia pronunciaremus, illa quidẽ duntaxat sacramẽti efficientia credentes, et tamen patris & spiritus sancti gratiã non dubitantes adesse, & hoc oratione & precibus manifestãtes. Adsunt etenim illi quoque cum istis domini verbis, etiam nobis nihil vltra flagitantibus. Sed cùm desiderij nostri nequeamus ardorem continere, nominatim quoque eum inuocamus, & præsentiam eius populis aperimus. Cæterum quoniam natura rerum id vetat, necesséque est per interualla temporũ vnum post aliud verbum pronunciare, atque ita totam historiam sacramenti repetere, deinde patrem & spiritum sanctum inuocare: idcirco ijs qui non bene rem considerant, videri solet aliud esse quod postea inuocatione sancti spiritus dicitur, idque solummodo absque verbis domini sacramentum conficere. Quod certè à veritate longissimè abest. Oportet enim hæc aliáque huiusmodi, non tanquam in tempore in quo dicuntur, sed tanquam in tempore pro quo dicuntur, ita intelligere, ac si tempus illud maneret, miniméque deflueret; sed in vno eodémque nunc illa dicerentur: profectò enim ita dicerentur, si fieri posset, & rerum natura minime repugnaret. Cùm igitur pro tempore in quo illa dominica verba dicuntur, inuocationes etiam posteriores fiant, & ad illud referantur tempus; profectò & eodẽ hæc ipsa dicta esse tempore existimanda sunt, quod certè factum fuisset, si id natura rerum pateretur. Etenim quemadmodum si quis sermonem alicuius molestè ferens, & audire ipsum recusans, diceret, Clausi tibi aures, cùm tamen nondum clausisset: vel aliquid sibi molestũ videre nolens, diceret, Obduxi oculos, cùm id nondũ, & alia ijs similia: ita tale nescio quid in ijs domini verbis animaduerti potest. Cùm enim ita loqui debuisset, dicens discipulis suis, Accipite & manducate, Hoc est corpus meum, fregit, & dedit eis. Hoc enim ipse ordo rerum poscebat, primo consecrare, deinde frangere, postea distribuere, quod nos in præsentia facimus. Ille tamen ait, Fregit, & dedit, dicens, Hoc est corpus meum, figurato sermone quem hysterologiam vocant, vsus. Iuxta illud poëtæ, Simul nutriti, natique fuerunt. Et alibi, Sonuit cadens. Primo enim nascitur aliquis, deinde nutritur, & cadit quis antequàm sonum faciat. Decet igitur nos rectè iudicare volentes, singula quæque intelligere, vt in proprijs dicta sunt locis, nec in quo, sed pro quo tempore dicuntur animaduertere, & quæ vel ante vel post aliqua dicuntur, aliquando quidem tanquam simul cum illis, aliquando verò vel vt posterius quæ prius, vel vt prius quæ posterius dicta sunt, dicta existimare. Siquidem ipse quoque Chrysostomus multo ante & post verba domini in oratione quæ post oblationem dicitur munerum, Dignos nos, inquit, fac domine, vt corãm te gratiam inueniamus, & acceptum tibi fiat sacrificium nostrũ, & inhabitet spiritus gratiæ tuæ bonus super nos, & super hæc proposita munera. Vbi considerandum quid hæc verba, Dignos nos fac, vt spiritus sanctus tuus inhabitet super hæc proposita munera. Nihil differunt à verbis illis Clemẽtis, vel Iacobi, vel Basilij, vel quæ supra retulimus ipsius Chrysostomi, quibus nonnulli existimant hoc sacramentum confici. Etenim illi quidem Deum precantur, vt mittat spiritum sanctum, qui adueniens sanctificet, & panem efficiat preciosum Christi corpus: hic verò, Dignos, inquit, facias, vt inhabitet spiritus sanctus tuus super hæc proposita. Quæ verba nullam sanè inter se diuersitatem habent. Hoc tamen Chrysostomi ante domini verba dicuntur, & longe ante preces illas, quibus nonnulli existimant sacrum Eucharistiæ mysterium confici. Quod si ijs prioribus verbis, & hac Chrysostomi oratione sacramentum non conficitur, profectò nec posterioribus perficitur, quæ cum illis eadem sunt: eadem enim eorundem sunt efficientiæ. Perficitur autem verbis illis quæ inter vtraque media, maximè principalia sunt, hoc est dominicis verbis. Hæc sunt quæ totum efficiunt, & ad quæ omnia referenda sunt, siue antea siue postea dicantur. Hoc ipsum apertius etiam ex Basilij verbis in eodem loco percipi potest. Mox enim post munerum oblationem, Respice inquit, super nos Deus, & super hanc nostram latriam, & acceptam eam habeas, quemadmodum accepta habuisti munera Abel, immolationes Abraam, Moysi & Aaron sacerdotium, Samuelis pacificas. Quemadmodum cepisti à sanctis apostolis tuis veram hanc latriam, ita & nobis peccatoribus, manibúsque nostris accipe hæc munera, bonitate tua domine. Vidésne, vt post multa quæ orans dicit, post propositum sacrificium latriæ, quod soli Deo & nulli alteri debetur, post preces, quibus vt accepta Deo fierent, sicuti Abel, Noë, & cætera sacrificia, tamen ne aliquis contentioni relinqueretur locus, subiunxit: Quemadmodum è manibus sanctorum apostolorum tuorum hanc veram latriam accepisti, ita è manibus nostris hæc munera accipe? Quid ergo tergiuersamur? Hoc modo & verba hæc satis esse ad consecrationem dicemus, cùm dicat Basilius, Ita è manibus nostris hæc munera accipe, quemadmodum à tuis apostolis, hanc

*veram latriam accepisti. Si enim apostolorum manibus verum Christi corpus consecratum fuit, idque nunc in manibus suis fieri rogat Basilius, cur non his verbis subito perficitur sacramentum? Nihil enim hæc differunt à posterioribus precibus, quibus nonnulli putant perfici sacrum mysterium. Audi enim quid dicat, Rogamus te, vt descendat spiritus sanctus tuus super hæc proposita munera, & faciat panem corpus, calicem verò sanguinem. Si igitur primis illis orationibus, quæ simillimæ posterioribus sunt, non perficitur sacrum mysterium, profectò nec postremis perficietur. Simillimæ enim preces simillimos parerent effectus. Superest igitur, vt verbis saluatoris nostri hæc vis tribuenda sit, & ad ea cætera referenda sunt omnia, quæ ve ante quæve postea dicuntur, & pro eo tempore quo illa verba dicuntur, hoc quoque dici existimandum. Diutius autem in hac parte dedita opera commorati sumus: tum quòd ad cognitionem eorum quæ supra dicta sunt, non paruam afferre vtilitatem videbantur: tum quòd necessaria erant ad ea soluenda, quæ ex diuino Dionysio & Damasceno opponi solent. His addi tertia quoque ratio, nulli fortasse superiorum inferior, posset: Hierarcham totum Deo repletū diuinóque amore, iuxta Dionysium de Diuinis nominibus, captum, veluti ecstasin quandam, & diuinum pati zelum. Ob hoc sæpenumero extra se positum, & totum rei amatæ hærentem, zelo quodam & timore, ne id quod desiderat, non assequatur, sæpius eadem ex vero ac pene incredibili mentis desiderio petere, nec ignorare quidem se iam quod quærebat adeptum, sed insatiabili quodam amore iterum atque iterum eadem repetere, vt etiam in quibusdam symbolis quasi euidentißimis signis, qui adsunt, intelligere poßit, totum Deo captum, totum iam diuinum effectum, ac per hoc imitatione eius ad virtutem vitæque integritatem alliciantur, &, vt aiunt, quasi manuducti ponantur in viam. Hoc summus ille propheta Dauid plerisque in locis facit. Nam cùm dixisset, Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, paulo post in eodem psalmo subiungit, Miserere mei, & exaudi orationem meam. Quem locum Theodoritus ex sententia, nisi fallor, Chrysostomi (neque enim Chrysostomum apud nos in præsentia habemus, exponens) Non satiatur, inquit, hic iustus orando, sed supplicans & impetrans, & fructus orationis colligens, adhuc orando ac supplicando perseuerat: scit enim quando inde sequatur vtilitas. Alibi quoque idem Dauid, Dirigatur inquit, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Quid, quæso te, clamat Dauid, vt sua exaudiatur oratio? Si enim iniqua & præter rationem erat, nunquam ad Deum ascendisset, quomodolibet eo rogante atque obsecrante: quòd si recta & exaudiri digna, iam directa erat ad Deum, ipso quoque propheta tacente. Nempe igitur petit quod tenebat, & quæ præsentia iam erant desiderat. Idem nostri quoque doctores, qui Missam composuerunt fecere. Etenim post verba illa, Fac hunc panem corpus Christi, & hunc calicem sanguinem Christi, quibus solis nonnulli existimant fieri consecrationem, adhuc pro eis adorant, aut frustra prorsus id facientes, quod nec cogitandum est, aut vehementi quodam desiderio eadem sæpius repetentes. Memento enim, inquiunt, domine imbecillitatis meæ, & præsta mihi veniam omnis siue voluntariæ siue non voluntariæ meæ culpæ, neque propter peccata mea inhibeas spiritus sancti gratiam ab his propositis muneribus. Et rursus paulo post ad populum dicitur, Pro oblatis consecratisque muneribus preciosis Deum rogemus. En quomodo orant, ne ex propositis muneribus spiritus gratiæ arceatur; en quomodo pro sanctificatis propositisque muneribus hortantur Deum precari, quamuis multo antè sanctificata fuerint, quamuis perfectè consecrata, etiam iuxta eorum opinionem, qui nobis contraria & loquuntur & sentiunt. Quid igitur dicemus hoc loco fratres? nisi quod ex sententia Chrysostomi Theodoritus ait, Non satiatur orando iustus, & reliqua quæ supra memorauimus. Quòd si qui fortasse dicerent, Non pro diuinis muneribus, sed pro nobis fit, quod significant? Quæram ab eis primo quidem, cur nostra expositio non conuenientior sit atque subtilior? Nam quòd hierarchæ diuina quædam paßio, & veluti ecstasis accidat, ita vt vehementi quodam amore extra se positus, totus rei amatæ hæreat, & eadem sæpius, quasi diuinò quodam furore correptus repetat, quemadmodū in terrenis istis amoribus accidit, vt amans ab amato inseparabilis sit, profectò non parua & contemnenda, sed magna & mystica ratio est. Quòd verò iustus non satietur orationibus, sed quæ desiderabat iam consecutus adhuc perseueret, eadem petens, desiderio certè ac deuotioni talis tantique sacramenti consentaneum est. Deinde verò fingamus aduersariorum istam rationem validam esse, nec quouis modo refutari debere. Nónne pro nobis magis facit? imò verò nónne à nobis in confirmationem sententiæ nostræ adducta est? Hoc est enim, quod in principio fere huius disputationis diximus, duplex esse Christi corpus, verū & mysticum. Et hæc quidem, nisi me animus fallit, satis sunt ad solutionem ac cōfirmationem eorum quæ ab aduersarijs dici solent. Quod verò nonnulli subiungunt etiā post verba domini*

panem

panem & vinum proposita munera à sacris illis doctoribus nominari, quod non videretur esse faciendum, si iam consecrata forent. non enim iam amplius panis & vinum, sed corpus & sanguis domini & essent & dicerentur, facilis est ad ea responsio. Quis enim neget verum Christi corpus & sanguinem, rectè panem & vinum nuncupari posse? Nam vt prætercam multa diuersorum doctorum testimonia, qui indifferenter etiam post consecrationem, modo corpus & sanguinem Christi, modo panem & vinum nominant (neque enim est in re facili diutius commorandum) Nonne ipse dominus, quo nullus fide dignior est, de suo præsertim corpore loquente, indifferenter modo hoc, modo illud nominat. Qui manducat, inquit, meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et rursus, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Et iterum, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Alibi vero, Ego sum panis vitæ inquit: patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt: hic est panis qui è cælo descendit, vt qui ex eo comedat, non moriatur. Et alio in loco. Si quis manducat ex hoc pane, viuet in æternum. Et rursus, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Manifestum est igitur, quòd iterum suum corpus panem nominat etiam dominus. Sed de his satis, nunc ad id quod de Damasceno opponitur, veniamus. Idem inquit Basilium munera illa præfiguratiua corporis & sanguinis domini nuncupasse, quòd nondum consecrata erant, & tamen hoc verbo vsus est Basilius in compositione Missæ suæ, multo post verba domini. Ad hæc responsuri, primo tanquam filij à patre veniam poscimus, si duobus propositis amicis præferamus veritatem. Dehinc dicimus sacramenta etiam postquam consecrata sunt, figuram esse, & ideo etiam præfiguratiua veri corporis & sanguinis Christi dici posse, quod etiam superius ostendimus. Sensibilis enim panis & vini etiam post consecrationem species figuræ quadam & præfiguratiua vti sunt, ita etiam dici possunt, tum contenti sub eis veri dominici corporis & sanguinis, tum mystici corporis & ecclesiasticæ vnitatis, ipsum quoque verum corpus mystici corporis symbolum ac signum esse, vt latius paulo ante disseruimus. Decet tamen, vt tunc quoque memorauimus, hæc debito modo, & non instar sacramentorum veteris legis, quæ tantum figuræ sunt, accipere. Quod etiam Dionysij testimonio confirmatur, qui sacramentum hoc etiam post consecrationem (in III. Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo) symbolum nominat. Ita enim inquit: Sacras diuinas operationes hierarcha laudans, consecrat diuinissima, & manifestat quæ laudata sunt, per symbola sanctè proposita. Et infra, Populo quidem diuina solum symbola intuente. Et rursus, In sacram memoriam nos ducit diuinæ cœnæ, quæ principale symbolum fuit eorum quæ in altari fiunt. Vnde & ipse symbolorum creator optimo iure eum repellit, qui non sanctè neque simili modo cum eo sacra illa cœnauerit. Cum igitur sacra illa munera etiam post consecrationem symbola nominet, creatorémque eorum, quæ nunc quotidie in Ecclesiis fiunt, principale symbolum, illam sacramentalem cœnam sacramentorum in eo distributionem, ipsúmque dominum symbolorum creatorem appellet, eorum videlicet quæ tum creauit, hac verò fuerunt proprij corporis consecratio, distributio, traditio, cur non ea etiam figuram conuenientissime vocet? Atqui quòd nec præfiguratiui quidem vocabulum vero Christi corpori sanguinique conueniat, idem Damascenus testatur in eodem capitulo, ita dicens: Præfiguratiua futurorum dicuntur verum corpus & sanguis Christi, non quia non fiunt verum corpus & sanguis, sed quia nunc quidem per ea participes efficimur diuinitatis Christi, tunc vero per solam visionem intelligibiliter. Hoc idē apertius confirmare videtur beatus Gregorius. Ideo inquiens hæc nominari figuram, quia corpore & sanguine domini nunc participamus in figura panis & vini, tunc vero eum talem qualis vere est, manifestissima visione cōtemplabimur. Quamobrem non video, quid tandem formidans Damascenus, præfiguratiui vocabulum renuerit, ideóque ita exponere sit conatus, cum possibile sit, tam ex ipsius quàm ex cæterorum doctorum sententia, verum etiam corpus & sanguinem siue figuram siue præfiguratiua nominare. Licet igitur nobis hoc loco dicere, quod sanctus Basilius ad Amphilochium scribens Iconiensem, de Dionysio Alexandrino martyre inquit, Nam cum loqueretur de his qui rebaptisandi sunt, Pepusianósque contra Dionysij sententiam rebaptisandos censeret, Miror inquit, quomodo hoc latuerit Dionysium, quàmuis canonum omnium expertissimum. Volebat sanè Dionysius quanquam sanctus, imò vero etiam martyr, eos qui ex Pepusianorum hæresi ad fidem venirent, non debere baptisari. Cuius contrarium sentiebat Basilius, nec veritus Dionysij & sancti & martyris auctoritatem, qui contra eius opinionem iudicaret, diceretque, ad fidem ex ea hæresi venientes, rebaptisari debere, quòd non rectè neque in nomine patris & filij & spiritus sancti essent baptisati. Et nobis igitur mirandum est, quomodo dixerit hoc Damascenus. Sed meminisse

oportet, hominem eum fuisse, quamuis mira sanctitate præditum, & fieri aliquando potuisse, vt pro imbecillitate humani ingenij non recte aliquid senserit. Nos vero non ex ijs vel ipsum vel alios de illis quæ palàm atque vnanimiter tradiderunt, sed potius ex ijs hæc discernere ac iudicare debere. Fortassis autem quod impossibile non est, diceret quispiam, verba illa Basilij, quibus hæc munera præfiguratiua nominauit, tempore Damasceni locum ante verba domini in missa Basilij habuisse, ideóque eo modo & recte exposuisse Damascenum: nunc vero nescio quomodo ea verba fuisse transposita. Multa enim huic similia tam longo temporum interuallo acciderunt. Siquidem apud Apostolum his illa verba posita sunt, Hoc facite in meam commemorationem. Idem post, Hoc est corpus meum. Et post, Hic est sanguis meus. Nos vero semel tantum in sacra consecratione hoc dicimus. Præterea sacras particulas, hoc est sacrè dormientium memoriam multo ante domini verba iuxta eundem Dionysium facere solebant: nos vero hoc multo post, mutato nescio quomodo ordine facere consueuimus. Minime igitur mirandum esset, si hoc præfiguratiui vocabulum Damasceni tempore ante dominica verba locatum, dehinc à recentioribus, eo quo nunc legitur loco mutatum ac positum fuisset. His ita expositis superest, vt ea tandem quæ de sancto Dionysio ab aduersarijs obijci solent, respondeamus. Verba eius hæc sunt. Inde diuinus hierarcha accedens ad sacrum altare, laudat prædictas sacras operationes dei, ipsius Iesu prouidentiæ, quas pro salute generis nostri, beneplacito sanctissimi patris, in spiritu sancto, secundum Euangelica verba operatus est. Postquam autem laudauit, & venerandam intellectualémque speculationem eorum intellectualibus oculis perspexit, ad symbolicam eorum consecrationem venit, & hoc secundum traditionem diuinam. Vnde deuote simul & hierarchicè post laudes diuinarum operationum de consecratione eorum respondet. Tu dixisti, inquiens, Hoc facite in meam commemorationem. Deinde postulans vt dignus fiat hac consecratione, & ad similitudinem Christi hæc diuina perficere valeat, & caste distribuere, consecrat diuinissima, & manifestat laudata per symbola sanctè proposita. Ad hæc Dionysii verba, quanquam difficilis fore responsio videatur, apud eos præsertim qui contentionis cupidiores sunt quàm veritatis, dicimus tamē & ingenue attestamur, apud probas & deuotas aures nihil in his esse quod ijs quæ supra diximus aduersetur. Quid enim ô bone Iesu clarius, quid apertius, quid manifestius inueniri potest, q̃ verba sanctorum doctorum, de quibus supra mentionē fecimus, verba domini mutare panē in corpus, illa sacramentū integre perficere, verbo dei panē sanctificari, panē in corpus per verbū mutari, ante verba panē simpliciter esse munus quod offertur, post verba mox in corpus mutari, aliáque huiusmodi? A quibus quomodo, quæso te, dissentiret Dionysius, præsertim doctrina & sapientia ac vitæ sanctitate æqualibus atq; simillimis? Profecto nemo hoc mētis compos fateatur. Est autē quod Dionysius inquit, tale aliquid quale superius diximus. Quod cùm opera in creatura totius trinitatis cōmunia sint, vt hoc omnibus palā fiat, operæpreciū est totam nos trinitatē inuocare. Quod cum simul & absq; interuallo temporis fieri non possit, cum præsertim oporteat omnē illorū quæ ea nocte gesta sunt historiam enarrare, necesse est nos vnum post aliud, secundū vim & naturā nostræ pronunciationis exponere. Ita ergo post verba dominica (quibus iuxta Chrysostomum integre perficitur sacramentum, ac proposita transmutantur, quibúsque vt Gregorius Nissenus ait, sanctificatur panis, in corpúsque transfertur) patrem ac spiritum palàm atque aperte inuocamus. Hanc vero manifestam inuocationem tanquam multitudini notiorem tradit beatus Dionysius, cum sacerdotem dicit, postquam pro se respondit, dicens: Tu dixisti, Hoc facite in meam commemorationem, tunc demum ad consecrationem accedere. Consecrationem enim hoc loco vocat, non illam quæ sola & principalis est, & sine qua perfici mysterium non posset, sed eam quæ notior est ac manifestior multitudini, quæque ad primam illam atq; præcipuam, quæ fit verbis domini refertur, quam eodem temporis momento, &, vt supra diximus, eodem nunc, cum verbis dominicis protulisset sacerdos, si id natura rerum ferre potuisset. Hoc autem ex eo quoque fit manifestius, quòd etiam ante hæc verba perfectum iam sacramentum ponere videtur, cum dicit, quòd hierarcha accedens ad sacrum altare, laudat prædictas sacras operationes, & ita consecrat diuinissima, & manifestat laudata. Manifestare autem laudata, iuxta expositoris sententiam qui fuit vir sapientissimus Maximus, est clara facere quæ laudata sunt, hoc est diuina opera Christi, quæ enumerauit facta à saluatore nostro in remissionem peccatorum & in vitam æternam. Hæc verba sunt Maximi, imò etiam Dionysij. Nemini autem dubium est, commemorationem diuinorum beneficiorum fieri ante verba dominica. Quæ verò illa sint, ipse doctor enumerat. Quamobrem & ante verba domini fuisse hæc manifestissime docere videntur. Quòd autem in remissionem peccatorum & vitam æternam ipsa opera ducant, mox per

verba

verba dominica sequitur, imò vero inter ipsa domini verba continetur. Hoc enim est, inquit, corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum, & Hic est sanguis meus, qui pro vobis & multis effundetur in remissionem peccatorum. Quamobrem iuxta huius doctoris sententiam, iam perfectum est sacramentum, cum dicimus remissionem peccatorum nobis præberi. Dicimus autem hoc subito post verba domini, imò vero in ipsius domini verbis. sequuntur enim hæc illa domini verba, quibus perficitur sacramentum, scilicet, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus, quemadmodum res ipsa rem ipsam sequitur, hoc est peccatorum remissio dominici corporis communionem, cuius est effectus. Medio igitur illo tempore, quo diuina opera ante verba domini laudantur, & quo eadem post illa verba populo manifesta fiunt, consecratio fit, illis videlicet domini verbis. Addit etiam postea idem sacer Dionysius, Postquam autem laudauerit, & venerandam intellectualémque speculationem eorum intellectualibus oculis perspexerit, ad symbolicam eorum consecrationem venit, & hoc secundum diuinam traditionem. Quem locum exponens Maximus ait, Benedicens scilicet panem & calicem sacrorum munerum. Ergo benedictionem panis & calicis consecrationem ait esse Dionysius, eámque secundum diuinam traditionem. Benedictio igitur panis & calicis, qua tunc secundum Dionysium sacerdotes vtebantur, cum dicebant: Et gratias agens benedixit, sanctificauit, fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite, & manducate, hoc est corpus meū: hæc inquam benedictio per verba domini perficit sacramentum. Quamobrem secundum diuinam traditionē hoc fieri inquit Dionysius. Traditio enim Christi hæc fuit, Accipere panem, gratias agere, benedicere, & verba illa pronunciare. Nónne igitur luce clarius videmus etiam testimonio Dionysij, per verba domini consecratum esse Eucharistiæ mysterium benedictione præcedente? præsertim iuxta Græcorum ritum, qui post oblationem munerum in altari, nunquam ea, nec antea, nec post benedicunt, nisi tantum cum se existimant consecrare, quasi benedictionem consecrationi necessariam existimantes. Propter quod & hanc benedictionem, quam Dionysius & Maximus ante verba domini faciendam censent, prætermittunt nostri, non recte quidem facientes. Quod si tunc benedicere decet, vt hi doctores sentiunt, imò vero vt dominus tradidit, proculdubio tunc prolatis domini verbis credendum est fieri consecrationem. Subdit deinde Dionysius, quod postulans hierarcha, vt dignus fiat hac consecratione, & ad similitudinem Christi hæc diuina perficiat, & caste distribuat, participaturósque, prout sacros decet, participet, consecrat diuinissima. Ex quibus manifestissime apparet, quòd hæc verba consecrare atque perficere per synecdochen ad ea quæ sequuntur accipi debent, id est ad castam distributionem & dignam participationem, quæ omnia post consecrationem mysterij precari ac petere solemus. Quod facile est intelligere, si quis missas à Iacobo, Basilio, & Chrysostomo editas, diligenter animaduertat: tunc enim supplices oramus, vt digne communicare, & cæteris distribuere possimus. Quamobrem quæ subiunguntur verba, consecrare, ac diuina conficere, aut per synecdochen, aut per hysterologiam dicuntur, vel forte (quod supra dictum est) manifestiorem inuocationem, quæ saluatoris verbis non ita aperte continebatur, significans. Hæc habui quæ de Eucharistiæ sacramento, sicuti ab initio pollicitus fueram, in præsentia dissererem. Vbi ita, ni fallor, aduersantium rationes atque argumenta solui, vt nulla posthac frustra & inaniter contendendi relicta occasio videretur. Modo omnes meminerint, quàm manifesta quanque extra omnem contentionem sint sanctorum doctorum testimonia, quibus ostenditur verba domini esse quæ sacrum Eucharistiæ mysterium integre perficiunt, ac idcirco cætera quidem omnia verba ad hæc, hæc vero ad alia minime esse trahenda. His præterea maxime omnium esse credendum, tum quia vnanimes & vnius sententiæ omnes sunt, siue orientales, siue occidui: tum quòd ita clare ac manifeste de hac re loquuntur, vt nulla omnino dubitatio supersit tibi: quæ ex aduerso dicuntur, ita obscura & quibusdam quasi tenebris inuoluta sunt, vt plures variásque & vix extricabiles recipiant expositiones. Clarioribus autem ad eorum quæ obscuriora sunt, cognitionem vtendum esse, eruditi omnes & putant & iubent. Quæ cum ita sint, ad extremum eos, in quorum manus hæc forte peruenient, hortamur atque obsecramus, vt omni reiecta contentione, studio duntaxat inueniendæ veritatis hæc legentes, ad ipsam veritatē accedant, inuentam suscipiant, susceptámque cæteris patefaciant. Valeant autem hi omnes, qui rationis callem minime sequentes, cum contentione ac sæpe etiam iurgijs & contumelijs, quicquid eis in mentem vel potius buccam venerit, nemini parcentes, eructare atque euomere non erubescunt.

# DE EVCHARISTIA ET MISSÆ RITIBVS, EX OPERIBVS D. IOANNIS CHRYSOSTOMI QUÆ EXTANT, È QUIBUS LITURGICA GRÆCORUM COMPROBANTUR, AUCTORE F. CLAUDIO DE SAINCTES LUTETIÆ THEOLOGO.

PLACET ordo quem Hom. 61. ad populum Antiochenum de Eucharistia præscripsit Chrysostomus, vt initio quæramus quid sit hoc mysterium, quare sit datum, & quæ sit rei vtilitas.

## DE VERITATE CORPORIS. Cap. I.



IN SVMMA mihi videor ex varijs locis tria potißima capita collegisse, quibus verißimum Christi corpus in hoc sacramento existere confirmat. Scriptura verba expreßißima, licet sensus corporu nostri caliget: Christi institutum quo spectat hoc sacramentum: Descriptionem corporis, quod intelligit hic confici, vt pote illius quod è Virgine natum est, à Iudæis neci traditum, in cælum euectum, & quod ab Angelis adoratur, ne quis aliud corpus hic comminiscatur. Sed accuratius semetipsum explicabit.

A VERBIS. Hom. 83. in Matthæum: Credamus vbiq; deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui nostro & cogitationi absurdum esse videatur quod dicit, in omnibus, & præcipuè in mysterijs ita faciamus, non illa quæ ante nos iacent solummodo aspicientes, sed verba quoque eius teneamus. Nam verbis eius defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facilis est: illa falsa esse nō possunt, hic sæpius ac sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus & oculis intellectus id perspiciamus.

HOM. 60. ad populum Antiochenum: Non solum præ oculis posita respiciamus, sed ipsius verba contineamus. Ipsius sermo infallibilis est, sensus autem noster seduci facilis: ille nunquam decidit, hic autem vt plurimum errat. Quoniam igitur verbum dicit, Hoc est corpus meum, & pareamus & credamus, & oculis intellectualibus ipsum intueamur.

HOM. 51. in Matthæum: Qui dixit, Hoc est corpus meum, & rem simul cum verbo confecit.

AB INSTITVTO Christi. Hom. 61. ad populum Antiochenum: Vnum corpus sumus, & membra ex carne & oßibus eius: sequamur autem initiati quæ dicuntur. Vt ergo non tantum per charitatem hoc simus, verum & ipsa re in illam misceamur carnem, hoc per escam efficitur quam largitus est: nobis volens ostendere desiderium quod erga nos habet, & cæt. Vide cap. 2. Volui frater esse vester, carnem & sanguinem propter vos assumpsi, vicißim carnem vestram & sanguinem per quæ cognatus vester factus sum, trado. Ex cibis sanguis in nobis nascens non statim hic efficitur, sed aliud quiddam: hic non ita, sed statim animum irrigat & magnam inducit quandam virtutem.

HOM. 45. in Ioann. Vt autem non solum per dilectionem, sed reipsa in vnam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est, & cæt. vide cap. 2.

HOM. 60. ad populum Antiochenum: Non satis fuit homo fieri, colaphis cædi & iugulari, verum & semetipsum nobis commiscet, & non fide tantùm, verū & ipsa re nos suum efficit corpus, & cæt. vide cap. 2. idem omnino Ho. 83. in Matthæum.

HOM. 51. in Matthæum: Non vestu solum, sed corpus Christi nobis propositum est, non vt tangamus solummodo, sed vt comedamus ac saturemur.

A DESCRIPTIONE corporis. Hom. 24. primæ ad Corinth. Hoc corpus in præsepi reueriti sunt magi, & viri impij & barbari: tu non in præsepi, sed in altari: non mulierem quæ in fascijs teneat, sed sacerdotem præsentem & spiritum super proposito sacrificio abunde diffusum vide. Dum in hac vita sumus, facit vt terra nobis cælum sit, hoc mysterium. In cælis regium corpus, quod nunc tibi in terra videndum proponitur. Non Angelos, non Archangelos, non cælos cælorum, sed ipsum horum omnium dominum ostendo. Animaduertis quod omnium maximum est atque præcipuum, in terra non conspicaris solum, sed tangis: neque solum tangis, sed comedis, & eo accepto domum redis.

HOM. de sancto Philogonio: Hæc mensa vicem explet præsepis, in quo natus est Christus. Nam & hic ponitur corpus dominicum, non quidem fascijs inuolutum sicuti tunc, sed vndique

que Spiritu sancto conuestitum, qui mysterijs initiati sunt intelligunt quæ dicuntur. Idem ferè & hom. 7. in Matthæum.

HOM. 24. primæ ad Corinth. Quando mysterium propositum fuerit, dic tecum, Hoc corpus sol crucifixum videns, radios auertit: propter hoc, velum templi scissum est & petræ, ac terra vniuersa tremuit. hoc idem corpus cruentatum, lancea vulneratum, fontes sanguinis vniuerso orbi salutares scaturiuit, & ipsum corpus in supremum thronum extulit, quod etiam nobis exhibuit, & vt teneremus, & vt manducaremus, quod maximū signum dilectionis est.

ALIA de corpore crucifixo, vide suo loco.

LIB. 3. de Sacerdotio: O miraculum, ô dei benignitatem, qui cum patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se tradit volentibus ipsum accipere & complecti: fit autem nullis præstigijs, sed apertis & intuentibus omnium circunstantium oculis.

HOM. 3. ad Ephesios: Ecclesiæ quia illius corpus est & sanguis qui supra cælos residet, qui ab Angelis suppliciter adoratur: illius inquam qui proximè assistit immortali dei potentiæ: huius delibamus sanguinem, & proprium corpus nobis sumendum tradidit.

HOM. 2. ad populum Antiochenum: Helias Meloten discipulo, filius autem dei ascendens, suam nobis carnem reliquit: sed Helias quidem exutus, Christus autem ascendens, & eam nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.

HOM. de diuitijs & paupertate: Helias vestem ouillam dimisit discipulo: filius verò hominis ascendens, suam ipsius carnem nobis reliquit.

HOM. 83. in Matthæum: Veniat in mentem tibi, quo honore honoratus sis, qua mensa fruaris. Ea nanque re nos alimur quam Angeli videntes tremunt, nec absque pauore propter fulgorem qui inde resilit aspicere possunt.

HOM. 61. ad populum Antiochenum: Quotquot huius corporis participes efficimur: quotquot sanguinem degustamus, cogitemus quòd illum sursum sedentem qui ab Angelis adoratur, degustemus.

HOM. 60. ad populum Antiochenum: Quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri, propter emicātem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus vnum Christi corpus & anima.

## QVARE DET NOBIS CORPVS SVVM, ET Missam Christus instituerit. Cap. 2.

CAVSAM propter quam corpus nobis exedendum porrexit, Chrysostomus his ferè locis complectitur: Ad sui memoriam: Ad suæ erga nos charitatis commendationem, Ad acceptæ naturæ probationem: Ad nos sibi colligandos & futurorum spem: Ad alios fructus quos sequenti capite non omittemus.

IN SVI memoriam. Hom. 51. in Matthæum: Iudæis quidem, singulis annis, beneficiorum suorum monumenta per festos dies deus proposuit: tibi verò, quotidie ipse ne obliuiscaris proponitur: hoc certe bonorum omnium caput est, quia proprio filio non pepercit, vt seruaret fugitiuos seruos.

HOM. 83. in Matthæum: Hoc vt vetus pascha instituit memoriā mysteriorum colligendo, & hinc hæreticorum ora frænando. Nam quando dicunt, Vnde patet immolatum Christum fuisse, & alia multa mysteria, hæc afferentes ora eorum consuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est? Vides quantum ei studium fuerit vt semper memoria teneamus ipsum mortuum fuisse? Nam quando Marcio, Valentinus, Manichæus, eorúmque sequaces negaturi erant hanc dispensationem, in memoriam passionis per hoc semper reduxit mysterium, vt nemo non insanus seduci posset.

HOM. 26. in Matthæum: Nam quod pro Iudæorum salute aliquando faciebat, temporibus locísque ac festiuitatibus varijs in memoriam beneficiorum suorum illos reducens, id nunc equidem magno cum cumulo est operatus in nobis, ipso genere sacrificij ad ingem nos pro beneficijs suis incitans gratiarum actionem.

HOM. 60. ad populum Antiochenum: Iudæis annuatim, vt monimenta beneficiorum, deus festiuitates descripsit: tibi verò per singulos dies per hæc mysteria si dixero quod cælum intendit, terram explicuit & mare, Prophetas & angelos misit, nihil æquale dicam: hoc est omnium bonorum caput, quoniam filio non pepercit, vt seruos alienatos seruaret.

AD SVÆ CHARITATIS commendationem. Hom. 60. ad populum Antiochenum: Quis loquetur potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis pastor oues pascit proprio sanguine? & quid dico pastor? matres multæ sunt quæ post partus dolores, filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio pascit cruore, & per omnia nos sibi coagmentat. Vnicuique fidelium per hoc mysterium se commiscet, & quos genuit per seipsum enutrit, nec alteri tradit, &c. Idem Hom. 83. in Matthæum, & Hom. 61. ad populum Antiochenum.

HOM. 24. primæ ad Corinthios: Ipsum corpus in supremum thronum extulit, quod etiam nobis exhibuit, & vt teneremus & vt manducaremus: quod maximum dilectionis signum

Iob. 31. est. Quos enim amamus, aliquando morsu petimus. Quare Iob vt seruorum in se amorem ostenderet, dicebat, illos sæpe nimio in se amore dixisse: Quis det de carnibus eius vt saturemur? Quod Christus fecit, vt nos maiori charitate astringeret, & vt suum in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri permittens desiderantibus, sed & tangi & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri. Parentes sæpe suos alijs alendos dederunt: ego autem mea carne meos alo, me his exhibeo, &c. Idem hom. 61. ad populum Antiochenum, hoc idem simile hom. ad Neophytos.

AD NOSTRAM charitatem excitandam. Hom. 45. in Ioannem: Vt non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur quem nobis largitus est. Cùm enim suum erga nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur. hoc enim amantium maxime est. Vnde, Quis det de carnibus eius vt saturemur? Quod Christus fecit, vt maiori nos charitate astringeret, & vt suum in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri permittens desiderantibus, sed & manducari, & dentes carni suæ infigi. Parentes liberos suos &c. Vester frater esse volui, communicaui carnem propter vos & sanguinem, & per quæ vobis coniunctus sum, ea vobis rursus exhibeo.

HOM. 55. ad populum Antiochenum: Et hîc & in cælo manduca me, dixi, bibe me, & te sursum habeo, & deorsum tibi cõnector. Non satis est tibi, quòd tui primitias sursum habeo: hoc non tuum satiat desiderium: & deorsum rursus descendi, nec simpliciter tibi commisceor: manducor, paulatim attenuor, vt magna fiat temperies, commixtio & vnio. Nam quæ vniuntur, in proprijs permanent terminis: ego verò tecum contexor. Nolo deinceps quicquam esse interualli.

HOM. 24. primæ ad Corinthios: Non simpliciter corpus suum tradidit, sed cum prior carnis natura è terra formata à peccato mortalis effecta & à vita deserta esset, aliam vt ita dicam, massam & fermentum induxit, hoc est carnem suam, natura quidem eandem, sed à peccato liberam & vitæ plenam, quam omnibus tribuit vt participes fierent, vt ea nutriti, & priore abiecta quæ mortua erat, per hanc massam in vitam immortalem commisceremur.

## DE VTILITATE HVIVS SACRAMENTI. Cap. 3.

NE PECCEMVS, vt vulgo impiè fit, quasi ad solam Christi recordationem, sancitum sit hoc mysterium, præter allatos fructus, alios prope innumerabiles adiungit, Vt sit oblatio gratissima patri pro peccatis nostris: Vt sit contra eadem ac dæmones antidotum saluberrimum, immortalitatis nostræ pignus certissimum: Vt à vitijs omnibus nos deterreat, & ad omnia optima inuitet.

HOM. 24. primæ ad Corinthios: Per hanc sacratissimam mensam & saluat & docet. Hoc enim caput bonorum omnium est.

HOM. 7. in Matthæum: Sanctis Christus sancta distribuit, non aquam de hoc fonte largitur, sed sanguinem viuum, qui quanquam ad mortis dominicæ testimonium, nobis tamen causa fuit vitæ.

HOM. de non contemnenda Ecclesia & mysterijs: Tum Angeli procumbunt domino, & Archangeli nobiscum canunt. Habent enim tempus adiuuans, & oblationem sibi auxiliantem. Et quemadmodum homines ramos olearum præcisos regibus extendunt, & stirpem illum misericordiæ & humanitatis admonentes: ita Angeli sunt pro ramis olearum, ipsum corpus domini protendentes, dominum pro natura humana precantur. Pro his autem rogamus quos tu prior ita dilexisti, vt animam tuam dares: pro his preces supplices effundimus, pro quibus ipse sanguinem profudisti: pro his precamur, pro quibus corpus hoc hostiam obtulisti.

Alia qui-

Alia quibus agnoscit oblationem esse pro peccatis, vide cap. De his pro quibus oretur.

HOM. 82. in Matthaeum: Adimus vt nos à tormentis Gehennae vendicemus, vt peccatorũ indulgentiam impetremus, & intolerabiles poenae dissoluantur, vt caelos & quae ibi sunt bona consequamur.

HOM. 21. ad populum Antiochenum: Poculum bibamus, quod vermes ac serpentes exitio tradere possit. Dicat aliquis: Quodnam illud poculum, quod huiusmodi virtutem habeat? pretiosus Christi sanguis, si cum fiducia sumatur: hic enim omnem poterit extinguere aegritudinem. Idem Hom. 4. in Matthaeum.

HOM. 61. ad populum Antiochenum: Hic mysticus sanguis daemones expellit & procul esse facit: ad nos autem Angelos vocat atque Angelorum dominum. Vbi namque sanguinem dominicum viderint, daemones quidem fugiunt, concurrunt autem Angeli: hic sanguis effusus omnem terrarum orbem alluit, &c. si figura ipsius tantam habuit virtutem, & in Hebraeorũ templo, & in media Aegypto superliminaribus inunctus, quomodo veritatem ipsam diabolus quaeso non timuerit? haec est salus animarum nostrarum, hoc abluitur anima, hoc adornatur, hoc inflãmatur: hic sanguis effusus est, & caelum fecit accessibile, & sicut auro liquescente, siue quis manum, siue linguam immittat, eam statim auream reddit: ita & haec proposita preciosam reddunt animam.

HOM. 24. primae ad Corinth. Quando corpus Christi tibi propositum fuerit, dic tecum, Propter hoc corpus non amplius terra & cinis ego sum. Propter hoc caelum & quae in eo sunt bona me accepturum spero, immortalem vitam, angelorum sedem, Christi consuetudinem: ipsa mensa animae nostrae vis est, fiduciae vinculum, fundamẽtum, spes, salus, vita nostra: si hinc hoc sacrificio mundi migrauerimus, maxima cum fiducia sanctum ascendemus vestibulum, tanquam aureis quibusdam vestibus vndique contecti: & quid futura commemoro? Dum in hac vita sumus, vt nobis terra caelum sit, facit hoc mysterium.

HOM. 4. In Ioann. Et vos mea carne alo, me vobis exhibeo, omnibus de futuris spẽ optimam praebeo. Qui in hac vita ita se nobis exhibet, multo magis in futura. Hom. 61. ad populũ Antiochenũ. Idem lib. 6. de Sacerdotio: Alius visione dignus habitus, mihi narrauit se vidisse atque audiuisse, quòd qui de hac vita emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura ac munda conscientia fuerint participes, cùm spiritum sunt efflaturi, ab angelis eorum corpora more satellitum stipantibus, propter assumptum huiusmodi sacrum, rectà hinc in caelum abducantur.

A QVIBVS vitijs nos abstrahat. Hom. 61. ad populum Antioch. Hei mihi, quot ad salutem nobis viae. Nos corpus suum effecit, nobis suum communicauit: & horum nos nihil à malis auertit. O tenebras & profunditatem magnam. O indolentiam. Quae sursum sunt, inquit, sapite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Et post haec omnia quidam pecuniarũ curam gerunt, quidam gloriam ambiunt, ab alijs alij capiuntur cupiditatibus, &c. Attendamus nobismetipsis dilectissimi, & cũ aliquid turpe dicere voluerimus, aut nos ab ira abripi viderimus, vel alio quopiam huiusmodi vitio, cogitemus quibus facti simus digni, & sit irrationabiliũ motuum correctio talis cogitatio.

HOM. 60. ad populum Antioch. Lupi simus agnum comedentes. Tanquam oues pasti, more leonum diripimus. Hoc mysterium non à rapina tantum, verũ & ab omni vel tenui inimicitia atque auaritia purum esse iubet. Est enim pacis mysterium: hoc pecunias acquirere non permittit. Si enim ipse sibi propter nos non pepercit, quid meremur pecunijs parcentes & animam negligendo pro qua ipse sibi non pepercit? Nullus itaque Iudas accedat. Nullus Simon hanc mensam petat.

HOM. 27. ad Corinth. Ad cauendam ebrietatem & omnia vitia, dextram tuam, linguam, ac labia considera, quo pacto vestibulum Christo facta sunt. Considera cùm mensam tibi sensibilem appones coenam dominicam. Animum dirige ad discipulorum vigilias in illa sancta nocte. Audisti sacros hymnos, vidisti nuptias spirituales, regia in mensa discubuisti, impletus es spiritu sancto, simul cum Cherubim in choreis fuisti, socius factus es supernis potestatibus. Noli tantam laetitiam abiicere: noli thesaurum effundere: noli te ebrietati dedere, &c.

HOM. 11. ad populum Antioch. Quomodo sanctum suscipiemus sacrificium? Quomodo mirabiliter communicabimus mysterijs lingua illa qua Dei legem cõculcauerimus? lingua illa qua animam contaminauerimus? Quae communicatio luci ad tenebras? &c.

HOM. 21. ad populum Antioch. Cogita quid manu capias, nec vnquam vllum verberare audeas. Cogita quid manu capias, & ipsam ab omni auaritia & rapina liberam conserua.

Reputa quod non tantum manu capias, verum & ori admoueas, & linguam custodi à contumelijs mundam ac turpibus verbis, blasphemia, periurio, atque alijs omnibus huiusmodi. Rursum animaduertens quod post manum & linguam cor suscipit horrendum illud mysterium, ne vnquam in proximum sumas dolum, sed mentem tuam ab omni malitia mundam conserua, sic oculos, sic aures munire poteris. Quomodo enim non est absurdum post mysticam illam vocem è cælis delatam, à Cherubim dico, meretricijs cãtibus & fractis melodijs aures inquinare? Quomodo non extrema pœna dignum est, oculis quibus arcana vides & horrenda mysteria, his meretrices spectare, & mente adulterium exercere?

HOM. de Iuda proditore: Animam tuam pro te dominus dedit, & tu inimicus conseruo perduras, & cum hoc animo ad mensam pacis accedis?

HOM. de non contemnenda Ecclesia & Ecclesiæ mysterijs: Mensa spiritali frueris, mensa regia: & rursus luto te inquinas? Corpus vnguento vngis, & rursus fœtore reples?

## QVA VIRTVTE FIAT CORPVS CHRISTI, & quibus verbis. Cap. IIII.

AB INCREATA virtute Christi & per eiusdem verba confici corpus quotidie vt confectum est in cœna, contendit, ne aut mysterium parui ducamus, aut Dei ministrum non magni faciamus.

HOM. 2. secundæ ad Timotheum: Sacra ipsa oblatio, siue illã Petrus, siue Paulus, siue cuiuslibet meriti sacerdos, offerat, eadem est quam dedit Christus ipse discipulis, & quam sacerdotes modo conficiunt. Nihil habet ista quàm illa minus. Cur te quia non hanc sanctificant homines, sed ipse Christus, qui illam antè sacrauerat? Quemadmodum enim verba quæ locutus est, eadem sunt quæ nunc sacerdotes pronunciant, ita & oblatio eadem est.

LIB. 3. de sacerdotio: Sacerdotium quidem in terra peragitur, sed in rerum cælestium classem est referendum: idque per quam merito. Nam non mortalis quisquam, non angelus, non archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse paracletus ordinem huiusmodi disposuit, qui mortalibus etiam hominibus, etiam auctor fuit, vt angelorum ministerium animo conciperent.

HOM. 83. In Matthæum: Non sunt humanæ virtutis hæc opera quæ tunc in illa cœna fecit ipse, nunc operatur ac perficit. Ministrorum nos ordinem tenemus: qui verò ipsa sanctificat & transmutat, ipse est. Bono animo accede. Cum discipulis meis, inquit, facio pascha. hæc enim non alia mensa est, hæc nulla re minor quàm illa est. Non enim illam Christus, hanc quispiam homo facit: sed vtranque ipse. Hom. 60. ad populum Antiochenum: idem omnino. vbi addit, Tu laice cùm sacerdotem videris offerentem, non vt sacerdotem esse putes hoc facientem, sed inuisibiliter Christi manũ extensam. Qui nanque plus dedit, hoc est seipsum apposuit, multo magis & corpus tradere non dedignabitur. Hom. 81. In Matthæum propè idem. Hom. de Iuda proditore: Non homo qui corpus Christi facit & sanguinem, sed ille qui crucifixus est pro nobis Christus. sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute proposita consecrãtur & gratia. Hoc enim, ait, corpus meum. hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox quæ dixit, Crescite & multiplicamini ac replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore assequitur effectũ, ad generationem operante natura: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ vsque ad hodiernum diem, & vsque ad Christi aduentum præstat sacrificio firmitatem.

*De transsubstantiatione.*

## PROPTER HOC MINISTERIVM QVAM SANCTI esse debeant sacerdotes, & quàm sunt honorandi. Cap. V.

LIB. 3. de sacerdotio: Necesse est sacerdotem sic esse purum, vt si in ipsis cælis collocatus inter cælestes illas virtutes medius staret. Terribilia nanque fuerunt atque horrifica, quæ gratiæ tempus præcesserunt, vt titinnabula, mala punica, lapides pectori sacerdotis impositi, mitra, &c. Sed si quis ea quæ gratiæ tempus aduexit, examinet, terribilia illa atque horrifica quæ dixi, iudicabit admodum esse leuia, ac quod de lege à Paulo dictum est, hîc demum verum esse cõperiet: quandoquidem ne glorificatum quidem fuit quod glorificatum est in hac parte propter eminentem gloriam, &c.

*2. Corinthior. 3.*

HOM. 86. In Matthæũ: Nos sacerdotes qui ad penetralia calorũ vocamur, quique ad verè sancta

sancta sanctorum ingredimur, mercatorum rursus & cauponum curas suscipimus.

LIB. 6. de Sacerdotio: Quantam integritatem à sacerdote exigemus? quantam religionem? Considera enim quales manus esse oporteat administrantes: qualem linguam quæ verba illa effundat: qua denique re non puriorem ac sanctiorem animam esse conueniat, quæ tantum illū tamque dignum spiritum receperit, &c.

## VT PER SOLOS SACERDOTES CONFICIATVR corpus Christi, atque ideo quàm sint honorandi, licet indigni sint & mali. Cap. VI.

LIB. 3. de Sacerdotio: Mulieres ab hoc sacerdotij ministerio remotas esse diuina lex voluit, sed vi facta irrumpunt: & quoniam per se ipsæ nihil possunt, per alios omnia factitant. Tantam sibi vendicant potestatem, vt quoscunque illæ velint episcopos allegent & submoueant. Fitq; tandem pereas, vt quod est in veteri prouerbio, omnia sursum ac deorsum sese habeāt, ac principes suos subditi ipsi regant, & ea factitāt, quibus ne docere quidem permissum est. sed quid dico docere? certe ne in Ecclesia quidem fari illu beatus Paulus permisit. Iam ecclesiarum præsides obiurgant illósque acerbius incessunt, quàm serui à dominus suis incessantur.

HOM. 31. ad Romanos: Paulus mulieri præsidentiam quæ sit in medio Ecclesiæ prohibet, sedémque in pulpito, nec omnino apud suos doctrinæ verbum.

LIB. 3. de Sacerdotio: Qui manducat carnem domini & sanguinem indignè, æterna vita priuatur. Omnia autem hæc non aliter quàm per sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus inquam sacerdotū. Quo nomine sacerdotes merito, non modo plus vereri debemus, quàm principes vel reges, verumetiam maiori honore quàm parentes honestare, &c. Parentes in præsentem, sacerdotes in æternam vitam genuerunt.

HOM. 2. 2. ad Timotheum: Si non per sacerdotem malum operatur Deus, neque tu lauacbrum habes; neque es mysteriorum particeps, neque benedictionibus frueris: non ergo Christianus es. Sacra illa oblatio, siue illam Petrus, siue Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadem est quam dedit discipulis, & quam sacerdotes modo conficiunt: nihil habet ista quàm illa minus, &c.

LIB. 6. de Sacerdotio: Cum sacerdos spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiúmque honore ac reuerētia plenissimum perfecerit, communi omnium domino manibus assidue pertractato, quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus?

HOM. 3. ad Colossens. Oportet indignos sacerdotes venerari, ac credere Deum per ipsos operari, quandiu sunt. Non nos contemnis, sed ipsum sacerdotium. si quando videris sacerdotio exutum, contemne. neque ego tunc præcipere potero. Quousque verò in sede constituti sumus, quousque præsidentiam habemus, habemus & dignitatem & potestatem, licet indigni simus.

HOM. 8. primæ ad Corinth. Idem baptisma non esset, aut corpus Christi, aut oblatio quæ per sacerdotes impiè viuentes administrantur, si vbique gratia meritum exquireret, quia id omne diuinæ virtutis est opus.

HOM. In dictum Pauli: Salutate Priscam & Aquilam, ac de honorandis sacerdotibus: Si quoties indignè aliqua à sacerdotibus fiunt, singuli ad corrigendum prosiliant, ad hoc vt sacerdotij dignitas dehonestetur nunquam deerit corrigendi occasio, & confusis inter se omnibus, inter principem & subditum non discernemus. Nemo me dicere opinetur, quasi à sacerdotibus subornatus. Hypocritarum opus est, publicè quidem & omnibus videntibus osculari manus sacerdotum, genua tangere, supplicare vt pro se orent, ac baptizandos ad illorum ianuas deducere: domi verò & in conuentibus, tantorum bonorum auctores & ministros multis abluere probris, vel opprobratores illorum ferre. Vide hîc multa, atque etiam alijs locis apud Chrysostomum.

## SACRIFICIVM ESSE OSTENDIT. Cap. VII.

EX GENERE dicendi imprimis animaduertes. Appellat sacrificium, non nisi eximij honoris causa, victimam, hostiam, oblationem, Christum hîc offerri & immolari atque alia, quæ legendo à nobis hîc congesta obseruabis. Probat sacrificium ex verbis Christi, Hoc facite in meam commemorationem, tum inde, Hic sanguis est noui testamenti.

HOM. 82. in Matthæum: Sicut in commemorationem miraculorum quæ in Ægypto pa-

tres vestri viderant, faciebatis, sic & hoc facite in mei commemorationem. Sanguis ille ad primogenitorum salutem fuit effusus: hic in remißionem totius orbis peccatorum: & quemadmodum Moyses dicebat, Hoc æternum erit vobis memoriale, sic & ipse, In meam, ait, commemorationem donec veniam.

HOM. 24. pr. ad Corinth. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? horum huius sententia est: Quod est in calice, id est quod à latere fluxit, & illius sumus participes, &c. In veteri Testamento, cùm imperfectiores essent, quem idolis offerebant sanguinem, eum ipse accipere voluit, vt ab idolis eos auerteret. Quod etiam inenarrabilis amoris signum erat: hic autem multo admirabilius & magnificentius sacrificium præparauit, cùm & sacrificium ipsum commutaret, & pro brutorum cæde seipsum offerendum præciperet.

HOM. 17. ad Hebræos: Lex iubebat semper offerre propter infirmitatem, & vt memoria peccatorum fieret. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius, &c. Hoc autem quod facimus, fit eius recordatio quod factum est, Hoc facite in meam commemorationem.

HOM. 27. 1. ad Corinth. In veteri Testamento post sacrificium, sanguinem in calice accipiebant, & ita sacrificabant. Pro sanguine brutorum, sanguinem suum in calicem induxit, & meminit noui testamenti, vt opponeret sanguini veteris testamenti qui offerebatur in sacrificio. Alibi & ita disputat.

## NON ALIVD SACRIFICIVM QVAM QVOD Christus obtulit, sed alio modo. Cap. 8.

HOM. 17. ad Hebræos. Vna est hæc hostia, non multæ. Quomodo vna, & non multæ? Quia semel oblata est, oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplar est illius, id ipsum semper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, crastina alium, sed eundem ipsum. Proinde vnum est sacrificium hac ratione. Alioqui quoniã in multis locis offertur, multi Christi sunt? Nequaquam, sed vnus est Christus, & hic plenus existẽs, & illic plenus, vnum corpus. Pontifex noster ille est, qui hostiam mundantẽ nos obtulit: ipsam offerimus & nunc, quæ tunc: oblata quidem consumi non potest. Non aliud sacrificium sicut pontifex, sed id ipsum semper facimus, magis autem recordationem sacrificij operamur.

Huc spectant quæ dicta sunt de vi conficiendi corporis Christi.

## QVIBVS PARTIBVS CONSTET SAcrificium. Cap. 9.

TOTO SACERDOTII perficitur officio, quod in his actionibus in summa consistit: Vt sacra doceat, Preces faciat pro populo, Offerat, Populo quæ dei sunt impartiat, sicut hæc omnia summus noster sacerdos Christus, cùm nostrũ institueret sacrificium, præmõstrauit.

Lib. 3. de Sacerdotio: Conspicis dominum immolatum, sacerdotem sacerdotio incumbẽtem, Turbam circunfusam precioso sanguine intingi ac rubefieri.

HOM. de spectaculis Dauid & Saul: Oculis lectum qui est in orchestra spectas, vbi detestandæ adulterij fabulæ peraguntur, quibus sacram mensam intueris, vbi tremenda peraguntur mysteria: ijsdem auribus audis, & scortum obscœnè loquens, & prophetam apostolúmque ad arcana scripturæ introducentem: Eodem corde & letalia sumis venena, & hanc hostiam sanctam ac tremendam.

HOM. 40. ad populum Antiochenum: Video alios loquentes rectos, dum oratio celebratur, nec solum, sed & dum sacerdos benedicit. O rem horrendam, cum Angelis constitisti, &c. Idem post epistolam primam ad Corinthios, hom. Oportet hæreses esse.

## DE HIS QVI SACRIFICIO ET MISSÆ interesse non laborant. Cap. 10.

HOM. 7. in Matthæum: Imitemur saltem deuotionem Magorum, veróque amore philosophiæ barbaram consuetudinem subiugemus: longo itinere curramus, vt Christum videre mereamur, Iudaicum populum repugnantem, vrbem vacantem, insidiantem tyrannum, & fallacem

fallacem seculi vmbram relinquens, in Bethleem accurre, ac domum spiritalis panis ingredere. Caue Herodis efficiaris similis, & dicas, Vt & ego veniens adorem eum, cumque veneris, interimere coneris. Huius enim similes sunt, qui indignè abutuntur communione mysterij. Quid ego de spatio itineris longioris loquor, cum plurimæ fœminarum tanta iam animi mollitudine resoluantur, vt nisi aduectæ mulis quamlibet exiguo spatio à domibus suis venire nequeant ad videndum dominum in præsepio spiritali? sed ex his certe qui ambulandi laborem ferunt, alij negotiorum tumultus, alij theatrales turbas sanctis cœtibus anteponunt. Et barbari quidem illi magi, priusquam Christum viderent, tam longam exuperarunt viam: tu verò nec videndo, illos quidem probaris imitari: nam & cum illum videris, ita eum relinquis, vt post illum curras ad theatra, ac mimum potius & videre atque audire desideres. Atque vt eadem rursus attingam, Christum quidem in spiritali situm præsepio derelinquis: properas verò iacentem in scena spectare meretricem. Hoc autem quibus putamus dignum suppliciis? Si quis polliceretur te ad regem introducere, & ostenderet tibi illum vndique coruscantem, theatrale spectaculum aulicæ dignitati præponeres, licet inde nihil commodi. At vero ex hac mensa spiritualium fons emanat bonorum, & hanc statim relinquens curris ad theatrum, vt natantes fœminas & sexum illum publicis oculis intuearis expositum: vt istud inquam aspicias, sedentem iuxta donorum cælestium fontem Christum relinquis. Nam & modo super fontem sedet, non vnam Samaritanam, sed vniuersam alloquens Ecclesiam. Vereor autem ne in me quoque Samaritanæ tantum loquatur. Nam & nunc nullus aßistit, nisi qui solis adsunt corporibus: alij vero ne ipsis quidem adsunt corporibus. Tu tamen hinc nequaquam recedas, sed potius à nobis pete, non vtique aquæ poculum, sed sanctificationis hausurus. sanctus enim Christus sancta distribuit. Non aquam de hoc fonte largitur, sed sanguinem viuum, qui quanquam ad mortis dominicæ testimonium, nobis tamen causa fit vitæ.

HOM. de sancto Philogonio: Cum alacritate velitis adesse, sed prius quisque suam domum repurget, vt videamus dominum nostrum in cunis iacentem ac fascijs inuolutum, horrendum ac stupendum spectaculum. Quid enim excusabimus, aut quam veniam obtinebimus, si cùm ipse causa nostra descenderit è cælis, nos ad illum vel ex ædibus ire grauemur, cùm alienigenæ barbarique ex Perside occurrant vt illum viderent in præsepi iacentem. Tu vero ne breue quidem spatium emetiri sustines, vt hoc felici spectaculo perfruaris. Nam si cum fide accesserimus, procul dubio videbimus illum in præsepi iacentem: siquidem hæc mensa vicem explet præsepis: nam & hic ponitur corpus dominicum, non quidem fascijs inuolutum, sicuti tunc, sed vndique spiritu sancto conuestitum.

HOM. de non contemnenda Ecclesia & Ecclesiæ mysterijs: Quis famulus dic mihi, rei suæ domesticæ curam egit vnquam priusquam herile ministerium expleuerit? Vtinam fieri posset, vt illorum animum qui non accedunt, vobis ostenderem, videretis sordescentem, squallentem, deiectum, &c. Non diuersa, hom. de Eucharistia.

HOM. 3. de Dei natura: Cum ego concionor vester conseruus, studium adhibetis & ingenium, alter alterum impellit vt propius adsit: cum ipse Christus communis magister & dominus semel in sacris mysterijs ostensurus est, vacua desertáque Ecclesia redditur. Proh fidem hominum Christianorum, quo pacto isthæc veniam consequentur? &c. Orare vel domi possumus, dicunt: sed homiliam doctrinámque audire, non nisi in Ecclesia possumus. Te homo decipis, & magno in errore versaris. Nam si & domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non potest, vt domi tam bene ores, quàm in Ecclesia, vbi tot patres, vbi clamor felici societate exitus ad deum immortalem refertur: non pariter exoras, cum solus ad dominum obsecras, atque tuis cum fratribus. Est enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris & charitatis, sacerdotum clamores: præsunt enim ob eã rem sacerdotes, vt populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ simul in cælum euehantur. Adde quod nil fructus capi ex homilia potest, nisi oratio adiungatur. Porro sermoni oratio debet anteire. Sic Apostoli dicunt: Nos in oratione, ac sermonis doctrina perseuerabimus. Sic Paulus facit, cùm in exordijs suarum epistolarum oret: vt perinde quasi lumen lucernæ lux ipsius orationis regat sermonem, ac dirigat. Vide quæ relicta sunt.

## QVIS CVLTVS ECCLESIÆ, ALTARIS, vasorum ac ministrorum. Cap. II.

ADEO ARDEBAT populus in his singulis ornandis, vt pauperum &

*iustitiæ obliuisceretur: quod acriter redarguit, ita tamen, vt laudet, nec improbet aureos calices, altaria argentea, pallas altaris, atque corporis dominici velamina serica & aurea: Ecclesiarum nō vulgares structuras. Cultum diaconorum exprimit, ex quo sacerdotum ornatiorem facile datur colligere.*

HOM. 51. *in* Matthæum: Ne *putemus satis nobis esse ad salutem, si cum viduas & pupillos spoliaueris, aureum calicem & gemmis ornatum huic mēsæ offeras. Vis sacrificium hoc honorare? Animam tuam propter quam Christus mortuus est, auream facito, & offeras.* Non *igitur laboremus solum ad aurea vasa offerenda, verùm multo magis vt iusto labore acquisita offeramus. Hæc enim aurea sunt & preciosa, quæ auaritia non maculantur. non enim argentaria, aut auri officina, sed Angelorum celebritas est Ecclesia. Animorum ergo munditia opus est, propter quos deus etiam vasa hæc recipit. Et certe non ex argento mensa illa erat, nec ex auro calix quo Christus discipulis sanguinem suum præbuit, preciosa tamen omnia & veneratione plena, quia spiritu abundabant. Vis corpus Christi honorare? ne despicias nudum: neq; hîc quidem in Ecclesia sericis pannis Christum induas, foris frigore ac nuditate affici permittas.* Non *quia prohibere velim talium vasorum oblationem, sed quia dignum putem, misericordiæ & benignitati ante omnia incumbere.* Nam *deus & vasa suscipit, sed illa multo magis sunt preciosa. Et vasa quidem danti solum profuerunt, benignitas verò etiam accipienti: & ibi quidem ostentatio nonnunquam potest accusari: hîc verò totum animo misericordi tribuitur. Quænam vtilitas si cum mensa hæc multis calicibus aureis ornatur, ipsemet inedia pereat? Prius igitur ipsum esurientem satura, deinde etiam ex quadam abundantia mensam eius ornabis. Calicem aureum facis, & calicem aquæ frigidæ non porrigis. Velamina mensæ dominicæ auro nitent, & ipsi velamina necessaria negas. Vermiculato emblemate pauimenta ornas, magnificos muros construis, columnarúmque capita erigis, lychnos ab aureis laquearibus dependere facis, ipsum ne visitare quidem curas in carcere.* Nec *prohibeo magnifica templa condere, sed prima illa facere moneo. Eadem omnino hom. 60. ad populum* Antiochenum: *hom. 18. in acta Apostolorum disputat.*

HOM. 61. *ad populum* Antiochenum: Cernis *vasa vndique tersa ac refulgentia; his animas esse puriores sanctiores & splendidiores.* Nam *illa propter nos fiunt. Illa eius qui inest partem non capiunt nec sentiunt, nos autem certe.* Hom. 3. *ad Ephesios idem.*

HOM. 53. *ad populum* Antiochenum: Si *quis hanc destrueret domum, & hoc suffoderet altare, nonne quilibet eum lapidibus obrueret tanquam prophanum & impium? Quid igitur si quis voraciorem igne immiserit inuidiam, non lapidum ædificia destruentem, nec aureum suffodientem altare, &c.*

HOM. 20. *secundæ ad* Corinthios: Tu *altare honoras, quod accipit corpus Christi, &c.*

HOM. 36. *primæ ad* Corinthios: *Hîc cælum esse dubitas:* Mensam *istam vide, cuius gratia constituta sit & quapropter. Cogita quis hîc sit progressurus, ante progressū certe horrebis, &c.*

HOM. 24. *ad* Ephesios: *Tu cum Cherubim apud thronū regis constitutus conuiciaris in fratrem.* Non *vides sacra illa vasa: non ad vnum illa semper vsurpantur? Audéne quisquam illis ad aliud quicquam vti? &c.*

## QVAE LEGERENTVR IN MISSA. Cap. 12.

HOM. DE *spectaculis* David *&* Saul: Non *metuis, non expauescis, dum iisdem auribus audis & scortum obscœnè loquens, & prophetam Apostolúmque ad arcana scripturæ introducentē: dum eodē corde letalia sumis venena, & hanc hostiam sanctam ac tremendam.*

HOM. 36. *primæ ad* Corinthios: Tu *qui mysteria ignoras, vbi prophetam ita dicentem audis,* Hæc *dicit dominus:* Migrato *terra, cælum tu quoque ascende: cogita quis sit qui per illum tibi loquatur. Atqui histrione risum excitante, theatrum summo cum silentio est; nec strepitus nec clamor nec tumultus minimus existit: domino verò de tam stupendis rebus nobiscum loquente, canibus impudentiores sumus, scortis reuerentiæ plus quàm deo exhibemus.*

HOM. 8. *ad* Hebræos: Per *vnamquanque septimanam secundò aut tertiò psalmi vobis leguntur. Ascendens enim qui legit, primò dicit librū cuius est, illius, verbi gratia, vel illius prophetæ, & tunc profert quæ is dicit.*

HOM. 3. *secundæ ad* Thessalonicenses: Non *attendunt, non cogitant huc ad deum se ingressos, deum cum ipsis sermocinari. Quando enim qui lecturus est surgens dicit:* Hæc *dicit dominus, & diaconus stans omnes indicto silentio compescit: non vt legenti honorem exhibeat,*

hæc

*ec dicit, sed ei qui per illum omnibus sermocinatur, &c.*

HOM. 6. *de pœnitentia: Cur adeo librum Dauid sic adamarunt Christiani, vt hunc solum voluerint ore versari, lectionem verò Euangeliorum semel aut bis legamus in hebdomada? Paulum verò bis per hebdomadam legamus, ita vt nec feramus eius epistolam in ore, sed lectioni duntaxat accommodantes intellectum, pro tempore ipso huc solum procedimus?*

## PROPTER HOC SACRIFICIVM QVANTA religio exhibenda Ecclesiis. Cap. 13.

HOM. 74. *in Matthæum: Quid facis ô homo, mulierum speciem curiosius in Ecclesia perscrutaris, nec horrescis, tanta templum Dei afficiens contumelia? Prostibulúmne tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior? Nam in foro erubescis, etiam times ne quis te videat mulierem sectari. In Ecclesia verò cum te Deus ipse alloquatur, & ab ipsis deterreat, eo ipso tempore maxime fornicatione & adulterio vteris, quo tibi magna voce intonatur, vt ab his fugias, nec horrescis, nec stupes, verùm ab impudicissimo theatro didicisti, hæc vos illa contagiosissima pestis docuit. Virus illud pestiferum inextricabilis laqueus negligentium, incontinentium voluptuosa perditio, &c.*

*Oportet quidem interiore pariete à mulieribus viros disseparari, verum quoniã non vultis, necessarium patres nostri putauerunt his saltem ligneis parietibus vos disseparare. Audiui autem ego à senioribus, non fuisse hos parietes ab initio. In Christo enim Iesu non est mas neq; fœmina. Apostolorum etiam tempore vnà viri & mulieres orabant, quia mulieres veræ mulieres, & viri similiter viri erant. Nunc verò è contrario mulieres quidem meretricum sibi mores assumpserunt: viri autem equorum furorem imitantur.*

HOM. *de non contemnenda Ecclesia & Ecclesiæ mysterijs: Quid agis ô homo in Ecclesia stans? formas mulierum contemplaris, non perhorrescis templum Dei tanta afficere iniuria? Lupanar tibi videtur Ecclesia, & foro despicabilior. Nam in foro erubescis mulierem videri contemplari: in templo verò Dei, ipso tecum loquente, talia audes eo ipso in tempore quo hæc audis non facienda? Cogita prope quem astiteris, in sacro illo & horrendo sacrificio: cum quibus Deum sis inuocaturus, cum Cherubim, cum Seraphim, &c.*

CHRYSOST. Hom. 30. 2. *ad Corinth. Nonne vides quod vestibula templi huius exosculantur, illi quidem flectentes, alij autem manu continentes, & ori manum admouentes?*

## PAX OMNIBVS. DOMINVS VOBISCVM. Et cum spiritu tuo. Cap. 14.

HOM. 3. *ad Colossens. Vt præsul Ecclesiam ingreditur, dicit, Pax omnibus: quando concionatur, Pax omnibus: quando benedicit, quando salutem optare iubet, Pax omnibus: quando sacrificium absoluitur, Pax omnibus: & interea rursus, Gratia vobis & pax. dicis, Et cum spiritu tuo, & extra Ecclesiã illum traducis. &c. Vbique pacem petimus, nihil illi adæquari potest, in Ecclesiis pacem, in precationibus, in supplicationibus, in præfationibus, & semel atque iterum ac tertiò, ac sæpe eandem qui præest Ecclesiæ impertit dicens, Pax vobis.*

HOM. 36. 1. *ad Corinth. Vbi nos cœpimus loqui, Dominus vobiscũ: Cum spiritu tuo, plebs respondet: ita quondam scilicet locutos significare volens, nempe non sapientia propria, sed spiritu Dei instinctos.*

HOM. 18. 2. *ad Corinth. In horrendissimis mysterijs bene precatur sacerdos, & bene precatur populus sacerdoti: nam Cum spiritu tuo, nihil aliud est.*

## QVID, PRO QVIBVS, ET QVOMODO oraretur ante sacrificium. Cap. 15.

HOM. 72. *in Matthæum: Prima quæ in Eucharistia dicitur oratio, quæ pro dæmoniacis deprecamur, misericordiæ suæ plena. Secunda, quæ pro his oramus qui pœnitentiam agunt, misericordiam humiliter quæritat. Tertia, quam pro nobis ipsis fundimus, vel infantes adducit, Deum lacbrymis inflectentes: verum quoniam ipsi peccata nostra agnouimus, pro alijs qui peccarunt, quique peccare possunt, ipsi clamamus: pro nobis autem ipsis infantes, quorum imitatores cælorum regnum expectant. Hac enim oratione significatur, quod qui simplicitatem par-*

*nulorum sequuntur, hi maximè Deum pro reis deprecari possunt: ipsum autem Eucharistiæ mysterium, quanta misericordia plenum sit, initiati solummodo nouerunt.*

HOM. 79. *ad populum Antiochenum: Vobis autem & pro terrarum orbe, & pro Ecclesia quæ vsque ad terræ terminos extenditur, & pro gubernantibus ipsam & præsidentibus, iubetur orationes emittere, &c.*

CHRYSO. *lib. 6. de Sacerdotio: Sacerdos pro vniuerso terrarum orbe legatus intercedit deprecatórque est apud Deum, vt hominum omnium non viuentium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat.*

HOM. 18. 2. *ad Corinth. Omnibus & sacerdotibus & subditis vnum corpus & vnum poculum proponitur. Quin & in precibus viderit quis populum multum simul offerre, cùm pro energumenis, tum pro pœnitentibus. Communes enim preces & ab illis, & à sacerdote fiunt, oratio misericordiæ plena. Iterum vbi exclusèrimus à sacerdotibus, ab alijs eos qui non possunt esse participes sanctæ mensæ, alia facienda est oratio, omnes similiter super terram iacemus: omnes similiter surgimus.*

HOM. *de Adam & Eua: Sanctæ plebis sacerdotes, cum per mandata sibimet data legatione funguntur apud diuinam clementiam, humani generis causam, totámque secum Ecclesiam aggregantes, atque congemiscentes, postulant & precantur vt infidelibus donetur fides, vt ab idololatria & impijs erroribus liberentur: vt Iudæis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat: vt hæretici fidei catholicæ perceptione resipiscant: vt schismatici spiritum rediuiuæ charitatis accipiant, vt lapsis pœnitentiæ remedia conferantur. Catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis cœlestis misericordiæ aula reseratur. hæc non inaniter à domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere dignatur plurimos attrahere: quod adeo diuini operis esse sentitur, vt hæc efficienti deo gratiarum semper actio laudísque confessio pro talium correctione referatur.*

HOM. 77. *in Ioann. Communes pro non initiatis preces effundimus & pro infirmis & terræ & maris & vniuersi orbis fructibus sacrificamus: vides dilectionis vim in orationibus, in mysteriis, in admonitionibus.*

HOM. 2. *sec. ad Corinthios: Diaconus non dicit parietibus, Oremus pro catechumenis: sed quidam adeo sunt incogitantes, stulti ac dissoluti, vt non solum à tempore quo hæc aguntur cum catechumenis, verum etiam in his quæ aguntur cum fidelibus stent & fabulentur. Nam pro fidelibus, pro episcopis, pro presbyteris, pro regibus, pro magistratibus, pro terra & mari, pro aëre, pro toto orbe terrarum, iubemus adire benignum deum. Quapropter exhortor, vt his omnibus perpensis, noueritis tempus deprecationis, ac tum ita sublimes efficiamini, vt relicta terra cœlorum conuexa attingatis, vt deum nobis propitium reddere possimus. Ibi oratio est prolixa pro catechumenis.*

## QVI ARCERENTVR E SACRIFICIO. *Cap. 16.*

HOM. 24. *in Matthæum: Eos qui nondum initiati sunt, adesse prohibemus: non quia infirmitatem aliquam mysteriorum esse deprehendamus, sed quia ad participationem eorum, illi adhuc quos arcemus, infirmi sunt.*

HOM. 79. *ad populum Antiochenum: Clamabat præco, Quotquot estis in pœnitentia, omnes orate, &c.*

HOM. 61. *ad populum Antiochenum: Qui sunt in peccatis eijciuntur. Sicut enim ad mensam veniente domino, seruos qui dominum offenderunt, adesse non oportet, sed procul arcentur: ita scilicet & hîc dum profertur sacrificiũ, dum Christus immolatur, ouis dominica, &c.*

HOM. 3. *ad Ephesios: Audis præconem, Quicunque in pœnitentia supplicasis, abite. ob hoc qui flagitijs noscuntur esse contaminati, prius eliminantur templi foribus, quàm communio sumenda dignis proponatur. Quemadmodum ad mensam domini alicunde redeuntis non eos famulos assistere oportet qui dominum graui aliquo delicto offenderunt, sed exiguntur domo, &c.*

HOM. 83. *in Matthæum: Non ita malum est dæmoniacos intus esse, sicut istos qui peccatorum sordibus polluuntur, &c.*

HOM. 4. *in Matthæum: Nulla signa iam inueni Christianæ disciplinæ, ne in ipsius quidem Ecclesiæ conciliabulis, per quæ inter fidelem infidelémque distinguas, solo celebrandi mysterij tempore dignosci possunt, dum videlicet alios excludi videris, alios verò intus teneri.*

Oporte-

Oportebat autem vniuscuiusque fidem non locus, sed moribus indicari. Fidelis non modo à communibus mysterijs, verum etiam de nouitate vitæ debet agnosci.

HOM. 28. ad populum Antiochenum: Interdicam vobis hæc ascendere sacra vestibula, & immortalium participes fieri mysteriorum, sicut fornicatibus & adulteris, & homicidij reis.

HOM. 3. de Dei natura: Energumenos diaconus tempore mysteriorum adducit, & iubet caput inclinare, cùm eos vnà cum fratribus orare non liceat, adducit eos, vt tu miseratus: & quia tam acerbè vexantur, & quia vocem reddere nequeunt, tua facultate ad eorum vtaris defensionem & auxilium. Hom. 60. ad populum Antiochenum, idem.

HOM. 4. de Dei natura: Docere vos volo, cur homines dæmone agitatos mysteriorum primo tempore capita inclinare iubeat diaconus. Vt itaque tempore instante, quo iudex prodire, & pro tribunali sedere solitus est, custodes carceris, homines quos in vinculis tenet, omnes carcere educunt, & pro cancello septisque fori collocant squallentes, sordentes, coma expletos nimia, pannis miserrime obductos: sic patres statuerunt, vt cùm breui Christum velut pro tribunali sedere, in ipsisque sacramentis apparere futurum esset, homines dæmone agitati illi tanquam vinculis quibusdam detenti adducerentur: non vt rerum quas commisissent, examen subirent: nec vt luerent pœnas & supplicio afficerentur: sed vt populo vniuersaque ciuitate præsente, communes pro his fierent supplicationes, vt omnes iugi concordia dominum communem orarent pro his, &c.

## QVID AGERETVR ABACTIS indignis. Cap. 17.

DIACONVS ianuas claudebat, apparabat altare, apponebat sacra vasa, aperiebat sacrariũ, vela retrahebantur, efferebatur sacrificium, clamabatur, Oremus omnes in cõmune.

HOM. 24. in Matthæum: Mysteria clausis ianuis celebramus, &c.

HOM. 3. ad Ephesios. Num vides vt mensam minister veluti spongia quadam abluat, collustret domum, circumuerrat, lances imponat mensæ? &c.

CVM elata hostia, Christóque immolato, hoc est dominica oue, audieris, Oremus omnes in commune, cum videris bifores valuas adyti subduci repagulis & adaperiri, tunc tecum reputa superne cælum ipsum diffindi, angelos secum delabi in terras.

HOM. 61. ad populum Antioch. Nonne vides ministrum spongia mensam circunlinientem & expurgantem domum, & tabellas ponentem? &c. Ad mensam venicte domino, seruos qui dominum offenderunt, adesse non oportet, sed procul arceantur: ita scilicet & hîc dum profertur sacrificium, & Christus immolatus, & ouis dominica, cum audieris, Oremus omnes in commune, cum vela videris retrahi, tunc supernè cælum aperiri cogita, & angelos descendere.

HOM. 36. 1. ad Corinthios: Cælum esse hîc dubitas? mensam istam vide, cuius gratia constituta sit, & quapropter, cogita quis hîc sit progressurus, ante progressum certè horrebis, &c. Prius quàm vela reducta, & chorum angelorum vides, &c.

## VOX DIACONI, STEMVS HONESTE. Cap. 18.

HOM. de non contemnenda Ecclesia & Ecclesiæ mysterijs: Propter hoc honestè tempore diuini sacrificij stare iubemur, vt cogitationes humi repentes erigamus, vt languore quem ex huius vitæ negotijs contraximus, excusso, rectum coram Deo animum nostrum exuscitare possimus. Neque enim de corporibus, manibus ac genibus dicit. Neque enim cum cursoribus aut pancratiastis loquitur, sed interiorum cogitationum vires tentationibus prostratas exuscitare his verbis iubet. Non solum autem communionis diuinæ tempore horrendum illum clamorem vociferatur, sed & angeli procumbunt ante dominum, &c.

HOM. 4. de Dei natura: Bene constare iubemur, quod nihil aliud est, nisi ita cõstare, vt hominem conuenit, qui coram Deo immortali stat, cum horrore tremoréq;, cum sobrio paratóq;, studiosóque animo. Nam id quoque vocabulum pertinet ad animum, Paulus quoque docet: Sic state in domino charissimi. Hom. 2. 2. ad Corinth. attingit, Stemus honestè. Ad Philipp. 4.

## QVANTA REVERENTIA, SILENTIO ATQVE animo, Missæ interesse oporteat, & quid agitandum. Ritus sacerdotis in conficiendo sacrificio. Cap. 19.

LIB. 3. *de Sacerdotio*: *Dum conspicis dominum immolatum, sacerdotem sacerdotio incumbentem, preces fundentem: tum verò turbam circunfusam precioso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiámne in terra versari, atque inter mortales consistere censes? An non carnis cogitationē abijciens, nudo animo, mente pura, circunspicis quæ in cælo sunt?* &c. *Ponito ante oculos Heliam illum, præterea & infinitam illam turbam circunfusam, & sacrificium lapidibus superpositum. Tum verò reliquos omnes admodum quietos ac taciturnos, solum autem prophetam preces fundentem: deinde flammam de repente è cælo delabentem sacrificiúmque lambentem. Mira sunt profectò ac stupore plena. Ab illis ergo sacris ad nostra transfer, nec ea mira modo esse videbis, sed etiam omnem stuporem excedentia. Adest enim sacerdos, non ignem gestans, sed spiritum sanctum. Is preces diuturnas fundit, nō vt flamma cælitus delapsa sacra apposita absumat, sed vt gratia in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet, & puriores reddat, argento igne excocto & purgato. Hoc ergo mysterium omnium maximè horrendum verendúmque, quis tandem qui insanus minimè sit & potestate non exierit, fastidire ac despicere poterit?*

HOM. 24. *in Acta apostolorum*: *Tu autem, inquit, si adsistis iuuenis vel senex, ac stupenda vides, increpa acriter: si non fert, voca ministrum: abige, quæ tua sunt facito. Si videris vas argenteum foras proiici, vestem temere iacētem, etiam si inimici esset, non præterires. Vasa sunt Christiani, si videris iacere absque ordine, componito. Accede ad me, non detrecto. Dic mihi, fac me certiorem. Omnia videre non possum. Alios video stare & nugari, dum preces fiunt: neque solum dum preces fiunt, sed & dum sacerdos benedicit. Nescis quod cum angelis stas, cū illis cantas, cum illis hymnos dicis, & stas ridens. Non esset mirum, si fulmen emitteretur, non solum in eos, sed etiam in nos. digna enim fulmine sunt hæc. Quando hi qui horrenda hora rident, abstinebunt à risu? Quando abstinebunt à nugis, qui in tempore benedictionis garriunt, nec Deum timent? Rex adest & exercitum considera,* &c.

HOM. 69. *ad populum Antioch.* *Cum totus constiterit populus, extēnsis manibus sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes?*

HOM. 36. *primæ ad Corinth.* *Magnus est tumultus in Ecclesia, magna confusio, nihilque à caupona differunt nostra. Tanta turba, tantus risus, quantus in balneis, quantus in foro, clamantibus, tumultuantibus omnibus, atque hæc quidem in vrbe nostra solum. Nam alibi, ne amicum quidem in quem post longum tempus incidisti, compellare licet, sed foris ista fiunt. & rectè quidem: neque enim tonstrina aut vnguentaria taberna est Ecclesia, aut officina forēsis, sed locus angelorum, locus archangelorum, regia cæli, cælum ipsum. Quemadmodum igitur si cælum quispiam in angustum redactum quis inducat: etiam si patrem, etiam si fratrem videas, tamen præ stupore non alloquare: sic neque hîc aliud quicquam quàm sancta sonare decet. Hîc cælum esse dubitas? mensam istam vide, cuius gratia constituta sit, & quapropter: cogita quis hîc sit progressurus, ante progressum certè horrebis. Nam & thronum modo regis videns animo consurgit quisquis egressum regis expectat: & tu igitur ante illud horrendum tempus animo tremisce, animo commoueare, priusquam vela reducta, & chorum angelorum progressum vides, in ipsum vltro cælum ascende: sed ista profanus ignorat,* &c.

HOM. *in laudem eorum qui comparuerunt in Ecclesia*: *Dum diuinos hymnos resonamus, multo tremore contracti, multáque religione ornati, ita demum eos offeramus. Sunt qui contemnentes Deum, ac spiritus eloquia pro vulgaribus ac profanis ducentes, incompositas voces emittunt, nec melius se gerunt quàm quos habet insania, toto corpore tumultuātes ac circumacti. Miser, oportebat te cum tremore ac reuerentia angelicam glorificationem resonare, ac cum terrore confessionem reddere conditori, ac per hunc delictorum veniam postulare. Tu verò mimorum ac saltatorum voces huc inducis, dum indecenter manus iactas, pedibus subsultas, & toto corpore circum ageris. Non cogitas hîc adesse dominum inuisibiliter, qui motum cuiusque metitur, & conscientiæ rationem habet. Non cogitas quòd angeli huic stupendæ assistunt mensæ, & cum reuerentia hanc circumuallant. Verum tu ista non cogitas, quoniam ea quæ in theatris audiuntur, quæque spectantur, mentem tuam obscurarunt. & ideo quæ hîc geruntur, in Ecclesiæ ritus inducis, ideo clamoribus nihil certi significantibus animū incompositū euulgas.*

HOM. 4. *de Dei natura*: *Cogita apud quem proximè stes, quibuscum inuoces Deum, scilicet cum Cherubim, cum Seraphim, cum omnibus cæli virtutibus: animaduerte quos habeas socios, satis hoc tibi sit ad sobrietatem, cùm recordaris te corpore constantem, in carne coagmentatum, admitti cum virtutibus incorporeis, commendare omnium dominum. Nemo igitur animo*

mo resoluto sacras illas & mysticas laudes ineat socius, nemo rerum ac humanæ vitæ consilia illo tempore volutet, sed omni terrena sorte animo pulsa, in cælum quisque se totum transferat, vtpote qui propinquus solio gloriæ stet, & cum Seraphim volitet, atque ita laudem sanctissimã referat summo, optimo, gloriosissimo Deo. Idcirco bene constare illo tẽpore iubemur, &c.

HOM. 19. in Matthæum: Non consideras, vt coram regibus omnis coerceatur tumultus, & maximum vndique silentium commendetur? at tu ipse regalem ingressus aulam, non eam quæ in terra est, sed illam quæ multo est terribilior, videlicet in cælo plurimum reuerentiæ atque admirationis ostende.

HOM. 2. 2. ad Corinth. Sacerdos stat spiritum inuocans.

HOM. 55. In Matthæum: Omnia quæ ad salutem nostram conducunt, per crucem consummantur. Cùm regeneramur, crux Christi adest, cùm sacratissimo alimur cibo, cùm in ordine consecrandi statuimur, vbique ac semper victoriæ insigne assistit.

HOM. in gentes, quòd Christus Deus: Omnes se cruce signant, inscribendo in nobilissimũ membrum nostrum: in fronte quasi in columna figuratur: sic in sacra mensa, sic in sacerdotum ordinationibus, sic iterũ cum corpore Christi in mysticis cœnis fulget, &c. Vide caput sequens, & caput, Qua virtute conficiatur corpus Christi.

## DE VOCE SACERDOTIS, SVRSVM CORDA: Gratias agamus deo nostro, & de præfatione ac consecratione. Cap. 20.

HOM. de Eucharistia: Quid facis ô homo? Non promisisti sacerdoti qui dixit, Sursum mentem & corda, & dixisti, Habemus ad dominum? Papæ, mysterijs instructa est mensa. Agnus dei pro te immolatur, sacerdos pro te angitur, & ignis spiritualis ex mensa refluit, &c.

HOM. 83. in Matt. Gratias egit, vt nos instrueret, quomodo mysteriũ hoc facere debeamus.

SVMMA præfationis. Hom. 26. in Genesin: Non vt nostra gratiarũ actione opus habẽs, sibi gratias agi vult, sed vt quicquid id lucri est, iterum ad nos redeat, & dignos nos faciamus maioribus subsidijs. Quanuis autem non possimus facere vt dignum est (nam quomodo id fieri posset, cum tam fragiles natura simus? Et quare dico humanam naturam? Ipsæ etiam incorporeæ & inuisibiles virtutes ac principatus ac potestates & Cherubim, vt dignus est, glorificare illum non possunt, etiam si iuxta vires suas gloriã illi offerant) nihilominus iustum fuerit pro viribus gratiarum actionem offerre, & indesinenter glorificare dominum nostrum & per benedictionem crebram & per vitam optimam.

HOM. 22. ad Hebræos: Cum manibus mentem eleuemus. Scitis qui imbuti estis mysterijs quid dicam: forsan agnoscitis quod dicitur, & intelligitis quid significauerim. Eleuemus in altum mentem nostram.

HOM. 4. de Dei natura: Non illa diaconi exhortatio erecti constantisque frustra & sine causa instituta sancitáque sit, sed vt nostras repentes humi cogitationes erigeremus, vt nostrum animum pressum, fatigatum, demissum rerum humanarum cura, reiecta omni huiusmodi solicitudine, rectum, leuatum, recreatum, deo immortali repræsentaremus. Animum igitur iubemur erigere. Quo verbo Paulum eodem modo vtentem licet intueri. Cum enim ad homines iacentes ac pene perditos scriberet, dicebat, Languentes manus & resoluta genua erigite, &c.

HOM. 61. ad populum Antiochenum: Venisti, cecinisti deo laudem, cum omnibus es confessus de dignis esse, cum indignis non secedendo. Hom. 3. ad Ephesios idem.

## PRO QVIBVS GRATIAS AGERET SACERDOS & oraret. Cap. 21.

CHRYSOST. Hom. 24. 1. ad Corint. Calicem benedictionis vocauit: quoniam cum eũ præ manibus habemus, cũ admiratione & horrore inenarrabilis doni laudamus, benedicentes quod sanguinẽ effudit ne in errore permaneremus: neq; tantũ effudit, sed nos omnes eius participes effecit. Addimus cum calice inenarrabilia dei beneficia, & quæcunque consecuti sumus. Gratias agimus, quòd humanũ genus errore liberauit, quod cùm spem nullam haberemus, & impij in hoc mundo essemus, fratres & consortes suos ascripsit: his & cæteris huiusmodi gratiarum actionibus accedimus. Ideo calix benedictionis & Eucharistiæ vocatur.

HOM. 25. in Matthæum: Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, ac perpetua gratiarum actio. Propterea & reuerenda ac salutaria illa mysteria quæ omni con-

gregatione Ecclesiæ celebramus, Eucharistia, id est gratiarum actio nuncupatur. Sunt enim beneficiorum plurimorum recordatio, caput ipsum diuinæ erga nos charitatis ostendunt, nósque faciunt semper deo debitas gratias exoluere. Ideo altari aßistens sacerdos pro vniuerso orbe terrarum, pro absentibus atque præsentibus, pro his qui ante nos fuerunt, & postea futuri sunt, sacrificio illo proposito deo nos gratias iubet offerre.

HOM. 2. 2. ad Corinth. Accedentes enim prius pro terrarum orbe, pro publicis bonis gratias agimus, &c.

LIB. 6. de Sacerdotio. Pro vniuerso terrarum orbe legatus intercedit, deprecatórque est apud deum sacerdos, vt hominum omnium, non viuentium modò, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat.

## DE VI PRECATIONVM IN SACRIFICIO pro quibus fierent, ac de sanctorum inuocatione, ac defunctorum commendatione. Cap. 22.

HOM. 4. de dei natura: Tempore illo mi frater, non solum homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam Angeli domino genu flectunt, & Archangeli rogant: habent sibi tempus idoneum, habent illam sacram oblationem in fauore. Itaque vt homines ramos olearum gerentes, mouere reges consueuerunt, eóque arboris genere misericordiam commemorant & humanitatem: sic Angeli tunc pro ramis oleaginis Corpus domini ipsum protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his rogamus domine, quos tu adeo dilexisti, vt pro eorum salute mortem obires, animam cruce efflares: pro his supplicamus pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti. Idem hom. de sancto Philogonio.

HOM. 18. secundæ ad Corinth. Iterum vbi exclusserimus à sacerdotibus, ab alijs eos qui non possunt esse participes sanctæ mensæ, alta facienda est oratio. Omnes similiter super terram iacemus. Omnes similiter surgimus.

HOM. 18. in Acta apostolorum: Parúmne est dic oro in sanctis oblationibus nomen tuum semper referri, & præterea pro villa preces ad Deum fieri? &c.

HOM. 21. in Acta apostolorum: Nō frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ: hæc omnia spiritus disposuit, volens vt nos mutuo iuuemus. Vide enim vtilitatem: accipiet ille pro te, & tu per illum, contemptis opibus inductus ad faciendum aliquid generosum: & tu illi salutis, ipse verò tibi eleemosynæ factus est auctor. Ne dubita: quia erit aliquis fructus suauis. Non simpliciter minister clamat pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui illorum memoriam faciunt. Non diaconus est, qui talem illam vocem emittit, sed spiritus: non sanctus inquam, sed domini. Quis dicis? In manibus est hostia, & omnia proposita sunt bene ordinata: adsunt angeli, adsunt archangeli, adest filius Dei: cum tanto horrore adstant omnes, adstant illi clamantes omnibus silentibus: & putas simpliciter & quæ pro ecclesia, & quæ pro sacerdotibus offeruntur, & quæ pro plenitudine ac vbertate. Absit. Sed omnia cum fide fiunt. Quid putas pro martyribus offerri, quod vocantur in illa hora, licet martyres sint, etiam pro martyribus magnus honor nominari domino præsente, dum mors illa perficitur, & horrendum sacrificium & ineffabilia sacramenta? Nam quasi sedente rege, quæcunque voluerit, perficit: vt autem surrexerit, quæcunq; dicit, frustra dicit. Ita & tunc quādiu proposita fuerint mysteria, omnibus honor maximus in memoria haberi. Vide enim, annūciatur tunc sacramentum horrendum, quòd pro mundo dedit seipsum Deus, cum illo miraculo tēpestiuè memor est ille eorum qui peccarunt. Sicut enim quando regum trophæa statuuntur, tunc celebrantur quidem & quicunque victoriæ socij fuerunt, dimittuntur autem qui sunt in vinculis per illud tempus: vbi autem transierit hoc tempus, qui nihil assequutus est, nihil obtinet: ita sane, & hic trophæorum & celebrādæ victoriæ tempus est. Quoties enim, inquit, manducabitis p anem hūc, mortem domini annunciate. Itaque ne simpliciter accedamus, neque fortuito hæc fieri putemus.

HOM. 41. primæ ad Corinth. Non est temere hoc excogitatum, nec frustra memoriā mortuorum inter sacra mysteria celebramus: aut accedimus pro illis agnum illum iacentem & peccata mundi tollentem deprecantes, sed vt his consolatio aliqua fieret: Nec temere qui altari aßistit, inter horrenda mysteria clamat, Pro omnibus in Christo dormientibus, & pro his qui memoriam celebrant illorum. Nam nunquam ista fiant, neque hæc dicantur, si pro illis commemora-

morationes non fierent. Neque enim scena iam amplius nostra sunt, sed spiritus ordinatione fiunt. Opitulemur igitur his fratres, memoriam pro ipsis faciamus. Nam si Iob illius liberos, pa tris victima purgauit, quid dubites, è nobis quoq; si pro dormientibus offeramus, solatij quiddam illis accessurum? Gratificari Deus propter alios alijs solet, quod Paulus hic ostendit: Vt ex multis, inquit, personis pro dono in nos collato, per multos gratiæ pro vobis agantur. Ne defatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro ipsis offerẽdo: cõmunis totius orbis victima preces sunt. hinc pleni fiducia pro toto etiam orbe supplicamus. inter martyres, inter confeßores, inter sacerdotes, mortuos recensemus. Vnum enim corpus omnes sumus, sint membra licet alia alijs illustriora: vndique veniam ipsis impetrare licet, precibus pro ipsis effusis, muneribus datis, consortio eorum, inter quos velut commune corpus referuntur. Quid ergo doles? Quid lachrymaris? cùm impetrandæ mortuo veniæ tot extent rationes? Iob. 1.

HOM. 3. ad Philippenses: Non frustra ab apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum qui hinc discesserunt. Nouerunt illis multum hinc emolumentum fieri, multum vtilitatis. Stante siquidem populo vniuerso, manus in cælos extẽdente, cœtu item sacerdotali, verendóque posito sacrificio, quomodo Deum non placaremus pro istis orantes? Verum istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt. Catechumenos verò neque isto solatio dignamur, sed omni huiusmodi destituti sunt auxilio, vno quodam dempto. Quónam illo? Pauperibus, illorum nomine dare licet, vnde illis nõnihil refrigerij accedit. Nam ita vult Deus, vt nos inuicem mutuo iuuemus. Qua nanque ratione pro mundi nos pace & incolumitate precari iußit? Quamobrem pro omnibus hominibus? Tametsi hic vbi omnes dicit, & latrones & sacrilegi, sepulchrorum spoliatores, ac fures, innumerisque alijs malis scatentes comprehendantur, nihilo tamen minus pro omnibus oremus, erit fortè aliqua illorum conuersio. Quemadmodum itaque pro viuis istis oramus, qui tamen nihilo differunt à mortuis: ita & pro mortuis orari potest. Pro liberis suis sacrificabat Iob, & à peccatis illos liberabat: Ne quid, inquit, forte peruersi cogitauerint in cordibus suis. Ita prouidendum est liberis.

HOM. 69. ad populum Antiochenum: Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim multum inde contingere lucrum, vtilitatem multam. Cum enim totus constiterit populus extensis manibus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo deum non exorabimus pro his deprecantes?

## QVÆ CANERENTVR IN MISSA. Cap. 23.

HOM. 9. ad Colossenses: Quis sit hymnus cælestium, norunt fideles. Quid in cælestibus dicunt Cherubim, quid dixerunt Angeli? Gloria in altißimis deo, &c.

HOM. 3. ad Colossenses: Propterea gratias agentes dicimus, Gloria in altißimis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, &c.

HOM. in laudem eorum qui comparuerunt in Ecclesia: In supernis Angelorum exercitus canunt gloriam, in terris homines in Ecclesijs choros agentes, ad eorum exemplum eandem canunt gloriam. In supernis Seraphim ter sanctum illum resonant, in terris eundem hominum promit multitudo. Communiter tum cælestium, tum terrestrium plaudit celebritas. vna est gratiarum actio, vna exultatio, vna beneuolentis gaudentísque choreæ statio, &c.

HOM. 61. ad populum Antiochenum: Non per proposita tantùm, verum per cantica spiritus descendit, &c. Idem Hom. 3. ad Ephesios.

HOM. 14. ad Ephesios: Cogita vt inimicis tuis ignoscas, quæ verba sit os tuum locutum, quæ contingat, quæ degustet, quo cibo fruatur: cum quibus tempore mysteriorum astes, cum Cherubim, cum Seraphim. Seraphim neminem vituperant, sed vnus & idem vsus ora illorum adimplet, nempe benedicendi & glorificandi deum. Quomodo potes cum illis dicere, Sanctus sanctus sanctus, qui ore tuo ad vituperium abuteris?

HOM. 21. ad populum Antiochenum: Quomodo non est absurdum post vocem illam mysticam è cælis delatam, à Cherubim dico, meretricijs cantibus & fractis melodijs aures inquinare?

HOM. 19. in Matthæum: Vnus est ex Angelorum choro atque Archangelorum socius effectus, cum Cherubim quoque ac Seraphim canis, &c.

HOM. de non contemnenda Ecclesia & Ecclesiæ mysterijs: Cogita prope quẽ astiteris ô homo in sacro illo & horrendo sacrificio: cum quibus deum sis inuocaturus: cum Cherubim, cum

Seraphim & cum alijs cælestibus virtutibus, &c. Pluribus locis idem attingit.

Kyrie eleison.

HOM. 21. ad Romanos: Qui alterum conuitijs laceras, quomodo dicis ad deum, Miserere mei? quomodo sacram oblationem sumes, qui linguam humano sanguine rubefecisti?

HOM. de laude eorum qui conuenerunt in Ecclesiam: Quomodo in domum tuam recipies dominum, qui vsque adeo contemptim offeras precationem? Miserere mei deus, inquis, ac mores à misericordia alienos declaras.

HOM 27. in Genesin: Si ignoscamus inimicis nostris, & bene precemur, poterimus pura conscientia ad sanctam terribilémque mensam accedere, ac verba quæ precibus nostris inserta sunt, fidenter dicere. Sciunt initiati quid dicatur. Proinde vniuscuiusque conscientiæ relinquo, quomodo mandato illo impleto, per illud terribile tempus dicere possimus. Quod si negligenter fecerimus, quanta hinc condemnationis causa, qui diuersa facimus ac dicimus? Audemus temere verba precum pronunciare, & nobis ipsis maiorem ignem extruere, irámque dei in nos prouocare?

HOM. 14. ad Ephesios: Cogita quæ verba sit os tuum locutum, qua dignatum mensa, quæ côtingat, quæ degustet, quo cibo fruatur. Nihil putas te mali facere, quod fratri maledicis? Quomodo ergo illum fratrem vocas? Si verò non est frater tuus, quomodo dicis, Pater noster? Perpende cum quibus tempore mysteriorum astes, &c.

EPIST. ad Eutropium: Si propriæ iniuriæ acerbitatem non exequitur imperator, quid sanctos facere decet? quid filijs Ecclesiæ agere conueniet, quibus paulo post accedendum est ad sancta, quibus contingenda sunt mysteria, quibus oratio dominica offerenda, in qua dicendum est, Dimitte nobis debita nostra? &c.

## DE VOCE DIACONI, SANCTA SANCTIS, & vt admoneat indignos esse arcendos, etiam Principes, per diaconum qui corpus Christi porrigebat. Cap. 24.

HOM. 51. ad populum Antiochenum: Diaconus clamat sanctos vocans, & per hanc vocem omnium taxans maculas. Sicut enim in grege vbi sunt multæ oues sanæ, aliæ verò morbidæ, per hanc excitat vocem, & has ab illis diuidit, passim circumiens sacrorum minister per illum clamorem nimis horrendum omnes vocans sanctos, & trahens. Quoniam enim homo res proximi scire non potest (Quis enim scit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus qui in eo est?) hanc vocem emittit, postquam consummatum est omne sacrificium, vt nemo temere & à casu ad spiritalem veniat fontem. Etenim in grege morbidas detinemus intus in tenebris, & alia pascimus esca, nec aëris puri, nec herbæ sinceræ, nec exterioris fontis sinimus esse participes. & hîc igitur hæc vox pro quodam est vinculo. Non potes dicere: Nesciebam quàm esset in re periculum. Paulus testatus est. sed dices, Nesciui: hæc non est purgatio, sed accusatio. per singulos dies Ecclesiam ingrederis, & adhuc hoc ignoras? Tu ne vel hoc prætenderis, propterea sublimis constitutus magna voce, terribili clamore quasi quidam præco manum in altitudinem tollens, stans erectus, omnibus apparens, & magnum in illa tremenda quiete exclamans, hos quidem vocat, hos autem arcet, non hoc manu faciens, sed hoc per linguam quàm per manum efficacius. Dic mihi quæso, in Olympicis certaminibus, non sic astat præco magnum clamans? Num aliquis hunc accusat, dicens, Nónne fur est & seruus? & nónne prauorum est morum? Si vbi est corporum exercitatio, multa fit voluntatis inquisitio, multo magis vbi totum anima decertat. Stat igitur apud nos præco non capite quenquam tenens & producens, sed omnes pariter interiori detinens capite, non apponit alios accusatores, sed ipsis semetipsos. Non dicit nunquid aliquis hunc accusat? sed, si quis seipsum accusat. Cum enim dixerit, Sancta sanctis, hoc dicit, si quis non est sanctus, non accedat: non simpliciter dicit à peccatis purus, sed sanctus, nô peccatorum tantû liberatione, sed spiritus præsentia. Idem omnino fere dicit HOM. 17. ad Hebræos.

HOM. 60. ad populum Antiochenum: Ad vos ô ministrantes sermonem conuertere necessarium est, vt multo cum studio hæc dona distribuatis. Non parua vobis imminet vltio, si quem cuiuspiam conscium nequitiæ huius mensæ participem esse concedatis: sanguis eius de manibus vestris exquiretur, siue quis dux militiæ sit, siue præfectus, siue princeps diademate coronatus: indignè autem accedat prohibe, maiorem illo potestatem habes. Tu verò si tibi quidem aquæ fons traditus fuisset purus gregi custodiendus, & pecudem multum ore fimum habentem vidisses, deorsum inclinari non permisisses, & fluentem turbare: nunc verò non aquæ, sed sanguinis & spiritus fontem habens creditum, & cœno fœdius habentes peccatum videns accedentes, non

non indignaris, nec arces, ecquam consequeris veniam? Propterea vos deus hoc insigniuit honore, vt talia discernatis. hoc vestra dignitas est, hoc securitas, hoc omnis corona, non vt albam & splendentem tunicam circumeatis induti. Et vnde, inquit, noui illum & illum? non de ignotis, sed de notis loquor. dicam aliquid terribilius. Non tam graue energumenos intus esse quàm istos, vt ait Paulus, vt Christum conculcent, & sanguinem testamenti communem existiment, & gratiam spiritus afficiant contumelia. Dæmoniū enim patiente peior est qui postquam peccauit accedit.

HOM. 83. in Matthæum eadem vbi concludit: Hic mihi de notis ac manifestis disputata sunt, quibus emendatis cito nobis deus etiam ignotos notificabit: si verò notos admittimus, qua de causa ignotos manifestauerit?

HOM. de non contemnenda Ecclesia & mysterijs: Si quem ex his qui tecum congregantur, scortatorem & ad mystica accedentem videris, dic eorum dispensatori, Iste mysterijs indignus est: prohibe sacris prophanum, &c. Ad vos qui ministratis, sermonem deinceps conuertimus, vt multo cum studio dona dispensetis. Neque enim parua vobis pœna impendet. Nam si scientes aliquem esse improbum, hac mensa eum participare permittetis, sanguis eius è manibus vestris exquiretur, siue is dux exercitus, siue præfectus equitum sit, siue ille ipse qui diademate circundatus est, si indignè accedat prohibe. Maiorem dominum habes. Caue ne irites dominum deum tuum, non expurgans corpus eius. Nec gladium alimenti loco porrigas. Quòd si ipse non audes, ad me adduc, non patiar hæc audere. Anima deficiat potius, quàm sanguinem domini præter dignitatem porrigam, & meum ipsius sanguinem profundam, priusquam sanguinem tam tremendum secus quàm conuenit porrigam. Melius enim priuari vita propter deum, quàm propter vitam deo ipso.

## DE PRÆPARATIONE AD EVCHARISTIAM interna, qua cogitatione excitetur. Cap. 25.

HOM. 52. in Matthæum: Veniat nobis in mentem, quē adire constituimus, pro quibus & quid facturi adimus, quem Seraphim aspicere nequeant, quem terra contremiscit, qui lucem inaccessibilem habitat. Adimus vt nos à tormentis gehennæ vendicemus. Concidamus igitur tam corpore quàm mente, vt ipse iacentes nos erigat. Oremus humiliter ac mansuete, &c.

HOM. 83. in Matth. Si Iudæi stantes calceati, & baculos in manibus habentes, cum festinatione comedebant, quanto magis nobis vigilandum est? Illi ab Ægypto in Palæstinam erant profecturi, ac ideo viatoris habitum habebant: tu de terra in cælum ascensurus es. Cogita quāta indignatione aduersus proditorem, aduersus eos qui crucifixerunt, ipsum mouearis, & caue ne tu reus corporis & sanguinis efficiare.

HOM. 51. in Matth. Adeamus singuli ægrotantes Christum magna cū fide. Nam si qui fimbriam vestimenti eius tunc tetigerunt, omnes conualuerunt, quanto magis corroborabimur si totum in nobis habebimus? Cum fide autem accedere non est, vt tantummodo propositum corpus accipias, verum multo magis, vt mundo corde tangas, vt sic adeas quemadmodū ad ipsum.

HOM. 60. ad populum Antiochenum: Accedat nemo cum nausea, nemo resolutus, omnes accensi, omnes feruentes & excitati. Nam si Iudæi stantes, & calceamenta manibus gestantes ac baculos agnum cum festinatione comedebant, te multo magis oportet esse solertem. Nam illi quidem in Palæstinam erant prodituri, & propterea viatorum figuram habebant: tu verò debes in cælum migrare. Quapropter in omnibus te oportet vigilare. nec enim parua pœna proponitur indignè sumentibus, &c. Quo non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio, quo solari radio manum hanc carnem diuidentem, os quod igne spirituali repletur, linguā quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Quod angeli videntes horrescunt, nec liberè audent intueri, hoc nos pascimur, &c.

HOM. 6. ad populum Antioch. Tanquam leones ignem spirantes, ab hac mensa recedamus, caput nostrum mente voluentes, & charitatem quam nobis exhibuit.

HOM. 28. pri. ad Corinth. Sensibili nunquam communicaremus mensa si febre laboraremus, longè magis hanc tangere nefas est impeditis cupiditatibus quæ febre grauiores sunt. Cum autē absurdas dico cupiditates, etiam corporū intelligo, & pecuniarum, & iræ, & succensionis, & omnes simpliciter absurdas. Quæ omnia accedentem exhaurire oportet, & ita purum illud attingere sacrificium, non pigrè disponi & miserè cogi propter solennitatem, &c. Non diiudicans corpus domini, hoc est non considerans magnitudinem propositorum, non reputans

muneris magnitudinē. Si enim didiceris diligenter quis sit propositus, & quis cui seipsum exhibet, nullius alterius indigebis ratione, sed hoc tibi ad omnem puritatem sufficiet, nisi sis ignauissimus.

HOM. 61. ad populum Antioch. Si cum puritate accesseris, ad salutem accessisti: si verò cū mala conscientia, ad pœnam & vltionem. Qui enim manducat & bibit indignè, &c. Nam si regiam contaminantes purpuram puniuntur, sicut & discindentes, non erit dissimile, domini corpus impura mente suscipientes eandem subire vindictam, cum his qui clauis ipsum disciderunt. Vide quam terribilem proponat Paulus vltionem. Irritam quis faciens Mosis legem, &c. Idem Hom. 45. In Ioann. & 83. in Matthæum.

HOM. de non contēnenda Ecclesia et Ecclesiæ mysterijs: Ait Apostolus, Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat, non diiudicans corpus domini: hoc est, eādem pœnā dabit quod supplicium luent hi qui Christum cruci affixerunt. Quemadmodum enim illi iugulatores rei sunt sanguinis, ita & hi qui indignè mysteriis participant: siue enim quis disrumpat regiam purpuram, siue luto contaminet, ex æquo regem qui eam induit, contumelia affecerit: ita hic quoque & qui peremerunt corpus domini, & qui impuro animo id acceperunt, iuxta ludibrio habent regium indumentum.

HOM. 51. in Matthæum: Quam satisfactionem afferemus, cùm tali pabulo nutriti peccemus, cùm agnum comedentes in lupos conuertamur, cum saturati ouinis carnibus vt leones rapiamus? præsertim cum id sacramentum non rapina solum, verum & ab omni suspicione inimicitiarum mundum semper seruare iubeamur. Pacis enim sacramentum est hoc sacramentum, inquisitioni pecuniarū & simoniæ non conuenit. Nullus Iudas, nullus Simon hāc mensam adeat, quorum vterque cupiditate perijt. Idem 24. pr. ad Corint. & 11. ad populū Antioch.

HOM. 60. ad populum Antioch. Fœtente ore Regem deosculari non eligeres, Regem verò cæli fœtēte anima deoscularis? Bestia quæ tetigerit montē, lapidabitur, &c. Sicut cibus cum sit nutritiuus, si à crudo sumatur, omnia perdit & corrumpit, ac mortis est causa: ita scilicet & qui horrenda mysteria, &c.

HOM. 60. ad populum Antioch. Nec enim parua pœna proponitur indignè sumentibus. Cogita quantum aduersus proditorem indignaris, contra eos qui crucifixerunt. Itaque & tu considera, ne sis reus corporis & sanguinis domini. Illi sanctissimum corpus iugularunt: tu verò polluta suscipis anima, post tot beneficia. Hom. 46. in Ioann. idem.

HOM. 17. ad Hebræos: Rex Babylonis ex captiuitate iuuenes honestos forma & decoros facie elegit, multo amplius & nos astantes mensæ regali, honestos specie esse oportet.

HOM. 24. primæ ad Corinthios: Quando id propositum fuerit, dic tecum, Propter hoc corpus non amplius terra & cinis ego sum, non amplius captiuus, sed liber. Propter hoc, cælum & quæ in eo bona sunt, me accepturum spero, immortalem vitam, angelorum sedem, Christi consuetudinem, &c. Animaduerte quod omnium maximum est atque perspicuum, in terra non conspicaris solum, sed tangis, neque solum tangis, sed comedis, & eo accepto domum redis. Absterge ab omni sorde animum. Præpara mentem ad horum mysteriorum susceptionem. Etenim si puer regius purpura & diademate ornatus, tibi ferendus traderetur, nonne omnibus humi abiectis eum susciperes? Nunc cùm non hominem regium puerum, sed vnigenitum Dei filium accipis, dic, quæso, non horrescis?

## PRÆPARATIO EXTERNA, CONFESSIO, ieiunium, lotio manuum, vestium mundities. Cap. 26.

HOM. 30. in Genesin: Quia in magnam hanc hebdomadam peruenimus Dei gratia, nunc maxime & ieiunij cursus intendendus est, & continuandæ preces, faciendáque diligens & pura peccatorum cōfeßio, & in operibus sedulitas, eleemosyna larga, æquitas, mansuetudo, aliæque virtutes, vt talibus ornati virtutibus, vbi in diem dominicum venerimus, domini liberalitate fruamur, &c.

HOM. 10. in Matthæum: Tempus quidem confeßionis æque & lotis baptismate & illotis profanísque incumbit: his quidem, vt post patentia criminum vulnera, pænitentia interueniēte curentur, & ad sacra mysteria venire mereantur. Illis verò, vt eam quā post lauachrum cæleste conceperant, maculam diluentes, ad dominicam mensam munda iam conscientia securáque conueniant.

HOM. de spectaculis: Hortor rogóq; vt prius pœnitentia ac cōfeßione aliísque remedijs omnibus

nibus sese à peccato ex theatricis spectaculis cõtracto perpurgent, atque ita diuinos audiant sermones, &c. Non metuis, non expauescis dum oculis quibus illic lectum qui est in orchestra spectas, iisdem hanc mensam intueris? &c.

HOM. 27. pr. ad Corinthios: Tu priusquã accipias, ieiunas, vt aliquo modo dignus communicatione videaris: cùm autẽ acceperis, & oporteret in continentia perseuerare, omnia perdis. Quanquam æquum est ante & post communicationem ieiunare. Oportet enim vtroque tempore continentem, sed maximè post acceptum spiritum: antè, vt dignus fias ad accipiendum: postmodum, vt non indignus videaris qui acceperis, &c. vide de Ieiunio, ~~sequenti~~ cap. 29.

HOM. 52. in Matthæum: In nonnullis Ecclesiis morem hunc corroboratũ videmus, vt diligenter multi studeant, quomodo manibus loti & vestibus candidis induti in Ecclesiam ingrediantur: quomodo autem animam atque mentem suam puram atque defæcatam Deo afferant, nullam habent curam. Hæc dico, non quia lauare os aut manus prohibeam, sed quia nõ aqua solùm lauare os velim, verumetiam vt æquius est, omni virtutis munere.

HOM. 61. ad populum Antioch. Dic mihi, illotis manibus ad sacrificium eligeres accedere? Non puto. Cernis vasa, &c. Hom. 3. ad Ephesios idem.

## DE ADORATIONE CORPORIS. Cap. 27.

HOM. 24. prim. ad Corinth. Hoc corpus adorarunt, in præsepi reueriti sunt Magi, & impij viri & barbari, longo itinere confecto, cum timore ac tremore plurimo adorauerunt. Imitemur saltem barbaros nos qui cælorum ciues sumus. Tu non in præsepi, sed in altari, non mulierem quæ in vlnis teneat, sed sacerdotem præsentem & spiritum perabundè super proposito diffusum sacrificio vides. Nec vt magi corpus intueris, sed eius potentiam, & omnem agnoscis administrationem, & nihil eorum quæ per ipsum facta sunt ignoras, & diligenter initiatus es in omnibus. Excitemur igitur horrescamúsque & maiorem quàm barbari illi præ nobis feramus pietatem, vt non simpliciter, neque frigidè accedentes vehementiori igni caput obtiẽamus. hæc non dico, vt non accedamus, sed ne temere accedamus. lege Caput, Quanto honore sit assistendum. & caput, De his qui Missæ interesse non laborant.

HOM. 61. ad populum Antioch. Si pura sunt vestimenta, adora & communica, &c.

## OSCVLVM PACIS PORRIGEBANT MVTVVM. Cap. 28.

LIB. 1. de compunctione cordis: Iubet dominus relinqui donum ante altare, & prius reconciliari fratri, vt ex hoc discamus, quia nec illo tempore quo ad ministerium Dei videmur accedere, reconciliationem dissimulari ac differri non patitur Deus, quanto magis curari hoc in aliis temporibus iubet? Nos verò imaginem quidem colimus præcepti, veritatem verò virtutémque negligimus. Nam osculum pacis porrigere, tempore quo munera offerũtur, in vsu est: sed vereor ne fortè plures ex nobis labiis hoc tantummodo faciant, cùm Christus pacem non ex ore, sed ex corde desideret, & affectu velit proximum, non labiis salutari, &c.

## QVIBVS TEMPORIBVS POPVLVS COMMVNICARET: AN QUOTIES FIERET MISSA? Cap. 29.

ADHORTATVR quidem quàm potest acerrimè, vt expurgati sæpius participent. Concludit tamen, ne illoti accedant, nec solitos accedere, quoties res diuina ageretur, ostendit.

HOM. 61. ad populum Antioch. Multos video dominici corporis participationem temere sumentes, vel à casu potius, ac consuetudine potius aut lege quàm cogitatione & mente, si superuenerit sanctæ tẽpus Quadragesimæ, qualiscunq; sit aliquis, mysteria sumit: si superuenerit Epiphaniorum dies, licet tempus aduentus, vel Epiphania, vel Quadragesima dignos accedere non faciat, sed animæ puritas & sinceritas. cum hac igitur semper accede, sine hac nunquam, &c. Multam video rerum inæqualitatem. In aliis temporibus cum puri frequenter sitis, non acceditis: In Pascha verò, licet sit aliquid patratum, acceditis. O consuetudinem. O præsumptionem, sacrificium quotidianum, incassum assistimus altari. nullus qui communicetur. hæc non vt temere communicemini dico, sed vt vos dignos reddatis. Non es hostia dignus, vel communione, igitur nec oratione. Astantem audis præconem atq; dicentem, Quotquot estis in pœnitẽtia, omnes orate. Quid stas? si es in pœnitentia, sumere non debes. Qui nanque non communi-

cat, est ex pœnitentibus. Cur itaque dicit, Abite qui non potestis orare? Considera mensam regis appositam, angelos mensæ ministrantes. Ipse rex adest, & astas oscitans. Si pura sunt vestimenta, adora, & communica. Per singulos dies venit discũbentes visurus, omnes alloquitur. Amici quomodo huc intrasti? non dicit, vt quid accubuisti, sed quid intrasti. Omnis qui participio mysteriorum non fruitur, impudens est ac procax, si astat, &c. Dic mihi, si quis in conuiuium vocatus manus ablueret, & recumberet, & mensæ paratus adesset, postmodum nihil gustaret, non afficit cõtumelia vocantẽ? Nónne huiusmodi melius non venisse? Sed ne maius vobis iudiciũ faciamus, vos exhortamur, nõ vt accedatis, sed præsentia vos & accessu dignos cõstituatis.

HOM. 3. ad Ephes. Dic mihi quæso post annum cõmunionẽ sumens, quadragintá ne dies ad totius tẽporis purificationẽ satis esse putas, & hebdomada lapsa rursum ad peccata reuerteris? Hæc dico nõ vno & annuo vos prohibẽs accessu, sed vos semper ad sancta volẽs accedere, &c.

HOM. 17. ad Hebr. Plurimi ex hoc sacrificio semel accipiunt in toto anno, alij bis, alij sæpius. Ad omnes ergo nobis sermo est, non ad eos qui hîc sunt tantum, sed etiam ad eos qui in eremo sedent. Illi enim semel in anno tantum participantur: fortaßis enim & post duos annos. Neque eos qui semel, neque eos qui sæpius, neque qui raro: sed eos qui cum mundá conscientia, qui cum mundo corde, cum vita irreprehensibili isti semper accedát. Qui verò tales non sunt, neq; semel. Quid ita? quia iudicium sibi accipiunt & damnationem ac supplicium. hæc dicẽs, non ab vna in anno vos perceptione veto, sed volo vos semper accedere. Sancta hæc concessa sunt.

HOM. 28. pr. ad Cor. Paulus ait, Probet seipsum homo. Vosmet tentate, si estis in fide, vosmet probate: non quemadmodũ nunc facimus temporis gratia tantum accedentes, ac magis quàm animi studio, neq; vt præparati ad expurganda vitia compunctionis pleni accedimus, sed vt in solennitatibus simus, quando omnes adsunt consideramus: sed non ita Paulus præcipit, sed vnum tempus nouit quo accederemus, communicationis & scientiæ puritatem.

## DE FINE MISSÆ. Cap. 30.

HOM. 83. in Matth. Hymno dicto exierunt in montẽ. Audiatis quicunq; vltimam orationẽ nõ expectatis, quæ illius symbolum est. Gratias enim egit antequam discipulis daret, vt etiã à gratiarum actione incipiamus, posteaquã dedit & hymnũ cecinit, vt & nos similiter faciamus.

HOM. 3. ad Coloß. Quando sacrificiũ absoluitur, ait præsul, Pax omnibus, & interea rursus, Gratia vobis & pax. Quomodo non est absurdum, quòd cum toties pacem habẽdam nobis audiamus, nihilominus hostiliter inuicem alius alium impugnamus?

HOM. Oportet hæreses esse, post primam ad Corinth. Inoleuit in Ecclesiis consuetudo quædam admirabilis. Fideles enim omnes in conuentibus suis postquam audissent doctrinas, post preces, post sacramentorum communionem, soluta concione non mox domum concedebant: sed diuites & abundantiores alimenta & edulia à domibus suis afferentes, pauperes vocabant, communésque faciebant mensas, communia prandia, communia conuiuia in ipsa Ecclesia. Atq; ita à communione mensæ & pietate loci vndequaque ad charitatem accendebantur, nõ absq; summa vtilitate & voluptate maxima.

# F. CLAVDIVS DE SAINCTES LECTORI.

QVONIAM quæ Chrysostomo semper tributa est Liturgia, alijs adiungebatur, vt nihil in ea iudices alienum à suo auctore: vt ex vno morem sacrificandi Ecclesiæ Orientalis adhuc integræ neque longius ab apostolis remotæ animaduertas, delibauimus ex illius libris quæ ad eam rem conferret. Nequaquam tamen profitemur omnia quæ huc prodessent congeßisse. Nonnulla, vt fit, aliquando non satis attente cogitantem ac legentem transuolarunt: aliqua non inuitus omisi, ne essem prolixior. Cum ista commentaremur, aliquis ad me venit: Ecquid, inquit, tribuitis Chrysostomo sacra, quæ Chrysostomi mortui, quæ sanctorum atque aliorum meminerunt qui Chrysostomum longo temporis interuallo subsecuti sunt? Respondi, Libros legis, Mosis decessum continere ac describere, sacrilegum tamen esse & haberi ab eo confectos denegare. Non ignorãt insuper docti ex historijs nostris, Ecclesiam principes episcopos sanctos quamprimum essent renũciati, atq; alios mortuos si mererentur in sacrorũ diptychorum (vertamus, tabularum aut voluminum) catalogum semper retulisse, quorum nomina in mysterijs recitarentur, atque ideo Liturgijs varia pro varietate temporum sæpe inseruisse. Vale.

FINIS.